BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XVI
D
11
NAPOLI

Digitized by Google

XVI. D. 41

Digitized by Google

Digitized by Google

# MARCULFI MONACHI

## ALIORUMQUE AUCTORUM FORMULÆ VETERES,

EDITÆ AB ILLUSTRISSIMO VIRO HIERONYMO BIGNONIO Advocato Regio, cum notis ejus auctioribus & emendatioribus.

*ACCESSIT*

## LIBER LEGIS SALICÆ

*Olim editus à Clariſſimo Viro Franciſco Pithœo : nunc verò notis ejuſdem Illuſtriſſimi* BIGNONII *illuſtratus.*

Operâ & ſtudio THEODORICI BIGNONII, Comitis Conſiſtoriani, & Libellorum ſupplicum Magiſtri.



PARISIIS,
Apud SEBASTIANUM CRAMOISY, ET SEBASTIANUM MABRE-CRAMOISY, viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. LXV.

*CUM PRIVILEGIO REGIS.*

XVI D 11

B. N. R. NEAPOLIS

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


HIER. BIGNONIVS COMES CONSISTORIANVS ET IN SVPREMO GALLIÆ SENATV ADVOCATVS CATHOLICVS &c.

# ELOGIVM
## SEV
## BREVIARIVM VITÆ
## HIERONYMI
## BIGNONII
### REGI A SANCTIORIBVS CONSILIIS, ET IN SVPREMA GALLIÆ CVRIA ADVOCATI REGII, AC BIBLIOTHECÆ REGIÆ PRÆFECTI.

HIERONYMVS BIGNONIVS patrem habuit Rolandum Bignonium in ſuprema Regni Curia cauſarum Patronum, tunc temporis clariſſimum ſeu in perorando, ſeu in reſpondendo, & inter maximos illius ætatis Iuriſconſultos nume-



Digitized by Google

randum ; matrem verò Ogieriam : natus eſt anno S.H. 1590. dum Gallia vndique bellorum ciuilium æſtuante motu conflagraret, ſub tempus obſidionis Pariſ. mater enixa eſt ipſum, qui patriæ calamitatibus multùm ingemiſcere adultus ſeniórque deberet, quique maximo ſemper illius amore per omnem vitæ curſum teneretur.

Statim à pueritia mirifica indoles animi & morum apparuit, mirus in literas, literatóſque ardor ; adeò præter ætatem ſcintillæ illius ingenii in publicum exierunt. Libros enim haud vulgares neque contemnendos adhuc puer, vix adoleſcens edidit ; inter quos libellum de ſummi Pontificis electione, paruum quidem mole, ſed rerum eruditione multum & grandem ; Marculfum verò primò excuſum, notíſque adeò eruditis locupletatum, vt vix longo interuallo aliud opus antiquitate ciuili & eccleſiaſtica doctius fuerit ; ideóque etiam apud extraneos, qui in operibus illud multoties laudant, & cum honoris nota proferunt, nomen auctoris citò clarum & celebre reddidit. Nec tamen primis adoleſcentiæ annis bonarum artium ſtudium à rebus gerendis, ab vrbanioris vitæ ſocietate, denique etiam

ab aulæ tunc florentiſſimæ ſub feliciſſimo & clementiſſimo Principe Henrico IV. conuentu & caſtis deliciis auocauit. Adeò etiam hac ætate charus fuit optimo Regi, vt eum inter ſodales qui tanquam comites aſſiſterent, Ludouico deinceps Galliarum Regi & ſucceſſori eligeret, atque in turmam regiam allegaret; ita vt ſi fas ſit dicere vno eodémque doctore Princeps & Bignonius vterentur, videlicet Nicolao Fabro viro pietate, bonis artibus & multa eruditione maximè probato, cujus fama magna apud literatos adhuc remanet, ſi tamen Bignonius tunc temporis doctorem & magiſtrum habuit, qui omnes diſciplinas per ſe acceperat ſolâ patris optimi curâ & inſtitutione, qui eum ſic voluit edocere, quò citiùs fœcundiſſimi ingenii vis exſurgeret: ſiue poterat præceptore vti, qui quot erant, id temporis, docti & literati, tot familiares notos & doctores habebat. Henrico Rege mortuo forum aggreſſus eſt, ſequutus togatam militiam & patris vitam, in qua multùm legum & judiciorum peritiâ profecit, multáſque cauſas egregiè ac feliciter perorauit. Sed ejus viri virtus & induſtria non debuerant magis priuato munere patrocinii occupari; decebat eum qui

natus erat patriæ & publico, publicis quoque muneribus incumbere. Itaque procurante patre & amicis ſuadentibus, in Magno quod vocant Conſilio munus Aduocati Regii amplexus eſt ; & vt ad hanc dignitatem promoueretur, publico examine & de jure reſpondendi legibus ſolutus eſt ; quod peculiare priuilegium, nonniſi rarò tribui ſolet. In eo munere non alius ab eo, qui antè fuerat, viſus eſt, imò famam de ſe priùs conceptam facilè ſuperauit.

Creuerat cum ætate virtus & ſcientia Bignonii, ſimúlque exiſtimatio publica. Quamobrem Rex Chriſtianiſſimus eum ad Regiam ſupremi Galliarum Senatus Aduocationem, ínque illum nobiliſſimum triumuiratum cooptauit in locum Seruini, cum omnium plauſu & conſenſu, præcipuè ordinis Eccleſiaſtici qui ſupplicationes decretas ad Regem pro altero munere Aduocationis Regiæ, quondam vni Clericorum reſeruato, in gratias commutauit, quòd Bignonium jura Eccleſiæ vindicaturum non ſecùs ac hominem fori Eccleſiaſtici ſperarent & crederent. Sed quantus fuit in illo ejus publico officio labor, quantæ vigiliæ, quantus ordini ſummo decor, honor dignitáſque Regi extiterit, populis



Digitized by Google

pulis ſubſidium, cunctis ſalus, nemo non nouit. Quantùm enituit in illo theatro totius orbis clariſſimo, in publicis priuatiſque rebus; in illis fides, integritas, modeſtia & priſca conſtantia; in his incorruptus animus, perſpicacia, & antiquæ ſeueritatis rigor ſimul cum comitate clementiáque conjunctus; ſed in vtriſque mens recti tenax, judicium ſolers, eloquens facundáque lingua, & quam meritò Neſtoreo flumini haud imparem dicas. Tandem abſtinuit à laboribus aſſuetis, renuntiato munere genero Briquetio ſub auſpiciis & conſenſu Regis Chriſtianiſſimi, & Conſiliis regiis ſanctioribúſque ſedit, non minùs eo quoque loco vtilis Regi & populo.

Verùm haud ita multò pôſt genero qui aliquot annis Aduocationem Regiam non ſine magna eruditionis, integritatíſque famâ exercuerat, immaturâ morte rapto, vt denuò publico prodeſſet, quamuis jam annis vigiliíſque ferè conſumptus, vtque familiæ & liberis, fructum ſaltem eum laborum ſuorum relinquere poſſet, recepit iterum officii publici munus, & ſecundus voluit eſſe ſub Talæo, cujus ſenior collega priùs fuerat.

Ac demum poſt vndecim annos ſuperſtes, fato functus eſt ætate LXVI. anno S. H. M. DC. LVI. poſt longam ab autumno præcedente intemperiem morbúmque δυσπνοίας, quamuis non deſineret obire ſolita munera, non ſine grauiſſimo valetudinis ſuæ periculo, ita vt officio incumbens mortuus ſit.

De eo ſanè dici poteſt, quòd quidem ſeu naturæ ſeu gloriæ multùm diúque vixerat, cùm ad eam ætatem peruenerit, quæ licèt non caduca nec extrema ſenectus vocetur; tamen non immatura mors poterat videri, (præſertim his diebus ætatis de quibus Sapiens dicit quòd mali ſint, quod & ipſe ſub finem vitæ ſæpiſſime in ore habere ſolebat) ſed verò patriæ & ſuis parum nimis; imò videbatur nunquam mori debuiſſe.

Eccleſiaſt. cap. 12. ait, *antequam veniant dies, de quibus dicas, non mihi placent.*

Placidiſſimè mortuus eſt morte juſtorum, ſicut votum ejus fuit, ſine vllo mortis præſentis metu, vtpote qui meliore ſui parte obierat; totius ciuitatis publico luctu elatus, mœrore & deſiderio ſupremi Senatus, cunctæ Galliæ lachrymis defletus; & meritò, nemo enim pridem tantam de ſe famam virtutis, integritatis & ſcientiæ reliquerat.

Moribus fuit antiquis, grauitate vitæ &

victus ſeueritate commendatus : vita priuata iit qui virtutes illius penitus cognouerunt, non minùs præclara, imò admirabilior videtur quò ſecretior ; nihil enim ad famam, omnia ad conſcientiam referebat : nihil illo ſeuerius in ſe ſuóſque, nihil penatibus laribúſque domeſticis ſanctius, virtutem veram germanámque vidiſſes, non fucatam ſpecie & fuco ; in alios verò nihil comius, nihil humanius & indulgentius. Denique quidquid in priſcis temporibus heroïcum vel grande fuerat, quidquid in Chriſtianis pium, in vnam eandémque perſonam Deus contulerat : doctrina propè infinita quâ vniuerſum genus ſcientiarum comprehenderat, eum modeſtiorem, magíſque moderatè de ſe ipſo ſentientem præſtitit ; vno verbo dicam, nulla virtus magis coronari meruit laudibus encomiíſque publicis.

Optandum foret vt plura illius hominis verè diuini opera exiſterent, quippe haud forent antiquis inferiora, & vigiliarum illius aliquod monumentum ſaluum haberemus ; verùm feliciſſimæ memoriæ, cui parum ſcripto opus fuerat ; ingenij morúmque ſummæ moderationi, quæ nihil ſui habere in pretio didicerat, nec vllo vnquam



Digitized by Google

gloriæ mortalis faſtigio inſuperbire; demum muneri publico, quod omnes vigilias lucubrationéſque ſibi vindicauerat; debemus hanc jacturam referre. Itaque propè nihil editum ab illo, nihil liberi præter memoriam & exiſtimationem virtutis conſeruare potuerunt, & quod aut in foro, aut in domeſticis penatibus ex ore ipſius collegerunt.

Verùm ne tanti viri nomen & laus ſileatur apud poſteros, non eſt deſperandum quin citò illius vitæ ſumma quomodo poterit diligentiſſimè atque exactiſſimè dabitur, & ſi quæ ex illius monumentis aut commentariis poterunt excipi, ſine vlla prorſus inuidia publico communicabuntur.

Si quis exemplar illius vitæ viuum voluerit cernere, Epiſtolam 22. lib. 1. Plinij Iunioris Cattilio Seuero adeat & legat.

Καὶ μὴν ἔμοιγε ζῶντι μὲν καθ' ἡμέραν
Κ'εἰ σμικρ' ἔχοιμι, πάντ' ἂν ἀρκούντως ἔχοι
Τύμβον δὲ βουλοίμην ἂν ἀξιούμενον
Τὸν ἐμὸν ὁρᾶσθαι· διὰ μακροῦ γὰρ ἡ χάρις.

*Euripides in Ecuba.*

Εν τῷδε κάμνουσιν αἱ πολλαὶ πόλεις
Οταν τις ἐσθλὸς, καὶ πρόθυμος ὢν ἀνὴρ
Μηδὲν φέρηται τῶν κακιόνων πλέον.

*Euripides in Ecuba.*

Digitized by Google

# LECTORI ERVDITO.

FORMVLARVM *librum hîc commendare haud neceſſe videtur, quandoquidem priori editione id abunde præſtitum fuit, & quantum Hiſtoriæ noſtræ formularum cognitio eſſet profutura, luculenter oſtenſum. Ecquid amabò verbis opus, cùm & ſuum meritum & pretium ſatis ille præ ſe ferat liber? At nihilominus ſi quis Marculfi originem, ſeu natiuum ſolum & tempus quo vixerit, rudem quoque ejus ac penè agreſtem ſcribendi rationem & modum noſſe voluerit, & quàm multa, quámque recondita è mediis Hiſtoriæ juríſque antiqui tenebris eruerit, ad veteres majorum noſtrorum conſuetudines enucleandas admodum vtilia, legat Auctorem ipſummet, præſertim Illuſtriſſimum* BIGNONIVM *conſulat, qui primus omnium nobile iſtud opus in Bibliotheca Regia puluere deliteſcens, vnà cum aliis incertorum Auctorum formulis è MSS. codicibus depromptis, in lucem protulit, ac notis & obſervationibus non minùs doctè quàm feliciter adornauit & illuſtrauit.* Anno S. R. M. DC. XIII.

ē iij

*Porro recentiores* BIGNONIVM *ſequuti ſcriptores, formulas iſtas non ſecùs ac pretioſum theſaurum exceperunt : atque inter alios legum collectores & antiqui juris interpretes, Federicus Lindenbrogius qui permultas legum antiquarum ſyluas, quarum lex Salica portio non minima eſt, & formulas veteres ſub vnum corpus antiqui & barbari juris ad Romani diſtinctionem typis mandari curavit : & Iohan. Seldenus etiam in Tractatu de vxore Hebraïca, non mediocrem diuortiis apud Hebræos vſurpari ſolitis ex formula quadam libelli Marculſiani lucem attulit.*

Anno S. H. M. DC. XIII.

*Quantum autem vtilitatis in literas literatóſque viros ex ejuſmodi formulis redundarit, quantóque vſui fuerint in diſceptationibus juris Pontificii ad Eccleſiarum priuilegia & ſacras conſuetudines pertinentibus, docent Iohan. Launoius vir adeò antiquitatis callens & peritus, præſertim in oppugnandis B. Germani Pariſienſis, ac S. Medardi Sueſsionenſis; & Domnus Rob. Quatremaire eruditus & diſertus Monachus Benedictinus in propugnandis iiſdem Priuilegiis, apud quem omnibus ferme paginis citatur tanquam ejus interpres* vir æternæ memoriæ BIGNONIVS.

*Enimverò ſi judiciarium forum ingredi*

Digitized by Google

*lubet*, ERVDITE LECTOR, *audies proculdubio illis in cauſis perorandis, quæ Lutetiæ majori concurſu & celebritate frequentantur, quàm centumuirales apud Romanos, & in appellationibus vulgò* ab abuſu *vocitatis, quæ in auguſtiſſimo tribunali dijudicantur, Marculfi nomen & formulas quotidie reſonari. Denique Marculfianum codicem ſi aperias reuoluáſque, innumeras propemodum rerum & tam diuerſarum inter ſe conſuetudinum Galliæ origines, vetuſtiorum vocabulorum etymologias, ac præcipuorum Magiſtratuum munia & nomina, non è priſcis modò primæ Regum noſtrorum dynaſtiæ temporibus, verùm etiam è Romanis & barbaris moribus longè repetita videbis; exempli gratia*, Seniſcallus, Cubicularius, Comes Palatii, *& qui nunc ſunt libellorum ſupplicum* Magiſtri, *ſacris Regum lateribus adhærentes, ſub nomine Referendariorum exprimuntur, qui ſcilicet præ cæteris præcipuo munere libellos ſupplices & diplomata ſubſcribenda Regibus offerebant.* Vide Bignon. in notis ad cap. 25. l. 1.

*Sedenim Marculfum cum ejus interprete* BIGNONIO *ſi liceat componere, profectò vtri plus debeamus haud facilè aduertemus. Ille ſiquidem de majoribus noſtris bene eſt meritus, cùm velut alter Cnæus Flauius formulas literarum,*

*immunitatum, priuilegiorum, diplomatum, ſæculo planè rudi conſcribere & tradere in animum induxit: hic verò plurimùm viros quoſcumque literatos ſibi deuinxit, qui non eas tantùm formulas è tenebris vbi tot ſeculis fuerant ſepultæ, vindicauit, & in lucem protulit, ſed & res propè infinitas prorſus obſcuras & abſtruſas elucidauit, & variis difficultatum nodis inuolutas ſua perſpicuitate ac eruditione ſingulari expediuit. Ille complura Gallicanæ Hiſtoriæ fuerat complexus, ſed tam inſolito & obſoleto dicendi genere, vt cùm ea perdiſcendi cupiditatem accenderent, ſtatim eadem intelligendi ſpem auferrent. Verbo dixerim, ſibi mutuò ad famam comparandam profuerunt. Per* BIGNONIVM, *Marculfus innotuit; Marculfus effecit vt* BIGNONIVM *adhuc adoleſcentem tanquam ſidus oriens Galliæ & cæteræ nationes ſuſpicerent & amplecterentur.*

*Ecquis demum doctus non fateatur cùm nobili huic Monacho plurimùm ſe debere, tum præſertim illuſtri ejus explanatori, à quo tam rara támque erudita acceperit, quibus difficillima quæque ſcriptorum Eccleſiaſticorum & profanorum, ac Conciliorum etiam loca exponuntur? Etenim cum* BIGNONIO *vel ori-*

*ginum*

*ginum noſtrarum ſcientiâ, vel cæterarum diſciplinarum eruditione quem conferret Gallia, immo & Europa, habuit neminem.* Fuit profectò in illo viro felicitas memoriæ, quæ in miraculum vſque procederet; *judicii grauitas ſingularis, modeſtia verò incredibilis.* Ejus quippe fuit facultatis, vt poſſet ea quæ ſenſerat explicare; ejus porro probitatis & humilitatis vt mereretur vera ſentire.

Seneca pater in præfat controuerſ. lib. 1.

Auguſt. epiſt. 112

*At ipſe* BIGNONIVS *illâ quâ prælucebat modeſtiâ ſingulari & Chriſtiana animi demiſſione ingenuè & palam profitetur, pleriſque in locis difficilioribus ſe virorum eruditorum conſilio & operâ vſum fuiſſe, ſed præ cæteris V. C.* ROLANDI BIGNONII *I.C. Patris optimi, cui & eximium grati animi teſtimonium exhibuit, & pietatis maximæ monumentum longè ſplendidum, & marmoribus, ſi fari ita licet, parenti glorioſius erexit.*

In fine notar. ad Marculf.

*Operæ nunc pretium eſt Te,* LECTOR ERVDITE, *præmonere quid nouæ huic editioni, quæ multis abhinc annis tantopere exoptatur, acceſſerit.* BIGNONIVS *dum in humanis eſſet aliquandiu protelauerat librum typis iterum mandare, victus tandem amicorum precibus parabat alteram editionem proferre auctiorem multò atque emendatiorem;*

*quin & in ea quædam immutare; nam maturior ætas, & vberior ac multiplex diuerſorum auctorum lectio ſæpe maximos viros ad retractandam mutandámve ſententiam impulere. Variis itaque dum Aduocationis Regiæ, in qua omne tempus ætatis glorioſè dicendo conſumpſit, diſtraheretur negotiis, & ingraueſcente jam ætate ægrum & languidum traheret corpus, non valuit ea quæ omnino ſtatuerat complere: quod equidem maximam rei literariæ attulit perniciem: haud dubiè enim & Formularum & Legis Salicæ libros prolixioribus obſeruationibus doctè exornaſſet.*

Gregor. Nazianz. Orat. funebr. in D. Baſilium ait vitam oratoris dicendo conſumi. ὧς βιὸς ὁ λόγος.

*Liberis porrò ejus non licuit ob publica priuatáque negotia ſtatim poſt piiſſimi parentis mortem huic operæ incumbere, nec pretioſas reliquias, ſcilicet nouas obſeruationes & notas in codicibus ſparſim tenuioribus characteribus exaratas colligere & auctorum ab illo citatorum loca conferre; quod ſanè non minimam animi contentionem & temporis multum, vt norunt qui in hiſce ſtudiis verſantur viri eruditi, exigebat. Eamobrem Germanus Niuartius I. C. Andegauenſis in exſcribendis ex autographo notis lubentiſſimè operam collocauit ſuam.*

*Habes igitur,* LECTOR, *Marculſum multò quàm antea locupletiorem; ſed habes & Le-*

*gem Salicam à Franciſco Pithœo I. C. cum gloſſario priùs editam, in hac verò editione* BIGNONII *doctis obſeruationibus notiſque illuſtratam. Recognoſces autem ſi duo hæc opuſcula ex induſtriâ & ſtudiis eruditiſsimorum hominum profecta attentè perlegeris, & intelliges quantum prior poſterioris lucubrationibus addiderit & quid emendauerit. Cumpluribus locis videre licet F. Pithœum notatum à* BIGNONIO *diſcrepante & diuerſam ſententiam proferente, tum etiam alios velut Sauarronem in ſummâ Claromonti Subſidiorum Curiâ Præſidem, qui Sidonium Apollinarem cum commentariis publici iuris fecit, in Ep. 12. l. 3. de quo quidem fuerat pridem à* BIGNONIO *adoleſcente monitus Sauarro nonnihil ab eo minus cautè obſeruatum, quod vir eruditus grauiter non tulit, imò & teſtabatur gratiſsimum ſibi illud accidiſſe, vt exceptum eſt ex Bignonii ore viri alioqui modeſtiſsimi. Partim autem ſumus in hac re Auctoris conſilium ſequuti, qui Gregorii Turonenſis hiſtoriam, Codicem Legum antiquarum, & Marculfi formulas emendatas, & notis exornatas, vno volumine comprehenſas tanquam vnum corpus priſci iuris edere decreuerat; atque vt id præſtaret, duo eiuſdem Turonenſis peruetuſta M. SS. à Cl. V. Ant. Vione d'Herouual Regiorum*

anno S. H. M. DC. VI.

Vide notas Hier. Bignon. ad lib leg. Salicæ in præfat. p. 141. 143. tit. 2. 145. tit. 6. 159. tit. 32. 161. tit. 34. 163. tit. 39. 177. tit. 69.

Vide eaſd. notas ad lib. leg. Salicæ p. 172. tit. 57.

*computorum auditore, fuerat mutuatus.*

*Subſequuntur præfationem noſtram Virorum Clariorum de eximio illo Marculfi interprete, ac de ipſomet Marculfo teſtimonia, ea videlicet quæ non ita pridem cuſa, & ea quæ ex veteribus & coæuis fuere decerpta.*

*Initio voluminis præfiximus, Magni Bignonij imaginem, quæ & ſi longè expreſſior in bonorum omnium animis viuat quàm in picturis & imaginibus, amicorum tamen votis conceſſimus, vt natiuam eius effigiem è pluribus tabulis efformatam in æs incidi curaremus. Poſtremò elegias, inſcriptiones, elogia, poëmata poſt tanti viri obitum publicata, Appendicis loco ſubiecimus. Viuorum ſanè potiùs quàm mortuorum ſolatia ſunt grati animi id genus monumenta, queis viri eruditione clariores* **BIGNO-NIVM** *literarum Parentem viuum vel mortuum celebrarunt. Siquidem, vt ait D. Gregor. Nazianz.* ἅμα μὲν ἡδονὴ γένοιτο, καὶ ἅμα παράκλησις εἰς ἀρετὴν ὁ λόγος, homines ſimul voluptate afficiet ſermo, & ad virtutis ſtudium exſtimulabit.

# TESTIMONIA VIRORVM CLARORVM *de* HIERONYMO BIGNONIO, *in ſacro Regis Conſilio Comite Conſiſtoriano, & in ſuprema Galliarum Curia Aduocato Regio. Et de Marculſi formulis ab eo editis.*

C*ASAVBONVS contra Baronium pag.* 461. *edit. Geneuenſ.* 1655. Nuperrimè verò etiam formulas ea in re vſitatas in Marculfo à ſe edito publicauit, iuuenis propter morum ſingularem probitatem & multiplicem eruditionem mihi chariſſimus HIERONYMVS BIGNONIVS Pariſienſis.

*MENARDVS in notis ad Auguſtinum contra Iulianum, p.* 496. *edit. Pariſ.* 1616. *vbi de veredis, euectionibus, & tractoriis verba faciens.* De quibus (*inquit*) interpretes iuris noſtri Cujacius ad l. 3. de Angar. & Parang. lib. Cod. Iuſtin. 12. tit. 50. Erudítiſſimus BIGNONIVS lib. 1. formul. Marculſi formul. xi.

*Notandum eſt autem Cuiacium I. C. in eund. lib. tit.* 51. *de tractoriis & ſtatiuis integram Marculſi formulam tractoriæ transcribere ad illuſtrandam conſtitut. Imperat. Theod. Arcad. & Honorij.*

PONTANVS *in orig. Francic. edit. Harderuici* 1616. *p.* 440. 490. vbi ſunt hæc verba:

Edidit Marculphum nuper HIERONYMVS BIGNONIVS, qui ex annalibus præterea Fuldenſibus ſub annum DCCCXXXVI. ſuis in notis hæc adiecit, &c. 491. 495. 496. Poſtremo cùm ſuprà Hincmari locus Comitibus etiam vicarios ſuos adſcribat, annotatu dignum eſt quod obſeruat BIGNONIVS, ſingulos nimirum Comitatus in centenas ſeu territoria quædam fuiſſe diuiſos, quibus minores iudices præerant ſub Comitis diſpoſitione, qui à centena *centenarij* dicebantur. 499. vbi de ætate Marculſi: 500. apud Marculſum denique cap. 32. lib. 2. non tantùm libertatem ſeruis datam, ſed iura quoque ingenuitatis conceſſa ex formulæ verbis colligitur. Quo loci obſeruat BIGNONIVS eum morem non à Romanis ſed à Barbaris vndique in Gallias irrumpentibus fluxiſſe, *&c. Item pag.* 512. & 513.

# TESTIMONIA.

ANTOINE LOISEL en ſes Memoires de Beauuais imprimez en 1617. expliquant le mot, *Vidame. M.* HIEROSME BIGNON, *Aduocat, docte & judicieux outre ſon âge, rapporte vne permiſſion du Roy Lotaire en ſes Notes ſur les Formules de Marculfe, page* 154.

*ANTONIVS MORNACVS in Pandectarum librum 1. tit. 3. lege 31. de legibus & Senatusconſultis edit. Pariſienſ.* 1616. *pag.* 29. Carta autem vetus cuius fecit mihi copiam HIERONYMVS BIGNONIVS, ROLANDI BIGNONII patroni in Senatu doctiſſimi filius, cuius ætas omni literaturæ politioris elegantia ſuprà quàm credi poteſt eminet, ipſa hæc Caroli verba complectitur.

*Idem eodem lib. 2. tit. 5. de ſtatu hominum l. 17. in orbe Romano, page* 57. Orbis propè vniuerſus Romanum nomen vel collapſo in cineres verſóque Imperio diutiſſimè retinuit, ciuéſque eiuſmodi Romanos in Gallia fuiſſe etiam conſtitutis jampridem Regibus Gregorius Turonenſis, Caſſiodorus, aliique complures commonſtrant, quos accurato ſtudio componunt notæ ad Marculfum lib. 1. cap. 4.

*Idem MORNACVS lib. 2. digeſt. tit. 4. de in jus vocando lege 2. p. 102. in hæc verba:* NEC EOS QVI PROPTER LOCI RELIGIONEM, referri huc poteſt quod de regia quarumdam noſtræ Galliæ Eccleſiarum tutela ſeruamus tam in hac ratione, & ea quæ eodem ſenſu traditur in l. generaliter Cod. de Epiſcopis & Clericis, quamquam ex eo cujus gratia legitur apud Marculfum Monachum lib. 1. cap. 24. datum fuiſſe Mundeburdium, id eſt tuitionem ac defenſionem Eccleſiis & Monaſteriis Gallicis, nempe ob vexationes eis fieri ſolitas, atque vt quieti nec infeſtati darent rebus diuinis operam. Mundeburdium dictio eſt Germanica, quæ tuitionem ex ipſamet Marculfi formula ſignificat. Dicimus hodie ejuſmodi reſcripta *Lettres de garde gardienne,* quod accuratiſſimè diſcuſſit HIERONYMVS BIGNONIVS ex variis ex euerſo Imperio ſcriptoribus. *Vide eumdem lib. 2. l. 3. q. de pactis, pag.* 144.

*BARTHOLOMÆVS GRAMMONDVS in ſacro Regis Chriſtianiſſimi Conſiſtorio Senator, & in ſuprema Curia Toloſana Præſes, ( in hiſtoria Galliæ lib.* 15. *edit. Toloſæ pag* 647.) Subſtitutus eſt Seruino BIGNONIVS tantâ virtutis famâ eloquentiæ, & doctrinæ tantâ vi, vt pro ſuperſtite in tanto ſucceſſore Seruinus haud immeritò habeatur. Probitate hunc virum Gallicum (ſi ferret ætas noſtra) Catonem in tempus memorabimus.

Digitized by Google

# TESTIMONIA.

*PRICÆVS in Acta Apoſtolorum cap.* 19. *verſ.* 38. Quintilianus declamat. 13. *Damnum accepiſti? erat lex, forum niſi ſi nos iure vindicari pudet.* Quæ cùm in ſermone recitarem Ampliſſimo BIGNONIO, adjecit pro diuini ingenij ſui acumine (quod nihil tantum, nil tantulum fugit, videri hunc modum loquendi prouerbialem fuiſſe, vt & hodie inter ſuos dicitur, *En France il y a bonne Iuſtice.*

*Idem in fine notarum ad Apuleii Metamorphoſim.* Priſtinus noſter vigor elanguit, fértque animus quod vitæ ſupereſt alii libro illuſtrando.

Ea parte tentata nobis nec olim magno Grotio improbata, nec nunc omnimodis diſplicere HIERONYMO BIGNONIO, cujus immenſam doctrinam vt ſtupeo, honorémque amicitiæ veneror, ita faxit Deus, vt ad ſanctiſſimæ eius exemplum, quod ſemper, quod vbique imaginor me formem componámque.

*PETRVS GASSENDVS Mathem. Profeſſor Reg. in Academia Pariſienſi: in vita Peyreskii pag.* 295. *edit. Lugd. lib.* 4. Præterea felicitatem cui vertit habere ſimul Claudii Salmaſii, Petri Puteani, HIERONYMI BIGNONII magni bonarum literarum, & arcis legum ac juſtitiæ apud Senatum luminis.

*Idem eod. lib. p.* 297. *vbi citat verba Spelmanni in præfatione ſui Archeologi.* Si ad exteros abeam, non me leniter inuitarunt nobiliſſimus apud Gallos Nicol. Fabricius Peyreskius Regiæ Maieſtatis à Conſiliis in Senatu Aquenſi, HIERONYMVS BIGNONIVS, &c. *Pergit Gaſſendus.* Vbi notandum eſt BIGNONIVM, & quos præterea ille citat excitatos fuiſſe à Peyreskio, vt Spelmannum ad operis editionem ſollicitarent.

*Idem eodem lib.* 6. *pag.* 341. Sic cum BIGNONIO egit eximio illo, quem huius æui Scæuolam ac Varronem dicere liceat, de auctoritate Romanarum legum per Galliam propter edicta Alarici, Caroli Magni, aliorúmque Principum, qui viſi ſunt leges Theodoſiani Codicis cæteráſque ratas habere.

*Idem HENRICVS SPELMANNVS in præfat. ſui Gloſſarii Archæologici.* Viri hi omnes (ſcilicet Nicol. Fabr. Peyreſchius, HIERONYMVS BIGNONIVS, Gilb. Gaulminus, Nicol. Rigaltius, & Claudius Salmaſius, Iohan. Meurſius, Fred. Lindebrogius) nomine & eruditione ſpectatiſſimi, ſuis aut ad me ipſum incitationibus, aut ad alios de me ſententiis, plerique etiam copioſis

Digitized by Google

literis incœpta hæc noſtra humaniſſimè approbarunt, progreſſum ſuadent, experúntque manus vltimæ acceſſionem. Nec tantùm ſuadent, ſed ex operibus ſuis re antiquâ ſplendidis ſæpe mihi ramum aureum ad Tartareas iſtas regiones peragrandas porrexerunt BIGNONIVS, Meurſius, Lindenbrogius, &c.

*CAROLVS SPELMANNVS nepos Henrici, in nouæ edit. præfatione, ejuſdem rei meminit.*

*Notandum eſt autem in Gloſſario vbique Marculſi formularum & Interpretis mentionem honorificam fieri, inter cætera pag.6. in verbo* abuttare: *p.7. in verbo* adjectire: *p.* 8. accola. 11. *verbo* actio: *p.* 18. *verbo* admallare: *pag.* 19. *verbo* adrhamire: 21. *verbo* adſallire. 35. *verbo* æqualentia. 50. *verbo* atturnatus. 97. *verbo* cadinus. 115. capella: *pag.* 481. & alibi.

*GOTTEFRIDVS VVENDELINVS I. C. Canonicus Camtadenſis in leg Salicis illuſtratis, & gloſſar. Salico vecum aduaticarum edit. Antuerp.* 1649. *frequenter in opere ad interpretanda vocabula barbara & antiqua, adque illuſtrandas origines, Marculſi formulas & notas* BIGNONII *profert pag.* 127. *in verbo* alode, 131. *&* 131. *in voce* antruſtio: 159. *verbo* jactiuus: 162. *verbo jurare*: 172. *in voce* Rachimburgius: 182. *&* 183. *verbo* ſalica terra: 188. *in verbo* ſolſatire, *&c.*

*CHRISTOPHORVS IVSTELLVS* in codicem canonum Eccleſiæ Africanæ pag. 73. edit. 1614. & pag. 431. col. 1. edit. Pariſ. 1661 tom. 1. Biblioth. Iuris Canonici. Extant etiam acta manumiſſionis in Eccleſia celebrata, inter veteres formulas à doctiſſimo BIGNONIO nuper editas. *Deinde duas profert Marculſi formulas.*

*SALMASIVS in Epiſtol.* 23. *Hug. Grotio.* Vnus aut alter ſaltem efficitis vt ne ἀπομαρτύρειν optare libeat, vt tu & ampliſſimus BIGNONIVS noſter, quibus tertium vix inuenio quem adnumerem.

*Idem SALMASIVS multis aliis locis.*

*CLAVDIVS SARRAVIVS in ſuprema Pariſienſi Curia Senator in litteris ad Claud. Salmaſium Lutetiâ* 21. *Aprilis* 1645. Eminentiſſimus quondam Richelius ingeniorum acerrimus æſtimator, tres tantùm ſæculi ſui ſumma eruditione inſignes viros magni faciebat, te, Grotium & BIGNONIVM, cæteros in ordinem cogebat,

bat, velut plebem ſine nomine. Quis auſit hanc conuellere ſententiam, vt hunc triplicem funiculum rumpat, vel vt quartus vobis accedat.

*IOHANNES DE LAVNOY Theologus Pariſienſis ad* HIERONYMVM BIGNONIVM *in Epiſtola dedicatoria de veteri ciborum delectu in jejuniis Chriſtianorum, primùm edit. an.* 1649. Non commemoro quoque tuas ad Marculfum notas, quarum pleræque integris aliorum voluminibus antecellunt; non præclara tandem illa quæ meditaris opera meminiſſe oportet.

*Vide eumdem eodem loco fuſiùs differentem.*

*Idem in Tractatu de commentitio Lazari, Maximini, & Magdalenæ in Prouinciam appulſu, in epiſtola dedicatoria ad* HIERONYMVM *filium, & Aduocationis Regiæ ſucceſſorem.* Tandem aliquando perfectum eſt quod ante annos quatuor parens tuus optimus, ſed ὁ μακαρίτης fieri cupiit, melius dicerem voluit, apud me auctoritatis erat tantæ & venerationis tam juſtæ, vt quidquid expetebat de me, id modis omnibus imperatum mihi crederem. Ergo recuſi ſunt tractatus duo quos de Lazari, Marthæ, & Magdalenæ aduentu in Prouinciam olim edideram &c. Intelligebat vir egregiè prudens & bene Chriſtianus, factum iri operæ pretium ſi tollerentur è medio, commenta illa quibus Gallicanæ Eccleſiæ primordia deformata ſunt annis abhinc plus minus quingentis.

*Vide* IOHAN. SELDENI in tractatu de vxore Hebraïca edito Londini 1648. de Marculfo & interprete eius BIGNONIO teſtimonium, & quæ ille exinde ad ſuum incœptum & materiam profert.

Extrait d'vne lettre écrite par Mre PIERRE DE MARCA, pour lors Archeveſque de Thoulouſe, à Monſeigneur le Cardinal Barberin, le 22. Aouſt 1653.

*Voſtre Eminence connoiſt la reputation de Monſieur de* BIGNON, *Aduocat du Roy au Parlement, auquel j'ay communiqué ce diſcours. Il m'a dit, que jamais le Clergé n'auoit eſté ſouſtenu ſi puiſſamment, ni auec tant de doctrine bien menagée auec prudence, &c.*

*Illuſtriſſimus Vir PETRVS DE MARCA, Archiepiſcopus Pariſienſis meminit Illuſtriſſimi viri* HIERONYMI BIGNONII, *non ſine graui elogio, in libro 3. de Concordia Sacerdotij & Imperij, cap. 16. §. 3. & lib. 4. cap. 7. §. 3.*

# TESTIMONIA.

Extrait d'vne lettre écrite par Mr BIGNON, à Mre Pierre de Marca, pour lors Archeueſque de Toulouſe, le 14. Auril 1655.

*MONSIEVR,*

*Ie repute à ſinguliere faueur, comme certes j'en ay eû grand' joye, de voir qu'il vous ait pleû auoir mon aduis de choſe qui vous touche & voſtre dignité. C'eſt vn témoignage d'eſtime que je ne merite point, & vne preuue aſſeurée de l'honneur de voſtre amitié, & d'vne parfaite confiance. Ie reçois cette-cy en grace, & vous ſupplie de me la continuer. Mais l'autre me donne tant de confuſion, que je m'en plains à vous de vous-meſme, au lieu de vous en remercier. Et s'il m'eſt permis de paſſer plus outre ſans bleſſer par trop de familiarité le reſpect que je vous ay voüé, je vous dirois volontiers que vous vous raillez, quand vous feignez demander conſeil à vne perſonne telle que je ſuis; vous, dis-je, qui eſt vn fonds inépuiſable de tout ce qui ſe peut ſçauoir, & qui enſeignerez toute la poſterité par vos doctes écrits. Pour le mieux & plus doucement interpreter, je croy que voulant me conſeruer l'honneur de vos bonnes graces, & m'en donner de nouuelles aſſeurances, vous auez pris cette occaſion pour ne me faire pas vn ſimple compliment; mais vous ſeruir de cette maniere de myſtere, ou de figure, comme dans les choſes ſacrées, pour repreſenter voſtre diſpoſition interieure, & ſeruir de gage de voſtre amitié. C'eſt de ce chef que je vous remercie tres-humblement, comme de choſe dont je fais capital, & que je ſouhaitte auec plus de paſſion, & j'oſe dire auec ambition; parce que je vous confeſſe que je feray tousjours vanité d'eſtre creû aimé de vous; & ne refuſeray jamais pour mon aduantage les témoignages que vous en rendez, quoy qu'ils ſoient plus charitables que veritables. Mais de plus je ſouhaitterois que vous y fuſſiez trompé le premier, par ce principe de charité qui croit tout, afin d'eſtre tousjours mieux aimé. Apres cela, j'oſe vous dire que ie me réjouïs de vous voir en cette diſpoſition de paix & d'accommodement, comme vne perſonne qui ſoûtient courageuſement ſa dignité, mais par neceſſité de charge, ſans chercher noiſe, ni s'amuſer à toutes ces pointiles de ceremonies qui*

Digitized by Google

*diuiſent les corps, & aigriſſent les eſprits. Au fonds je tiens voſtre pretention toute bonne, &c.*

*Mais reuenons au prouerbe*, ſus Mineruam, *pour me renfermer dans le neant de mon ignorance, & en meſme temps dans ce profond reſpect qui me fait eſtre & dire pour jamais,*

*MONSIEVR, &c.*

*Dom. LVCAS D'ACHERY Congregationis S. Mauri Benedictinus in tota Spicilegij tom. I. Epiſt. dedicatoria, miris* BIGNONIVM *laudibus extollit, atque inter alia ſic illum alloquitur:* Qui familiam ſapienter adeò & religioſè ordinas ac moderaris, eam vt quiſquis adierit, non vani ſplendoris domicilium, ſed genuinum pietatis templum, palæſtram ſcientiarum, virtutum ſenatum mirabundus agnoſcat ac veneretur, &c.

*Et infrà*: Perte, inquam, Patrum præſertim veterum, Conciliorúmve lectione exercitatiſſimum; rei Eccleſiaſticæ peritiſſimum, ſolertiſſimum Eccleſiæ immunitatum propugnatorem, ac Sacerdotum Religioſorúmque defenſorem conſtantiſſimum; vt meritò proinde queas vſurpare, etſi ratione diſpari, quod olim Arnulfus Imperator Patribus Concilij Triburienſis de ſe profitebatur: *Habetis me omnibus Eccleſiæ Chriſti aduerſantibus, & veſtro Sacerdotali miniſterio renitentibus oppoſitiſſimum bellatorem.* Quippe cùm in ſermone quotidiano, tum in Senatu palam, &c. ſepultas propè leges reuocas, quantum potes, ruenti in peius ſæculo temet opponis.

*Et paucis interjectis*: Cui omnium ſcientiarum diſciplinarúmque ineſt cognitio; quas & acutè concipis, & appoſitè profers, & ſapienter illuſtras, quem hujus æui Varonem alterum, veriù HIERONYMVM conſulunt Galli, ſuſpiciunt Itali, Germani demirantur, venerantur & Hiſpani. Exorſus ſanè es, ſapientiſſime BIGNONI, vbi deſinunt eruditiores; *in dolio figularem artem didiciſti*, vt fert adagium, quando antiquitatis nobile monumentum, Marculfi Monachi veterum formularum lib. II. aliáſque veteres formulas in flore juuentutis edidiſti, notis adornaſti. Tuæ hæc aurora literaturæ ad lucem meridianam, nempe ad perfectam vſque ſcientiarum notitiam, nulla inertiæ nube interpoſita, continuato curſu peruenit. *Ante finem Epiſtolæ*: Vltro nuncupantes tibi literarum gloriæ, diuini atque humani juris cuſtodi, Regiæ dignitatis, legúmque Regni & linguâ facundiſſimâ & ſcriptis non vulgari eruditione refertis acerrimo propugnatori.

# TESTIMONIA.

*Meminerunt quoque* HIERONYMI BIGNONII *IOHAN. GRANGERIVS, pr. R. in Oratione funebri in laudem Ludouici Seruini.*

*ROBERTVS QVATREMAIRE Benedictinus Congregationis S. Mauri in priuilegio S. Germani propugnato, p.* 307. *&* 311. *Et aliàs.*

Dans les Opuſcules de M. ANTOINE LOYSEL, recueillis par M. IOLY, Chanoine de l'Egliſe de Paris, imprimez en 1656. pag. 582. où l'Autheur parlant de Chriſtofle d'Ogier, que Bodin en ſa Methode Hiſtorique, chap. 9. appelle, *hiſtoriarum & iuris peritiſſimum*, pourſuit en ces termes:

*Il eut le bon-heur d'eſtre le beau-pere de feu M^e* ROLAND BIGNON, *Aduocat en Parlement, qui fut receu à la S. Martin de l'année* 1585. *& qui n'a pas deû eſtre obmis dans l'occaſion qui s'eſt preſentée de l'Epithete honorable de ſon beau-pere, ayant eſté d'vne ſuffiſance ſi grande, qu'eſtant encore diſciple de M^rs Roaldes & Maran fameux Iuriſconſultes, qui ont fait leçon en l'Vniuerſité de Toulouſe, lors que le premier ſe retira en celle de Cahors, il laiſſa en ſa chaire de Docteur Regent M^e* ROLAND BIGNON, *lequel, comme c'eſtoit alors choſe honnorable, y enſeigna publiquement pendant vne année, & dicta des excellens Paratitles ſur les cinq liures des Decretales, qui ſont encore à preſent entre les mains de M^r* BIGNON, *Aduocat General au Parlement. Et depuis il a paru dans le Barreau, & enſuite dans les conſultations auec tel éclat de ſuffiſance & de probité, qu'il a acquis vn nom tres-celebre parmi ſes Confreres; mais pour enfermer en peu de mots tout ce qu'on pourroit dire non ſeulement de ſa doctrine en toutes ſortes de lettres, mais auſſi de ſa pieté & de toutes ſes autres vertus Chreſtiennes & morales, il n'y a qu'à conſiderer qu'il a eſté le ſeul precepteur de M^r* BIGNON, *Aduocat General, ſon fils, que tout le monde ſçait eſtre doüé de toutes ces belles qualitez, leſquelles il poſſede en vn degré ſi eminent & auec vne humilité ſi rare & ſi extraordinaire, que l'on peut dire auec verité que le pere par ce chef-d'œuure s'eſt ſurpaſſé luy-meſme.*

14

# TESTIMONIA.

*CHRISTOPHORVS FORSTNERVS Sereniſſ. Ducis Vuirtemberg Conſiliarius Ordinis D. Marci Eques, & Cancellarius Principatus Montbelgardenſ. in literis ad Ioh. Albertum Portnerum datis Montebeligardi v. Kal. Octobris* 1655. Ab illuſtriſſimo BIGNONIO literas nuper accepi amoris erga me planè ſingularis vberrimos teſtes: certè in ruborem me dederunt; adeò meritum omne meum ſummi viri æſtimatio excedit, neque quo famam iſtam tuear in me quicquam inuenio.

*Idem ad eundem Montebeligardi prid. Kal. Iun.* 1656.

BIGNONIVM emeritæ permenſum tempora vitæ
Secreti pars orbis habet, mundúſque piorum.
Quare age ſi qua tibi BIGNONI gratia viuit,
Dicat honoratos tua dulcis tibia manes.

Proſequere, nobiliſſime Portnere, carminibus tuis ſummi viri memoriam; illíque impende officium quale nuper Gaſſendo.

*HERMANNVS CORINGIVS Conſiliarius Regius & Oſt-Friſius, ac in illuſtri Academia Iulia Profeſſor, in literis ad eundem Helmeſtadio* 22. *Auguſti* 1655. Illuſtriſſimum Dom. BIGNONIVM jam à pluribus annis ſuſpexi Ludouici Seruini τῷ πάνυ digniſſimum ſucceſſorem, præſertim poſtquam acceſſit Hug. Grotij commendatio.

*Idem ad eundem Helmeſtadio* 14. *Decemb.* 1655. Quæ de BIGNONIO retuliſti perfuere grata, & quidni gaudeam placere me viro tanto? Conſilio tuo obſequutus literas ad illum exaraui, quas inobſignatas mitto, vt legi abs te queant priuſquàm in Galliam mittantur. Librorum tamen nihil addo, quòd vel deſint mihi illi quos vir ſummus expetit, vel commoditas mittendi.

*Idem ad eundem Helmeſtadio* 26. *Maij* 1656. Illuſtriſſimum BIGNONIVM defunctum cartæ publicæ nuntiarunt: abs te expecto de obitu magni ſanè viri plura & certiora, vt & de eius filio aliquid, quem intelligo paternæ dignitatis factum ſucceſſorem.

*IOHAN. HENRICVS BOECLERVS Conſiliarius & Hiſtoriographus Regius, & in Academia Argentoratenſi Profeſſor, in literis ad eundem Argentorato* 19. *Maij* 1653. HIERONYMI BIGNONII, inter clariſſimos Galliæ viros antiqua laude eminentis, admirationi omnibus fuit libertas.

*Idem ad eundem de eodem loco* 5. *Maij* 1656. In BIGNONII illius morte incredibilem fecit jacturam elegantia & felicitas ſæculi.

õ iij

Digitized by Google

*Idem in complaribus hiſtoria ſua Cæſarum Germanicorum locis honorificentiſſimè* BIGNONII *meminit.*

*ISMAEL BVLIALDVS ad eundem Portnerum Lutetiæ 26. Martij* 1655. Illuſtriſſimus & ſapientiſſimus BIGNONIVS, modeſtè ſed generosè, vt bonum ciuem virúmque probum decet, ad Regem verba fecit.

*Idem ad eundem Lutetiæ 28. Aprilis* 1656. Senatus die huius menſis 26. Mercurialem conuentum de ſeptimanæ die Mercurij denominatum habuit, Senatúſque Princeps eleganti oratione patres alloquutus eſt, BIGNONIVM defunctum laudauit, jacturam illius defleuit, & filium patri cui ſucceſſit parem fore prædixit. Excepit illum BIGNONIVS, elegantiſſimiſque verbis, quæ omnes ſuis ſuffragiis probarunt & laudarunt, ad Senatum orationem habuit.

Monſieur CHAPPELAIN, Conſeiller & Hiſtoriographe de S. A. de Longueuille, au meſme & du meſme lieu & datte. *Mais que vous auez eû de douleur d'apprendre la mort de M.* BIGNON*? Pour nous, nous ne nous en pouuons conſoler, & nous ne voyons rien qui puiſſe reparer vn ſi grand dommage. M.* BIGNON *ne fut pas ſeulement ſans égal, mais encore ſans ſecond, & ſi quelqu'vn pretend le ſuiure, on peut dire que bien qu'il luy ſoit* proximus, *ce ne ſera jamais que* magno ſed proximus interuallo.

*EMERICVS BIGOTIVS eidem Lutetiæ 15. Kal. Iun. eod. anno.* Viris optimis omnibus dolentibus & æternùm lugentibus ereptus eſt HIERONYMVS BIGNONIVS, cujus mortis dolorem ad te pertinere ſcio, qui cum eo tui ſtudioſiſſimo frequens & ſuauiſſimum literarum commercium habuiſti. Literæ Conrigii, quas ad ipſum curaras, datæ ipſi non fuerunt, animam jam agenti cùm Pariſiis redditæ ſunt, eas penes ſe habere nobiliſſimus filius paternæ doctrinæ & humanitatis non minùs quàm honorum & dignitatum hæres mihi dixit, & ſuum erga te amorem maximum eſſe ſignificauit. Ille jam pluribus orationibus Senatum allocutus eſt his temporibus difficillimis, quæ omnium plauſu & approbatione exceptæ ſunt.

*IOHAN. DE LAVNOY Theologus Pariſienſ. in literis ad eundem Lutet. prid. Kal. Octob.* 1655. Id judicatum eſt nuper, cùm aderam apud HIERONYMVM BIGNONIVM in Senatu Aduocatum Regium, & juris ac ſapientiæ totius antiſtitem, vbi lecta fuit epiſtola quam ad illius filium proximè miſiſti; & ſanè id certum jux-

# TESTIMONIA.

tàexiſtimo, ac ſi veteres illi centum viri judicaſſent.

Monſieur ISSALY dans l'Epiſtre dedicatoire des Plaidoyers de M. le Maiſtre à M. le Premier Preſident de Bellievre.

*Ie vous cite vn témoin également illuſtre & irreprochable, c'eſt feu M. l'Aduocat General* BIGNON, *à qui j'ay veû faire il y a pluſieurs années vn portrait de voſtre eſprit, mais vn portrait tout acheué, qui n'auoit rien que de noble & de vif en tous ſes traits. Certes il appartenoit à ce grand Homme de releuer les vertus extraordinaires. Sa main qui eſtoit auſſi fidelle & auſſi ſincere que ſon cœur, ne flatoit iamais ce qu'elle peignoit, &c.* Et plus bas.

*Ce grand perſonnage, dont vous ſçauez M. que l'ame eſtoit toute remplie de lumieres, dont la vaſte & profonde ſuffiſance a paſſé pour vn prodige dans noſtre ſiecle, & qui dans le concert merueilleux de tant de vertus morales, politiques & Chreſtiennes, auoit vn amour tendre & vn zele paſſionné pour ſon Roy & pour ſa Patrie, conceut de grandes eſperances pour la fortune publique, lors qu'il vous mit en ce haut rang où vous eſtes. Cét inſigne preſent que le Roy fit à ſes Peuples par voſtre éleuation, & qui eſtoit comme vn bien general pour tout le Royaume, fut vne grace particuliere pour cét ardent amateur de l'ordre & de la tranquilité de cét Eſtat. Il regarda ce choix que S. M. fit de voſtre perſonne, pour preſider dans la Cour des Pairs de France, comme vn gage de la reconciliation des eſprits, & comme vn retour de la felicité qu'il auroit encore plus gouſtée, ſi feu Monſieur voſtre pere (diſoit-il en ces propres paroles) en eut peû eſtre le témoin.*

*Perſonne n'ignore l'amitié tres-eſtroite qui l'auoit vny auec ce grand Homme, qui vous a donné la naiſſance, & vous auez ſouuent fait voir que l'amour & l'eſtime que vous auiez pour luy, alloient iuſqu'à la tendreſſe & iuſqu'à la veneration. Auſſi le public dans l'affliction veritable qu'il reſſentit de ſa perte, receut vne conſolation particuliere, quand il ſceut l'honneur que vous rendites à ſes cendres & à ſa memoire, d'eſtre venu à la teſte du Parlement, verſer des larmes ſur ſon tombeau, & d'auoir releué ſes vertus par vn Eloge aduantageux, dans la Mercuriale de cét auguſte Senat; honneur que j'eſtime plus grand & plus precieux*

*à ceux de ſon nom, que ſi on luy auoit erigé des ſtatuës, ainſi que Rome en éleuoit autrefois à ceux, qui auoient eſté comme luy l'appuy des Loix & de la Iuſtice, & les ornemens de leur Patrie. Mais aprés que le Barreau a perdu par la mort de ce celebre Aduocat General l'obiet de ſes plus tendres affections, l'oracle qu'il conſultoit dans ſes doutes, le parfait modele de ſa conduite & le Iuge fauorable de ſes trauaux, apres que le Parlement a perdu l'vne de ſes plus éclatantes lumieres, le Roy vn de ſes plus fideles Officiers, & le public vn de ſes plus genereux Defenſeurs, vous nous reſtez M. pour nous conſoler, dans la perte de cette ſageſſe éprouuée, de cette ſuffiſance ſi extraordinaire, & de cette équité ſi vniuerſelle.*

Le meſme dans la Preface, où parlant des raiſons qui auoient engagé M. le Maiſtre à conſentir la publication de ce liure, & le jugement que M. Bignon, cét homme ſi judicieux & ſi éclairé faiſoit de cét Autheur, & comme M. le Maiſtre l'auoit prié de conſulter M. Bignon, il pourſuit en ces termes:

*Les témoignages particuliers & publics qu'il auoit receus de ce grand Magiſtrat durant dix années, luy ayant laiſſé dans le cœur vne ſi profonde reconnoiſſance, que ſes rares & eminentes vertus luy auoient imprimé dans l'eſprit vne profonde veneration; & ce qui le porta dauantage d'auoir ſon aduis, fut qu'il ſçauoit qu'eſtant tres-deſabusé de la vanité des loüanges & de la reputation du monde par ſa pieté ſincere & ſon humilité toute chreſtienne; il eſtoit auſſi tres-eſloigné de deſirer la publication des Ouurages d'vn de ſes amis, ſans autre ſujet que de luy faire acquerir de l'eſtime parmy les hommes.* Et plus bas.

*Ce furent les ſentimens de ce celebre Aduocat General, non moins affectionné pour les deuoirs du Chriſtianiſme, qu'eſclairé dans ceux de la prudence ciuile. Monſieur le Maiſtre qui a tousjours eû vne grande deference pour ſes conſeils en pluſieurs occaſions importantes, lors qu'il eſtoit au Palais, a creû deuoir enfin ſe rendre à ſa lumiere en celle cy.*

Et à la fin aprés auoir rapporté le jugement que M. l Aduocat General Bignon faiſoit de ce volume incomparable de Plaidoyers, dont il eſtimoit l'érudition & l'éloquence puiſée dans les anciens Autheurs, dans la Philoſophie de Platon & d'Ariſtote, & dans l'Hi-

ſtoire Eccleſiaſtique des Peres & des Conciles, que le Lecteur curieux peut voir comme l'abregé de tout ce qui ſe peut dire de plus aduantageux pour faire l'eloge d'vn homme de Lettres, dont les lumieres ſurpaſſoient celles du commun. Il conclut par ces paroles.

*Ce ſont-là les penſées & le iugement de cét illuſtre Aduocat General, qui n'a pas eſté ſeulement reueré dans le plus auguſte Parlement du monde, comme vn oracle des Loix & de la Iuſtice, mais qui a eſté encore conſideré par les plus ſçauans hommes de ſon ſiecle, comme l'vn des plus éclairez & des plus équitables iuges du merite des perſonnes habiles, & de la ſolidité de leurs Ouurages. I'ay creû les deuoir rapporter en cette rencontre, non ſeulement par ce que le témoignage de ce grand Homme vaut celuy de toute vne aſſemblée de Sages & de Sçauants, mais encore parce que c'eſt luy dont le iugement & l'autorité, ont obligé l'Autheur de ces Plaidoyers à en ſouffrir l'edition.*

*ÆGIDIVS MENAGIVS in lib. cui titulus,* Iuris ciuilis amœnitates, *cap.* 28. *vbi de iudicibus qui ſedere debent habita ratione temporis quo Magiſtratum adepti ſunt, ſub finem poſt recenſita acta Senatus Pariſienſis & Toloſani, quibus conſtaret Nicolaum de Baia, & Guillelmum Bekium iure matricula inſuper habito, ſtatim vt electi ſunt in magnâ camerâ ſediſſe & ſententiam dixiſſe, perſequitur vir eruditiſſimus & omnibus virtutibus politus Menagius:* Sed cùm id contra rationem iuris receptum ſit, non eſt producendum ad conſequentias. Et profectò ſi eximiæ dotes tale priuilegium mereri poſſent, cui potiùs, quæſo, quàm HIERONYMO BIGNONIO indultum id fuiſſet? HIERONYMO BIGNONIO, inquam, viro incomparabili, & de quo dum viueret hæc Plinij iunioris de Ariſtone verba meritò vſurpari poterant, & nos ſæpe vſurpauimus. *Nihil eſt illo viro grauius, ſanctius, doctius, vt mihi non vnus homo, ſed litera ipſa, omneſque bonæ artes in vno homine ſummum periculum adire videantur. Quàm peritus ille & priuati iuris & publici? Quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet? nihil eſt quod diſcere velis quod ille docere non poſſit. Mihi certè quoties aliquid abditum quæro, ille theſaurus eſt. Iam quanta ſermonibus eius fides? quanta auctoritas? quàm preſſa & decora cunctatio? quid eſt quod non ſtatim ſciat? & tamen plerumque hæſitat, dubitat, diuerſitate rationum, quas acri magnóque iudicio ab origine cauſiſque primis repetit, diſcernit, expendit. Ad hæc quàm parcus in victu! quàm modicus in vultu! ſoleo ipſum cubicu-*

ũ

Digitized by Google

*lum illius, ipſúmque lectum vt imaginem quandam priſca frugalitatis aſpicere. Ornat hac magnitudo animi, qua nihil ad oſtentationem refert, rectéque facti non ex populi ſermone mercedem, ſed ex facto petit.* Eum tamen poſtquam ex ſupremo Regis conſilio in ſenatum Pariſienſem rediit, poſt Audomarum Talonium Aduocatum itidem Regium & ſtantem & ſedentem vidimus, quem ante eum per plures annos vt pote antiquiorem Regis Aduocatum & ſtantem videramus & ſedentem.

*Veruntamen viſum eſt non ingratum fore Lectori, ſi appendicis loco qua Hug. Grotij incomparabilis viri &* BIGNONIO *amiciſſimi extant in Epiſtolis & aliàs, de eodem teſtimonia honorifica adderemus.*

*Et quidem quinque locos excerperat nobilis & eruditiſſ. vir IOHAN. ALBERT. PORTNERVS initio poëmatis ſui cui titulus:* Lachrymæ ſeu ominoſum ſomnium. *Sed extat & aliud eiuſdem viri teſtimonium in limine aurei operis* de Veritate Religionis Chriſtianæ BIGNONIO *dicati, atque Epiſtola tota Grotij antepoſita noua editioni ejuſdem codicis* de Veritate Religionis Chriſtianæ. *Subjungentur excepta trium Epiſtolarum* HIERONYMI BIGNONII *Gallicè ſcriptarum eidem Grotio ſuper illo opere & Tractatu* de Iure Belli & Pacis, *& aliis rebus. Denique veluti corona addetur* Epiſtola Latina *eiuſdem Bignonij ad Hug. Grotium elegantiſſimè ſcripta ſuper tribus Tertulliani locis difficillimis. Qua additamenta Lectori erudito non erunt ingrata, quaſi qua guſtum leniter irritent & reficiant animum antequàm accedat ad formularum & legum antiquarum obſoleta nomina & reconditas origines. Et ſanè ex eo non mediocriter laus vtriuſque creſcet, & quam de ſe viri tanti mutuò opinionem & exiſtimationem conceperunt innoteſcet. Et cùm viro nobili laudari ab omnibus ſit honos, tum magis ab eo qui tam rectè de omnibus ſentiebat, cuius in ore ſolemne effatum nunquam à Bignonio niſi doctiorem & locupletiorem diſceſſiſſe, & hos quidem viros fertur primo congreſſu mutuâ admiratione inuicem raptos fuiſſe. Verùm de Grotio maximum judicium ſemper fecit Bignonius, nec vnquam de laudibus ipſius tacere poterat.* Qui, *inquiebat,* erat incertum, vtrum mirabilior multitudine & mole librorum, an multitudine rerum; in quo (*quod de Thucydide & de Tacito*) tot verba tot ſententiæ; in quo grauitas ſententiarum pondere verborum exæquatur. De quo, *itidem aiebat,* incertum, vtrum clarior in literis humanis, in Iure Ciuili, an in Hiſtoria Vniuerſali, & Iure Eccleſiaſtico, vtrum illuſtrior in latebris & receſſu muſarum, an in rerum ciuilium & legationum negotiis. Denique nemo ferebatur à BIGNONIO inter nouarum Religionum ſectatores vt doctior, ita

Digitized by Google

& æquior, & qui per ſe propiùs veritatem attigiſſet.

*HVGO GROTIVS epiſt. ad Claud. Salmaſ.* VI. *Kal. Mart.* 1631. *Lutetiæ, in editione Lugduno-Batava* 1650. 121. Planè qui te indefenſum Lutetiæ velit, ei opus eſt, vt BIGNONIVM & me occidat. Et de me facile quidem eſt à meis faſtidito, ab externis recepto variè, vt ſunt tempora. At BIGNONIVM ſi quis interfecerit, eum ſpondeo in funere eius non appariturum, vel vmbra ſatis eſt. Non poſſum tibi dicere, quantum in dies gliſcat auctoritas viri haud dubiè eruditiſſimi eorum, quos toga complectitur, nec in alio certius literis & literas amantibus præſidium.

*Idem in Epiſt. ad Iohan. Cordeſium Canonic. Lemouic. data* 26. *Mart.* 1633. *editar.* 143. Ampliſſimo BIGNONIO, ſi precari velim quantum meretur, animo id concipere non poſſum, ne dum verbis exprimere.

*Idem ad Iohan. Cordeſium Canonicum Lemouicenſem in Epiſtola data Hamburgi Kal. Iun. ann.* 1633. *in edit. Lugd. Batau.* 148. Viro extra omnem comparationis aleam poſito BIGNONIO ſi memoriam mei tuo auxilio expergefieri poſcerem, injuriam fecerim conſtantiæ ipſius, in qua ille velut ſede ſolida virtutes cæteras collocauit. Patietur vir maximus hoc me ſolatium multis aduerſis opponere, quòd in illius animo viuere me confido, quem ego ſupra ſæculum hoc, ſupráque omnem quamuis ingeniorum feraciſſimam Galliam pono.

*Idem ad Iacobum Puteanum in epiſtola data eodem die & loco, editarum* 150. Inter amicos ſcis quem locum apud me obtineant BIGNONIVS & Thuanus. Hunc per majorum ſuorum incedere veſtigia, illum per ſua, cúmque ſui ordinis omnes diu vicerit, ſecum certare, eadem voluptate, qua ſpectare ſolebam, intelligo.

*Idem ad Iohan. Cordeſium die* XV. *Octob.* 1633. *in epiſtola editarum* 154. Ad virum omni laude ſuperiorem HIERONYMVM BIGNONIVM, cujus amicitia vbique me vendito, ſcriberem nunc quoque, ſed cùm epiſtola ipſius aurea ſanè, & animi vnde profecta eſt puritatem præferens, ſententiam meam de Clementis epiſtola, quæ in Anglia prodiit expetat; eam autem nondum acceperim, ſed expectem in dies; malui quod illi debeo, reſponſum differre, quàm otioſis vocibus ſanctiſſimas illius occupationes interſtrepere.

*Idem ad ipſum* HIERONYMVM BIGNONIVM *Francofurto* 17. *Iulij* 1634. *in epiſtola edition. Batava* 162. Hæc quæ mihi viſa, eadem libertate qua colloqui tecum conceſſeras, ad exactiſſimum de rebus omnibus judicium tuum vir omni ex parte incomparabilis defero; planéque mihi credas velim, virtutum tuarum imaginem ſemper mihi ob animum verſari, quas ſi vel longo interuallo detur ſub-

ſequi, ſatis mihi felix in quâuis fortunâ videar.

*Idem Hugo Grotius in præfat. de Veritate Relig. Chriſt.* Vocat BIGNONIVM virum de patriâ ſuâ, de literis, & de ſe quoque optimè meritum, tum addit vt qui omnia legi digna, & quidem tanto cum judicio legeris.

*Idem in Epiſtola dedicatoria eiuſdem libri, in edit. Lugd. Batau.195.* Peccem in juſtitiam ipſam ſi tempora ei in auguſtiſſimo loco exercendæ debita aliò diuertam. Sed audacem me facit Religionis Chriſtianæ tutela, pars juſtitiæ, tuique muneris magna, neque juſtitia finit vt acceſſio hæc ad quemquam priùs perueniat, quàm ad eum ex cujus nomine magnam tituli ſuperbiam liber præfert. Non dicam me partem poſcere de otio tuo, quod tibi tam latè diffuſa muneris functio non concedit; ſed cùm occupatis pro otio ſit negotiorum mutatio, rogo vt forenſes curas harum cartarum lectione diſtinguas, nec ſic quidem longè abibis ab actibus ſolitis, audies teſtes, vim teſtimoniorum expendes, judicium feres, ego judicatum faciam. Vale, Vir maxime, Lutet. 27. Auguſti anno 1639.

Monſieur BIGNON dans ſa lettre à M. Grotius du 5. Mars 1632.

*Pour moy, comme c'eſt vn honneur ſingulier d'auoir part en vos bonnes graces, & qui eſt capable de me faire croire autre que ie ne ſuis par la participation de voſtre ſplendeur, i'eſtime que ie vous ſuis en recompenſe vn ſuiet de gloire, eſtant occaſion de faire connoiſtre que vous obligez & affectionnez ceux qui ne le meritent pas, cela ne fait pas tort à voſtre iugement, mais donne de l'admiration à cauſe de voſtre bonté. Voſtre liure* de la Verité de la Religion Chreſtienne *en ſera vn monument perpetuel, & i'oſerai dire, que pour condeſcendre à mon deſir, ayant pris la peine de le donner au public, vous auez voulu que l'on m'en ſceuſt quelque gré. Ie ſuis réioüy qu'on en renouuelle l'edition, & voudrois que cela vous inuitaſt d'y adiouſter encore quelque choſe. Ie ne ſçay ſi vous approuueriez ce dont nous auons ſouuent parlé, qu'on y miſt les preuues des Autheurs Payens, qui dans l'erreur ont ſeruy de teſmoignage à la verité; mais i'oublie de vous remercier de l'exemplaire de voſtre liure* de Iure belli, *qui eſt autant bien imprimé que le ſuiet le merite. I'apprens qu'vn grand Roy le tient touſiours deuant luy, & ſuis tres-aiſe que cela ſoit,*

*parce qu'il n'en peut arriuer que du bien infiny, ce liure mettant la raiſon & la iuſtice en vne matiere qu'on croit ne conſiſter qu'en confuſion & iniuſtice. Ceux qui ſe plairont en cette lecture y apprendront les vrayes maximes de la Politique Chreſtienne, qui ſont les fondements ſolides de tout gouuernement. Ie l'ay releû auec vn merueilleux plaiſir.*

Le meſme dans vne autre lettre à M. Grotius du 6. Iuin 1632.

*Ie voudrois qu'on eut mieux conneû par deçà l'aduantage de vous auoir, & que nous euſſions ſceû conſeruer vn threſor qui ne s'eſt trouué depuis tant de ſiecles, & que ie ne croy pas qu'il en puiſſe arriuer vn ſemblable à l'aduenir, &c.*

Le meſme en vne autre Lettre à M. Grotius du 9. Nou. 1638. dit

*Que les paroles de M. Grotius ſont le ſuc & le conſommé de ſcience encore toute épurée & excellemment ordonnée.*

Le meſme dans vne autre Lettre écrite à M. Grotius du 7. Aouſt 1633.

*Ie ne ſçaurois durer ſi long temps ſans chercher l'occaſion de vous entretenir. Et quoy que la diſtance des lieux & l'interualle du temps qui ſe paſſe deuant qu'on puiſſe s'entrecommuniquer, rende enfin negligens ceux qui ſont éloignez les vns des autres, ſi ne puis-je en effet me tenir que ie ne ſurmonte cette pareſſe & ces empeſchements pour vous viſiter par lettres, puiſque i'ay perdu l'aduantage & la douceur de la preſence. I'en conſerue touſiours le ſouuenir ſi vif, que ie m'afflige de cette perte qui me doit eſtre d'autant plus ſenſible que i'en honore parfaitement le ſuiet, & que i'y ſuis eſtroitement obligé. Pourueu que vous vous portiez bien il ſuffit, & faut que vos amis acquieſcent à ce que vous auez iugé le meilleur. Ie prie Dieu qu'il vous donne tout ce qui ſe peut & ſe doit ſouhaiter à vn homme de voſtre merite par vne perſonne qui pardeſſus les raiſons publiques qui forcent tout le monde a vous venerer à toutes ſortes d'obligations pour ſe porter auec paſſion en voſtre endroit. Ie voudrois ſeulement auoir en main le moyen & l'occaſion de le pouuoir témoigner. Ie vous remercie de tout mon cœur du ſouuenir continu que vous auez de moy, & que vous monstrez par celles que vous écriuez par deçà. Ie ſuis ſi glorieux de cette faueur que i'en ſouhaitte la continuation, dont*

*ie vous ſupplie inſtament. Vous verrez par les Lettres que Monſieur de Cordes vous enuoye, la conteſtation qui s'eſt muë entre le Pere Sirmond & Petrus Aurelius* de duplici Chriſmatione. *Il me ſemble que l'on le prend au pied leué & que l'on veut reduire l'antiquité aux regles poſterieures. Ie voudrois bien ſçauoir quel eſt voſtre iugement de l'Epiſtre de S. Clement imprimée en Angleterre: la foy du Manuſcrit que l'on dit venu de Leuant & donné au Roy de la grand' Bretagne, la ſincerité de Patricius Iunius qui l'a publié, les lieux & teſmoignages des Anciens qui en ont cité des paſſages qui ſe trouuent en ce liure me l'ont premierement confirmé: puis ie ne ſçay quel air & eſprit du temps m'a ſemblé y paroiſtre ſi bien, qu'il n'y a pas lieu d'en douter: & toutefois ie confeſſe qu'en la conſiderant i'y trouue des choſes qui me ſemblent aucunement alienes du ſtyle Apoſtolique, i'y penſe voir des epithetes plus frequens, & des termes d'amplification qui ſentent la maniere d'eſcrire qui a eſté depuis, & comme celle des Liturgies & Euchologies des Grecs. L'argument & deſcription du Phœnix me paroiſt aliene d'vn S. Clement premier aprés les Apoſtres, quoy que ceux qui ont ſuiuy depuis s'en ſoient ſeruis, mais contre les Gentils & Philoſophes, & en des écrits, autres qu'vne Epiſtre adreſſée à vne Egliſe Apoſtolique que l'on a reputée pour vn temps comme Canonique. I'y trouue auſſi vn lieu où il veut que les oblations ſe faſſent par ordre & dans le temps & l'heure, pag. 52. & 53. où eſt auſſi le mot de Laïque qui m'eſt ſuſpect. Et en la pag. 62. il appelle l'Egliſe de Corinthe* ἀρχαίαν, *ce qui ne conuient guere à Saint Clement. Enfin, comme ie croy la piece vraye, i'eſtime neantmoins qu'elle peut contenir pluſieurs clauſes & mots adiouſtez par ceux qui l'ont depuis tranſcrite, ainſi qu'il eſt arriué à pluſieurs écrits de cette antiquité, & à S. Clement meſme: ie ſouhaitterois bien d'en ſçauoir voſtre ſentiment, qui ſeul auez le gouſt de telles choſes, & à qui il ſeroit mal-aiſé d'impoſer. Encore faut-il qu'à ce propos ie vous inuite, s'il eſtoit poſſible que vous nous donnaſſiez & au public vos Notes ſur le Nouueau Teſtament, ie croy que vous eſtes en lieu où la commodité & la liberté de l'impreſſion ſe trouue. Vous obligeriez fort le public ſi vous preniez cette reſolution, &c. Ie ſuis.*

*La Reſponſe de M. GROTIVS à cette Lettre ſe trouue la 162. dans le volume de ſes Lettres, imprimées en 1650. elle eſt du 17. Iuillet 1634. que le Lecteur curieux peut voir auſſi-bien que celle du meſme M. Grotius écrite à M. des Cordes, du 15. Octobre 1633. qui eſt la 154. de cette edition.*

Lettre écrite à M. Grotius par M. BIGNON, du 28. Aouſt 1634.

*I'eſtois tout rauy d'aiſe & de contentement, ſçachant que vous eſtiez approché de nous, & par vne vocation honorable digne du ſoin & du iugement d'vn Seigneur, dont l'on admire tous les iours le courage & la conduite, comme de celuy qui eſtoit le Conſeil & le grand Chancelier d'vn Monarque conquerant, mais qui de plus ſe trouue auiourd'huy le genie merueilleux qui conſerue & augmente les conqueſtes du nom & du party Suedois. Ie penſois à vous écrire pour m'en réjouïr auec vous, & vous ſalüer par mes lettres quand les voſtres du 17. du paſſé me furent renduës auant-hier. Ie ioins donc à preſent pluſieurs offices enſemble & le compliment à voſtre arriuée prés de nos frontieres, & la felicitation de voſtre employ, auec tous les ſentiments que vous pouuez croire de la part d'vne perſonne qui vous a tousjours parfaitement honoré, qui vous a beaucoup d'obligation & dont l'abſence d'vn tel objet augmente infiniment le deſir. I'y adjouſte les vœux de tout ce que vous pouuez deſirer, mais pluſtoſt de ce que tout le monde vous doit procurer & ſouhaitter. Ie meſle encore en celle-cy le remerciment tres-humble d'vne ſi belle & obligeante lettre, & du jugement docte & ſolide que vous faites de l'Epiſtre de Clement : il n'y a que vous aujourd'huy qui puiſſe decider d'vn clin d'œil ces matieres, & rendre à chaque ſiecle & chaque Autheur ce qu'il merite, & le fruit que l'on en peut tirer. Vos raiſons ſont ſans contredit, & l'authorité de voſtre deciſion doit eſtre ſouueraine ; i'aduouë que i'auois tenuë pour vraye cette piece, ſans difficulté, mais ie me defiois de quelques termes ou periodes adiouſtées par la licence des tranſcriueurs : vous me leuez ce doubte, & i'acquieſce, ſinon que la narration du Phœnix me pique encore, comme plus ample & plus ſophiſte que le ſtile Apoſtolique ne ſembloit permettre, outre que cette fable quoy que*

*depuis employée par les Autheurs Chreſtiens, peut auſſi eſtre conſiderée comme aucunement aliene des eſcrits du premier Succeſſeur des Apoſtres, & principalement en la façon qu'elle eſt eſtenduë: car autrement il n'y auroit rien de ſi extraordinaire de voir qu'il ſe fuſt ſimplement ſeruy du teſmoignage d'vne choſe qui eſtoit lors creuë, pour inuiter les Gentils à receuoir plus auant la verité de la doctrine Chreſtienne, comme S. Paul s'eſt ſeruy de l'occaſion de l'inſcription du Dieu inconnu, mais par tranſport & application en autre ſens que celuy de l'opinion commune & de ce que vouloit dire la baze de cét autel profane. Ie croyois donc cette deſcription adiouſtée à vne ſimple mention qu'il euſt pû faire du Phœnix, mais ie me rends à voſtre meilleur aduis, & il ne m'appartient pas de le conteſter. Ie vous remercie encore vn coup de cette faueur & de tant d'amitié & de bien-veillance que vous ne ceſſez de me porter, tout mon regret eſtant qu'il faille que ie viue & que ie meure ingrat en voſtre endroit, mais ſi c'eſt à la reconnoiſſance interieure qu'il faut meſurer la gratitude, & ſi cette diſpoſition d'eſprit ſe remarque par les paroles & autres actions; ie vous ſupplie de croire que vous n'auez jamais obligé perſonne qui en profeſſe plus de ſentiment ny qui en conſerue la memoire plus viue. C'eſt ce qui m'enhardit à vous ſupplier de continuer, & que ny la diſtance des lieux ny la longueur du temps ne vous faſſent oublier vne perſonne qui n'a rien pour cela de recommandable que l'honneur de l'amitié que vous luy auez portée. Si ie ſçay que vous faiſiez encore quelque ſeiour par delà, ie prendray la liberté de vous entretenir, ou pluſtoſt importuner dauantage, & ſur l'eſperance que l'on m'a donnée de me faire recouurer l'Epiſtre de S. Barnabé, i'oſeray vous promettre à propos de celle de S. Clement, de vous en faire part. Cependant ie vous baiſe mille fois les mains, & ſuis.*

*HIERONYMVS BIGNONIVS,*
*HVGONI GROTIO ſalutem.*

Cùm à ſtudiis grauioribus ſtomachi morbus me retraheret, dúmque aptiſſimam huic vitio medicinam, & corpori alimenta pauca & optima ingererem, fuit interim cura animum quoque bre-

ui

Digitized by Google

ni aliqua ſed vtili ſimúlque jucunda lectione reficere. Itaque ne inani prorſus otio torpeſcerem, Tertulliani Apologeticum ſæpe jam lectum in manus ſumpſi, quem librum cùm non ſæculi omnem modò contineat diſciplinam, quod olim à HIERONYMO notatum, ſed Eccleſiæ primam illam verámque effigiem ſatis exactè repræſentet, nobis ediſcendum, non modò in manibus cottidie habendum optimè omnium noſti, Virorum Maxime. Certè licèt Africani ſtyli durities, & menda non pauca, quibus adhuc horret, legentem aliquantum detineant, & attentum omnino diligentémque deſiderent, ad ſingula tamen penè verba reſtitiſſe, omnéſque clauſulas expendiſſe, eſt quod dici poſſit id in tantæ eruditionis ſcriptore, vſui magis & voluptati, quàm vlli moleſtiæ imputandum. Et quamuis difficiliora quæque ſola ferè interpunctione, vel obſcurioris tantùm locutionis obſeruatione laborare, magni viri iam monuerint, reſtant nihilominus loci aliquot iamdudum depoſiti, in quibus planè hærere, & tantum auctorem mutilum lacerúmque ſpectare nimis porro acerbum & luctuoſum videri debet: vt ferè difficiles nugas ſibi quærere amat humanus animus, in his præcipuè me nuper exercui, & medicinam aliquam facere auſus ſum, ratus per Hippocratis leges id cuicumque licere. An aliquid fuerim aſſequutus tu æſtimabis, humaniſſime GROTI, cui ceu præſtantiſſimo ſummóque Muſarum Sacerdoti recténe anſecus curata ſint malitioſa iſta vlcera, ius eſt poteſtáſque pronuntiandi.

Ex pleriſque igitur quæ attigi tres locos tibi nunc offero, non tam à te probandos, quàm de nouo curandos. Fortiora enim remedia poſcunt, & planè χεῖρας ϑεῶν, hoc eſt opem à te auxiliúmque implorant. His certè optimè conſuluiſſe videbor, ſi cùm ab aliis ſint deſperati & deplorati, eos ego in auguſtiſſimæ mentis diuiníque ingenij tui ſacrario depoſuerim, vnde valentes & ſani reuerterentur.

Locus in emendatioribus quibuſque libris ita conceptus legitur: *ſed noua jam Dei noſtri in iſta ciuitate proximè editio publicata eſt, ex quo quidam in fruſtrandis beſtiis mercenarius noxius picturam propoſuit cum eiuſmodi inſcriptione:* DEVS CHRISTIANORVM ONONYCHITES: ( Pureani codex habet onocho eteſtis, Vaticanus onochorſitis ) *is erat auribus aſininis altero pede vngulatus librum geſtans & togatus. Riſimus & nomen & formam.* Fr. Zephyrus qui primus Apologetici interpretationem tentauit rudi ſæculo, de homine mercenario gladiatore noxio accipit, qui ſuâ noxâ ad beſtias damnandus, cùm illas à ſui corporis paſtu vel corporis robore vel iniquitate iudicum defraudaret, velut glorioſus miles tabulam propoſuerat in qua quòd eſſet monſtrum depictum Chriſtum diceret. Pamelius,



Digitized by Google

hoc Catone contentus ſolam ononychitis vocem vt vulgò concepta legitur tueri voluit, reiectis Vaticani & Puteani librorum variis lectionibus. Iunius ad meridianos refert, *qui mercede*, inquit, *in fruſtrandis beſtiis, id eſt deludendis aut debellandis & trucidandis occupantur.* Idémque paulò antè dixerat ſuauiùs, *meridianos dici gladiatores mercenarios, qui ſub meridiem pugnabant, vt prandium quod ſibi deerat ſcelere gladiatorio compararent.* Vnde iſtud hauſerit neſcio, ſed ſi Senecam conſuluiſſet, poterat hac diuinatione abſtinere.

Optimè Deſ. Heraldus locum obſcurum confeſſus eſt; neque fortaſſe, inquit, ſatis ſanum. *Quorſum enim ait, noxius? Quid ſibi vult mercenarius noxius?* ſed cùm τὸ noxius gloſſema putat, & de Pſyllis & Marſis circulatoribus loqui Tertullianum credit, qui beſtias ſiue ſerpentes populo innocenter attrectandos præberent. Nec is longiùs, meo iudicio, à Tertulliani mente aberrauit, quàm Iunius quem notat; qui dum meridianorum crudelitatem, quam antè exagitauerat Septimius, huc referri poſſe opinatus eſt: non in alio ſaltem genere quæſiit loci explicationem, quàm in ea ipſa re de qua agere Tertullianum, hoc eſt de ſpectaculorum editione dubitari non poſſet. Miror tamen tantos viros adeò hîc cæcuriſſe, vt ex illorum qualicumque interpretatione nihil ſani, & quod ad rem vel ſenſum authoris faciat, haurire queas. Quod non eo animo à me dici optimè intelligis, mi Groti, vt eorum laboribus & diligentiæ obtrectem aut inuideam. Non enim is ſum qui ſoleam ſpiritus mihi ſumere & arrogantiam, ſatis quippe propriæ imperitiæ conſcius. Neminem ſanè literatorum ſua laude fraudatum vellem, vel vbi labi illorum aliquem contingeret. Noui etiam vada eiuſmodi priuatorum periculo, bono publico tentari, hîſque erroribus lumen aliquod accendi, quò viam commodiùs munire valeant qui ſequuntur.

Deprauatum autem locum vt credam non ſanè Oedipo opus, ita manifeſtè mendoſa lectio ſe prodit; quam ſi leui aliqua mutatione ſanemus ducta ex veſtigio litterarum, & alterius loci collatione coniectura, forſan aliquid inde confici poterit. Certè tutior & aliquatenus modeſtior is videtur veteres ſcriptores emendandi, quàm ſingula quæ non placent audacter expungere, quiduis pro libitu reſcribere, & probationis loco propriam auctoritatem, ſolámque diuinationem adferre. Eum ergo locum emendatum ſic lego: *Ex quo quidam in fruſtrandis beſtiis munerarius noxij picturam propoſuit.* Vt ſit ſenſus, Catthagine munerarium aliquem in ſpectaculorum editione noxij picturam propoſuiſſe, hoc eſt, non nocentem & damnatum hominem, ſed hominis effigiem induxiſſe pilam (vt in eo genere diceba-

Digitized by Google

tur) quæ beſtias eam adorientes ementita figura fruſtraretur & eluderet. Sic pro carne humana quam feræ adpetebant, vimen, tomentum, ſtramen vel quid ſimile, quo conſtrui & inferciri eiuſmodi pilæ ſolerent, exhibita ſunt, & cædis loco ſpectata factitij hominis laceratio, qui Deum Chriſtianorum ridiculo modo expreſſerat. Nam in capite aſinino quid intellexerit impius ille, ſatis ex Tacito patet, qui cùm id Iudæis objectum narret, mirum non eſt ſi Chriſtiani primis temporibus Iudæi ab Ethnicis dicti, eodem calumniarum genere ſimilibúſque penè mendaciis peterentur. Libri geſtatio, ſacrarum Scripturarum apud Chriſtianos aſſiduam lectionem, & vbique prædicatam auctoritatem, denotare videtur, eodem modo quo Iuuenalis arcanum Moſis volumen traducit. At cur toga, quæ veſtis propriè Romana non Iudaïca, ne Græcanica quidem, appoſita ſit non video.

Iam munerarij vocem fuiſſe illo ſæculo vſitatiſſimam, ex quo Auguſtus eam primus, Fabio auctore, vſurpauit, notius eſt quàm vt probandum ſit. Vnicum tamen afferam Senecæ patris teſtimonium, quod huic Tertullianeo illuſtrando aliquid faciat. *Quod munerarij ſolent facere ad expectationem populi detinendam, vt ſit quod populum & delectet & reuocet, hoc ego facio ſemel.* Muneratorem dixit Florus vbi de Spartaco, quem priſtinum dedecus obliteraturum ſperaſſe ait, ſi captiuos in ducum ſuorum obſequiis committendo *ſic ex gladiatore munerator fieret.* Vbi tamen nuperus quidam interpres noſtrâ linguâ diſertus liberalem & munificum alieniſſimo ſenſu vertere non dubitauit. Ludit hîc ergo ſuo more Tertullianus ſpectaculorum iſtum editorem, qui deridendos Chriſtianos propoſuerat, quaſi parum ſui nominis officio reſpondiſſet. Munerarij quippe eſſe beſtias paſcere non figmentis fruſtrari, noxiorum pœnam ſub aliquo argumento exhibere non ſola pictura & ſtramentitiis pilis noxios fingendo frigido prorſus ludo (vt erant tempora) ſpectantium oculos detinere. *In fruſtandis beſtiis munerarius*, egregius ſcilicet munerarius, inquit, noxij tantùm picturam propoſuit, cùm potiùs in more eſſet editoribus ſi ſplendidi, elegantes, planéque munifici eſſe vellent, & ne cædes & homicidia mera ſpectarentur, quod de meridianis queritur Seneca epiſt. VII. ſceleratorum pœnas quodam fabulæ apparatu velare idem Tertullianus Apolog. cap. XV. *Religioſiores eſtis in cauea, vbi ſuper ſanguinem humanum, ſuper inquinamenta pœnarum proinde ſaltant Dij veſtri argumenta & hiſtorias noxiis miniſtrantes, niſi quod & ipſos Deos veſtros ſæpe noxij induant.* Vidimus aliquando caſtratum Atyn illum Deum ex Peſſinunte, & qui viuus *ardebat Herculem induerat.* Sic de Laureoli pœna Martialis:

*Nuda Caledonio ſic pectora prebuit vrſo.*

*Non falſa pendens in cruce Laureolus;*
*Vicerat antiqua ſceleratus crimina fama.*

Idémque de Orphei laniarione in amphitheatro exhibita:

*Ipſe ſed ingrato iacuit laceratus ab vrſo.*

*Hac tamen vt res eſt facta, ita ficta alia eſt.* Et quemadmodum Domitianum laudat Martialis, quòd in pœna nocentium ſcenæ ſpeciem arena præbuerit, hîc contrà Tertullianus editorem arguit, qui atrocitate arenæ, vt ipſe alibi loquitur, in theatrum verſa beſtias ſolâ noxij pictura pauerit. Vt verò conjecturam fitmem pleniùs, *munerarij* vocem minùs à deſcriptore non ſatis ſanè antiquario intellectam, aut malè lectam, in τὸ mercenarius degeneraſſe, ex ductu & ſimilitudine litterarum ſyllabarúmque numero ſuſpicari non difficile eſt. Sed vt ita Tertullianum ſcripſiſſe crederem fecit inſignis ejuſdem auctoris in hoc ipſo libro locus cap. XLIV. *De veſtris ſemper metalla ſuſpirant, de veſtris ſemper beſtiæ ſaginantur, de veſtris ſemper munerarij noxiorum greges paſcunt. Nemo illic Chriſtianus, niſi planè tantùm Chriſtianus, aut ſi & aliud, jam non Chriſtianus.* Item illi qui munere in arena noxiorum ſanguinem tecentem de iugulo decurreutem exceptum auida ſiti comitiali morbo medentes ſumpſerunt.

Locus alter quem medicandum ſumpſimus, extat ejuſdem Apologetici cap. XLVIII. *Age jam ſi qui Philoſophus affirmet, vt ait Laberius de ſententia Pythagoræ, hominem fieri ex mulo, colubrum ex muliere, &c. Nonne conſenſum mouebit, &c. At enim Chriſtianus ſi de homine hominem, ipsúmque de Caio Caium reducem repromittat, lapidibus magis ne ſaltem ceſtibus à populo exigetur. Si quacumque ratio præeſt animarum humanarum reciprocandarum in corpora, cur non in eamdem ſubſtantiam redeant, cùm hoc ſit reſtitui id eſſe quod fuerat?*

Præclarè omnino fecit Iunius quòd variarum lectionum ſiluam ex Fuluij Vrſini codice jam peractæ editioni ſuæ adiecerit. Nam ex optimo codice deſcriptæ ſunt, & veram ferè vbique Tertulliani mentem aperiunt: hîc certè reponenda docent quæ vulgò leguntur decurtata: *Si de homine hominem, ipsúmque de Caio Caium reducem repromittat, ſtatim illic veſica quæritur, & lapidibus magis nec ſaltem copiis à populo exigetur: quaſi non quacumque ratio præeſt* (lego præeat) *animarum humanarum in corpora reciprocandarum* (lego iterum recipiendarum) *ipſa exigat illas in eadem corpora reuocari; quia hoc ſit reuocari, id eſſe quod fuerant.* Sic planiùs leguntur hæc pura puta Tertullianica, & expoſitione tantùm indigent. Paulò antè Tertullianus dixerat Chriſtianorum dogma ab Ethnicis irrideri: *Itaque*, inquit, *& ridemur Deum prædicantes judicaturum: ſic enim & Poëtæ & Philo-*

Digitized by Google

*ſophi tribunal apud inferos ponunt. Si gehennam comminemur, quæ eſt ignis arcani ſubterraneus ad pœnam theſaurus, proinde decachinnamur.* Nunc addit: *ſi Pythagoreus aliquis* μετεμψύχωσιν *doceat, cum aſſenſu auditur. At Chriſtianus ſi reſurrectionis fidem prædicet, ſtatim veſica quæritur,* hoc eſt irridetur ab omnibus, *& in illius contumeliam veſica ſuper caput eius diſplodenda quæritur: lapidibus denique caput eius petet fugabítque populus, nec furenti illi ſatis erit intra verba peccare.* Tangit hunc morem Seneca natural. quæſt. l. II. cap. XXVII. *Aliud genus eſt quod crepitum magis dixerim quàm ſonum, qualem audire ſolemus cùm ſuper caput alicuius dirupta veſica eſt.* Vnde Sidonius lib. II. Epiſt. XIII. paraſitum, quòd videlicet has contumelias ventris cauſa pateretur, *veſicarum ruptorem & ferularum fractorem* vocat.

Sed quæ ſequuntur difficiliora ſunt, neque fortaſſe omnino ſana: *Lapidibus magis, nec ſaltem cædibus à populo exigetur.* Peſſimè ſie in vulgatis, *cædibus*, quaſi morte affici minus ſit, quàm lapidibus peti, cùm hæ particulæ, *nec ſaltem*, manifeſtè minuant quæ præcedunt. Item cædibus pluralis locutio non conuenit, cùm ſingulari dictione Chriſtianus, de quo agitur, Ful. Vrſini codex, teſte Iunio, habuit *lapidibus magis nec ſaltem copiis à populo exigetur.* Itaque diuinabam legendum, *cachinnis*, ex ſuprà allato Tertulliani loco. Tentabam præterea num *cottabis* legi poſſet, cùm is ſit conuiuialis luſus ſpecies; vbi ſonus editur, teſtibus Athenæo & Polluce; ideóque veſicæ ruptæ aut rumpendæ poterat conuenire; vt interim omittam hanc etiam vocem indiſtinctè pro ludo alicubi ab Euripide vſurpatam. Simpliciùs quoque *contumeliis* id ſenſu poſtulante reſcribi poterat. Denique plura eiuſmodi ſatis probabiliter fingi certè vulgata lectione meliora, in vetuſti codicis eiuſdémque optimi ſcriptura, dum adeò iuuamur ex ea, aliquid immutare religio eſſet.

Et quia apud amicum audaciùs aliquid tentare licet, cùm de ſenſu & mente auctoris conſtet, dicerem omnino *copiis* retinendum, & ita verè ſcriptum fuiſſe ab ipſo Tertulliano mihi facilè perſuadeo. Extat enim ea vox Græca quamuis alio ſenſu, ſed vnde illius origo ſit in Nouo Teſtamento, vt Matth. VI. & Ioannis IV, & apud alios ſæpe etiam occurrit. Et vt à labore & fatigatione corporis facetiarum & ſalium amari luſus, fatigationes dictæ, quòd audientibus illa ſint onerosa & ingrata, χαλεπὸν ἀκρόαμα ϗ φορτικὸν: vnde & Pythagoras dicitur abſtinuiſſe σκωμμάτων ϗ διηγημάτων φορτικῶν, cur non itidem dici poſſit ipſam vocem Græcam *copia* in eam quoque ſignificationem tranſlatam, & in Africa, alibíque etiam in partibus Occidentis Tertulliani æuo vſurpatam, vt copiæ dicerentur quaſi ſannæ & fatigationes. Quamquam & ipſe Tertullianus Græcis paſſim phra-

ſibus & peregrinis vocibus loqui ſolet, & fortaſſe nouis etiam locutionibus vti non dubitat. Sic *copiatæ* poſtea dicti, qui in Eccleſia humandis cadaueribus darent operam, longè quidem alio ſenſu, ſed ab eadem origine *recenti vſu*, vt dicitur à Conſtantio Imp. in l. xv. C. Theod. de Epiſcopis & Clericis: ſanè fatigationes pro ſalibus dici notiſſimum eſt. Seuerus Sulpitius Dial. I. *Tum ille ſicut eſt verecundiſſimus aliquantulum erubeſcens dum fatigationem meam accepit: facis, inquit, Sulpiti, tuo more, qui nullam occaſionem ſi qua tibi porrecta fuerit omittis, quin nos edacitatis fatiges.* Cæterùm eius quod Tertullianus dixit reſurrectionis dogma ab Ethnicis irrideri, & cachinnis excipi, inſigne extat in Apoſtolica etiam hiſtoria exemplum, Act. XVII. 32. de Pauli apud Athenienſes prædicatione, ἀκούσαντες δὲ ἀνάστασιν νεκρῶν, οἱ μὲν ἐχλεύαζον, οἱ δὲ εἶπον ἀκουσόμεθά σου πάλιν περὶ τούτου.

Tertius locus legitur Apologetici cap. IX. *In primis filios exponitis ſuſcipiendos ab aliqua prætereunte miſericordia extranea, vel adoptandos melioribus parentibus emancipatis.* Num hoc, vt credo, voluit Tertullianus exponi, ab Ethnicis liberos ſuſcipiendos ab aliquo tranſeunte, abdicatis melioribus veriſque parentibus: ſed potiùs hoc tantùm exponi liberos ſuſcipiendos ab aliis, quod Iuriſconſulti noſtri dicunt, alienæ miſericordiæ exponi quam ipſi non habent. Itaque ſic lego: *in primis filios exponitis ſuſcipiendos ab aliqua prætereunte miſericordia:* quod ſequitur, *extranea*, expungo. Abundat enim & videtur irrepſiſſe ex eo quòd qui ignorarunt elegantiam horum verborum ab aliqua *prætereunte miſericordia*: ex *miſericordia* fecerunt *matre extranea*; vt in Rhenani & aliorum editionibus videre eſt. Sed vbi τὸ *miſericordia* ex fide veterum librorum repoſitum eſt: τὸ *extranea* manſit ſupervacuè. Eſſet enim inelegans omnino pleonaſmus à Tertulliani ſtylo alieniſſimus: *vel adoptandos melioribus, à parentibus mancipatos.* Sic enim diſtinguo & emendo mutatâ vnâ literulâ, additâ alterâ. Alioqui meo iudicio ſenſus non conſtat, locúſque ita conceptus non vulgatam (vt quidem exiſtimo) exhibet elegantiam. Eſt enim lepida Ethnicorum inſectatio, qui ſæuum hunc & inhumanum liberos exponendi morem prætextu inopiæ excuſare ſoliti, meliores infantibus expoſitis ſic ſæpe parentes contingere dicebant. Hos igitur Tertullianus non Italico ſed potiùs Africano aceto perfundit, dum eleganter innuit liberorum expoſitionem non iam crimen dici poſſe (ita peſſimus mos inualuerat) ſed in adoptionis modum frequentari, cùm ſic verus pater jus patriæ poteſtatis amittere videretur, & meliori, hoc eſt educatori, quodammodo in adoptionem dare; quæ ſanè frequentior fuit olim adoptionum cauſa, vt ſic liberis pauperiores conſulerent. Vnde apparet Tertullianum Iuris Romani

peritiſſimum, quíque aliàs ſæpe petitis è Iure verbis vti libenter ſolet, ad ius moréinque ſui temporis alluſiſſe, & mancipationis vocabulo vſum, quia ſic ſolemnis adoptio apud Prætorem cæteróſque Magiſtratus celebrabatur, apud quos lege agi poterat: nec enim patria poteſtas niſi trina mancipatione tollebatur, vt ex Halicarnaſſæo, præter noſtri Iuris auctores, notiſſimum eſt. Gellius lib. 5. cap. XIX. *Adoptantur cùm à parente in cuius poteſtate ſunt tertia mancipatione in iure ceduntur.* Parentes etiam qui exponerent ius patriæ poteſtatis tantiſper amittere ex leg. 11. Cod. de infantibus expoſitis: & Quintiliano colligitur: ſic enim iſte Declam. CCLXXVIII. *Vis ſcire quàm pater non fueris, recipere illum niſi ſolutis alimentis non potuiſti. Lex tibi dicit: Alienus eſt, & tibi vt pater eſſe incipias emendus.*

Sed me iam nimis diu tua humanitate abuſum video, qui leuia hæc neque ſatis tanto iudice digna, tamen ſcribere tibique offerre auſus ſim. Rogo te ergo, virorum amiciſſime, vt oblectamentum otij noſtri, quod per valetudinem rectiùs ponere non licuit, benignè, vt ſoles omnia, interpreteris. Et ſi hæc vt ægri ſomnia tandem rideas (quid enim aliud nugæ eiuſmodi dici poſſunt) per me ſanè licet, dum meliora doceas, tenebríſque noſtris lucem tuam affundas. Vale XVII. Kal. Decemb. CIƆIƆCXXX.

*LINDENBROGIVS in Præfatione ad Codicem legum antiquarum. de Marculpho.*

Marculphus Monachus qui formularum librum compoſuit, quis fuerit non facilè dixerim. In veteribus bibliothecis Marculphi cuiuſdam Abbatis vitam extare ſcio, ſed cujus tanti non intereſt hic prolixiùs meminiſſe, ſufficit quòd librum hunc nobis reliquit, quem profectò ſummi noſtræ ætatis Iuriſconſulti, Cujacius, Briſſonius, Pithœus, &c. tanti fecerunt, vt non faſtidierint ex eo formulas quaſdam eruditiſſimis ſuis ſcriptis interſerere.

*IN MARCVLPHVM NOTIS INSIGNIBVS illuſtratum à ſummo quondam viro Domino* HIERONYMO BIGNONO, &c.

Vt bene fulgenti nequeunt ſine lampade cerni
  Corpora in obſcuro conſpicienda loco,
Nec ſine BIGNONI penetranti luce paterent
  Edita nunc Francis jura vetuſta ſuis.

Digitized by Google

# TESTIMONIA.

Huic ſi tanta dari potuiſſent otia quantis
  Prædit us ingenij dotibus ipſe fuit,
Vix foret in terris regio non plena laborum,
  Quos valuit tanti mens peperiſſe viri.
Fato dempta ſuo patriæ benefacta repenſant
  Pignora tam charo ſanguine creta duo,
Patria primæuo ceſſerunt munera fratri,
  Quæ ſolet in ſummo clarus obire foro.
Conſiliis alter ſublimi floret in aula
  Supplicibus validam ferre ſuëtus opem.
Cultores ambo famæ memoréſque paternæ
  Certant hanc ſtudio ſpargere quiſque pari.
Iam priſcos adeò non jactet Roma Latinos,
  Vt nihil eloquio par velit eſſe ſuo,
Gallia Romanæ potis eſt non cedere genti,
  Nec minor eſt hujus laúſque decúſque domus.

EMVNDVS MERCIERVS.

MAR-

24

# MARCVLFI

## FORMVLÆ

ee

Digitized by Google

Illuſtriſſimo Ampliſſimoque Viro NICOLAO BRVLARTO SILERIO, Franciæ Cancellario, HIERONYMVS BIGNONIVS S. D.

PVBLICORVM *priuatorúmque negotiorum vetuſtiſſimas formulas à Marculfo & aliis eiuſdem fere ætatis ſcriptoribus concinnatas alterius, quàm tui nominis auſpiciis*, VIR ILLVSTRISSIME, *in publicum proferre nolui, nec ſanè debui. Principalium namque exempla litterarum & Regum noſtrorum diplomata, ampliſſima dignitas iure quodam ſuo ſibi vindicabat: alioqui enim in leges commiſiſſe meritò putarer, quæ anuli & imaginis Principum cui præpoſitus es rationem omnem tibi reddi ſanxerunt. Iudiciorum quoque antiquiſſimum ordinem, negotiorum omnium gerendorum formam, quæ apud maiores noſtros frequentabantur, non alium præter te patronum quærere par erat: te inquam quem togæ ſummum decus, legum ſacratiſſimarum cuſtodem & gloriam litterarum non tam illuſtriſſimi muneris auctoritate quàm meritis omnes agnoſcunt. Doleo ſanè Marculfum noſtrum, tritâ, obſoletâ & omnino ruſticâ veſte, amplitudinem tuam ſalutare; ſed ſenex eſt & ſeptuaginta iam annos natum ſe ſcripſiſſe teſtatur: nunc certè nongentis aut mille annis maior eſt, ſæculúmque ſine fuco repræſentat. Erunt fortaſſe qui ſpecie magis quàm veritate capti horridam*



Digitized by Google

*illius canitiem aſpernabuntur. Tu verò,* AMPLISSIME BRVLARTE, *omnium minimè ignoras hiſtoriam, & quæ ad eam pertinent, non tantùm delectare, ſed & omnino neceſſariam eſſe quomodocumque illa ſcripta ſit, atque etiam vndique exquirendam. Tum à maioribus noſtris ſermonis elegantiam & extranei eloquij peritiam exigere fruſtra ac forſitan inhumanum eſſet, quando ineſt omnibus rebus velut quidam orbis, adeò vt ipſi quoque Romani non modò moribus ſed eloquio à patribus degenerarint, vt diſertiſſimus ille Afer Tertullianus teſtatur. Vnum illud ſpondere auſim plura hunc librum in receſſu præſtare quàm in fronte polliceatur. Rerum ſiquidem noſtrarum infinitas origines aperit, & permulta antiquitatis noſtræ arcana recludit, quæ antea latuerant, denique omnino ad hiſtoriæ & Iuris Francorum illuſtrationem confert. Quo etiam nomine tibi hoc opus deberi nemo negauerit, qui & omnis generis diſciplinas apprime calles, & horum ſtudiorum ſcientiſſimus exiſtis. Prætereo præſtantiſſimas ingenij dotes, feliciſſimè obitas legationes, maxima regni negotia à te geſta olim, hodiéque geri: quin & altæ pacis quâ fruimur præcipuum auctorem, adiutorem, & miniſtrum fuiſſe, ei conſeruandæ ſub maximi regis auſpiciis diu elaboraſſe, ac tandem veluti clauo reipublicæ dies noctéſque incumbere. Quæquidem latiùs perſequenda pòſt eſſent, nî & laudum tuarum copia & ingenij noſtri tenuitas obſtaret. Accipe igitur hoc munuſculum ſuâ quidem naturâ tibi debitum, ab illo autem oblatum, qui & virtutum admiratione & beneficij memoriâ ſe tibi deuinctum eſſe profitetur. Me quippe memini cùm principi incomparabili Henrico Magno munuſculum litterarium de regum noſtrorum dignita-*

*te ſalutaturus adferrem, memini inquam me à te illi commendatum, tantáque comitate exceptum fuiſſe, vt planè ingratus ſim nî perpetuò meminerim. Sit ergo exiguum hoc donum mei in te obſequij & obſeruantiæ pignus, dum poſſim maiora, quæque te magis deceant exequi. Vale,* VIR AMPLISSIME. *Lutetiæ Pariſiorum Kal. Decembris* CIƆIƆCXII.

# LECTORI
## *HIERONYMVS BIGNONIVS.*

MARCVLFI quem nunc damus, ERVDITE LECTOR, plures docti viri meminerunt. Sed quis fuerit & quo tempore vixerit, nihil certi ab illis proditum eſt. Quidam verò in vniuerſum circa primam regum noſtrorum familiam illius tempora conjecerunt. Adhuc tamen dubium remanebat ex librorum varietate, quibus permulta poſterioris ætatis ſcriptores infarcierant. Verùm exemplar quod nacti ſumus omnium facilè optimum nos ampliùs dubitare non ſinit. Præfixa ſiquidem ab auctore ipſo Epiſtola docet profeſſione monachum & ſeptuaginta annos natum cùm hæc ſcriberet fuiſſe. Deinde cùm Landerico Papæ opus inſcribat, facilè apparet Landericum illum Pariſiorum Epiſcopum fuiſſe, qui Chlodoueo Dagoberti filio rege claruit, circa an. æræ Chriſtianæ DCLX. Nulli quippe alij Galliarum Epiſcopi hoc nomine reperiuntur, neque Landerici Pariſienſis tempore, neque multis pòſt annis. Tum Papæ nomen omnibus Epiſcopis paſſim tribui ſolitum ſub primâ Regum Francorum dynaſtiâ notum eſt. Quod licèt ſub ſecundâ aliquatenus continuatum ſit, rariùs certè vſurpatum repetitur. Accedunt & aliæ certiſſimæ conjecturæ ex totius libri lectione, quibus permulta occurrunt, quæ vix poſſunt ad aliud tempus referri, & planè Merouingorum ſæculum redolent. Quis enim cùm Maiorum domus non ſemel repetitam mentionem aduerterit, non continuò deprehendat eo tempore Marculfum

ſcripſiſſe, quo Maiores domus, vice Regia omnia regni negotia pertractabant, imò verè ſub alieni nominis ſpecie imperabant? quod à Dagoberto cœpiſſe ſcriptores notant. Omitto patritios ſæpius nominatos, quos ſub Carolinis rarò aut nuſquam reperiri à doctis obſeruatum eſt. Alia ſunt infinita indicia quæ cordatus lector facilè animaduertet. In quâ autem ciuitate Narculfus vixerit, ex qua ſit oriundus, aut cuius cœnobij Monachus extiterit, nobis planè incompertum eſt. Quòd ſi diuinare liceret, ſuſpicarer eum in aliquo Pariſienſis Diœceſis monaſterio regulariter vixiſſe cum Landerico Pariſiorum antiſtiti librum ſuum inſcribat. Quicquid ſit vtiliſſimus certè auctor eſt, & à doctis non fruſtra expetitus. Nam vt omittam eo ſeculo ſcripſiſſe cuius pauca nobis hodie ſuperſunt monumenta, ſanè permultas docet rerum noſtrarum origines, magiſtratuum & dignitatum munia, iuris dicendi formam, quæ tum recepta erat. Ius denique ipſum quo maiores noſtri vtebantur, clarè oſtendit, quando non aliud certius iuris obſeruati indicium requiri poteſt, quàm cuius vſum ex formulis tum vſitatis deprehendimus. Quæ pars noſtræ antiquitatis vt inter cæteras fructuoſa, ita obſcuriſſima & intacta ferè remanſit: quo nomine doctis omnibus & noſtri iuris peritis acceptiorem Marculfum fore confido. Leges quoque veteres, Salica ſcilicet, Ribuaria, Alamannica, Saxonica, Baiuuarica & cæteræ eiuſmodi quæ à Germanicis gentibus tot ſeculis obſeruatæ ſunt, non alium meliorem habent interpretem. Idipſum de Caroli Magni, Ludouici Pij, & Caroli Calui conſtitutionibus, ſeu vt tum dicebant capitulis, dici poteſt. Ipſe etiam Gregorius Turonenſis, quo digniorem hiſtoricum non habemus, multis locis à Marculfo lucem accipit & omnino illuſtratur. Idem & in pleriſque medii æui ſcriproribus obtinet. Quinimò & ad Iuris Romani pleniorem cognitionem non parum conferre adſeuerare auſim. Sed commendatitiis in publicum prodirurus non eget, qui tot præſtantiſſimorum virorum ingeniis ſæpe iam commendatus eſt: Cuiacium dico, Briſſonium, & Pithœos fratres clariſſima lumina, qui ex eo perplura immortalibus ſuis ſcriptis inſerendo non leuem eius auctoris guſtum cæteris dederũt. Defuturos tamen non dubito qui ſermonis duritiam & ineptam planè ruſticitatem exhorreſcant. Facilis verò defenſio eſt, nam ab eo de Latini ſermonis peritia edoceri non petimus. Mores illorum temporum etiam ſermonis inculta ruſticitas penitius oſtendit. Seculo ſanè infeliciſſimo vixit, quo omnes diſciplinæ & litteræ penitus obrutæ & ſepultæ erant: adeò quidem vt qui melioris doctrinæ quid attigiſſent, veluti nouæ alicuius & prauæ opinionis auctores, aut vt magi & malefici damnarentur. Quâ occaſione lectorem monitum velim

ne variis ſolœciſmis qui ſæpius occurrunt offendatur, nec operarum Typographicorum vitio imputet, quamquam optimè emendatum eſſe non equidem præſtiterim. Sed meminerit prout in authentico exemplari ſcriptum eſt, ita editum eſſe: nam ſi ea omnia immutanda fuiſſent, non iam Marculfus ſed alius prodituras auctor videretur. Dubitaui certè vtrum Marculfo an potiùs ſcriptori vitia eiuſmodi adſcriberem, & verò à ſcriptoribus permulta in eo deprauata facilè crediderim, ſed ita ferè Marculfum ſcripſiſſe haud dubium eſt, cùm id ipſum in reliquis eiuſdem æui monimentis deprehendatur. Atque adeò plura in Gregorio Turonenſi occurrunt, & infinita propè in manuſcriptis codicibus, quæ ab iis qui ediderunt immutata ſunt, neque aliter eum ſcripſiſſe dubitari poteſt, cùm hiſtorici operis initio id deprecetur: *Priùs*, inquit, *veniam legentibus precor ſi aut in litteris aut in ſyllabis Grammaticam artem exceſſero, de qua plenè ſum imbutus.* Eadem excuſatione vtitur & Benedictus Leuita in collectionis ſuæ præfatione. Quo fit vt exiſtimem de eo ſermonis genere ſenſiſſe Patres ſynodi Turonenſis III. ſub Carolo Magno, cùm vnumquemque Epiſcopum decreuerunt curam habere, vt homiliæ Sanctorum in ruſticam Romanam linguam transferrentur, quò faciliùs poſſent intelligi. Nam & ruſtico ſermone de miraculis B. Martini libros Gregorium Turonenſem ſcripſiſſe ipſemet teſtatur hiſtoriar. lib. v. eandémque excuſationem repetit initio libri primi de gloria Confeſſorum: *Qui nullum argumentum*, inquit, *in litteris habes, qui nomina diſcernere neſcis, ſæpius pro maſculinis fœminina, pro fœmininis neutra, & pro neutris, maſculina commutas, qui ipſas quoque præpoſitiones quas nobilium dictatorum obſeruare ſanxit auctoritas, loco debito plerumque non locas: nam pro ablatiuis accuſatiua, & rurſum pro accuſatiuis ablatiua ponis.* Quæ verba ideo adſcripſi, quòd quis fuerit ruſticus ſermo graphicè exprimant, & vt faciliùs Marculfo ignoſcatur qui adhuc infeliciore ſæculo vixit, nec vt ille fuit melioribus diſciplinis eruditus. Nec tamen dubito hoc opus priſcis illis ſæculis non minore in pretio habitum fuiſſe quàm Gnæi Flauij ſcribæ apud Romanos legis actiones: adeò rari erant qui de negotiis quamquam ſuis ſcripta conficere & quæ vellent poſſent facilè litteris mandare. Igitur in huius auctoris editione non parum laboris in perpurgando, nec minùs curando ne quid temere immutaretur: ea ſiquidem quæ ſcriptorum incuria manifeſtò irrepſerant emendauimus, dubia reliquimus, conjecturas tamen noſtras & emendationes in notis appoſuimus. Vnum quidem Marculfi exemplar nacti ſumus, quod ex ditiſſima Regum noſtrorum bibliothecâ ſuppeditauit nobis eruditiſſimi viri Nicolai Rigaltij humanitas, ſed illud opti-

mum & præſtantiſſimum ; cùm Marculfi ad Landericum dedicatoriam Epiſtolam contineat & duorum librorum indices ſeu capitula ab auctore ipſo prænotata. Vt planum ſit cæteras formulas quæ illis non continentur Marculfi non eſſe : quod incognitum doctiſſimis viris impoſuit, qui librorum vitio, quibus omnes formulæ permixtæ erant pleraque laudauerunt. In eo quoque recenſendo vſus ſum excerptis quibuſdam codicis Pithœani, quæ à doctiſſimo viro Ioanne Sauarone Aruernorum Præſide ad me miſſa ſunt, cui multis nominibus me deuinctum nunquam dubitabo profiteri. Secundum porro Marculfi librum in regio exemplari excipiebant formularum capita quædam abſque numeris, tum eiuſdem voluminis initio aliæ plures formulæ, quarum hæc erat epigraphe, CARTAS SENICAS, quas hîc vſurpari monuit me Ioan. Sauaro quaſi formulas veteres. Senicæ enim quaſi ſenes. Igitur eas etiam formulas in vnum colligaui & incerti authoris veteres formulas inſcripſi : ex quibus quædam ſunt eiuſdem æui cum Marculfo, quædam verò Carolo Magno imperante proculdubio ſcriptæ apparent. Adjunximus & alias quæ XLVI. Capita continent, quas ex vetuſtiſſimo codice deſcripſerat, & mihi iampridem communicauerat Iacobus Sirmondus, cuius viri ſingularis eruditio cum pari humanitate certat. His vt facilius à cæteris diſcernerentur titulus præfixus eſt ; FORMVLÆ VETERES SECVNDVM LEGEM ROMANAM : quod ideo fecimus, quia fere omnes iis ſcriptæ ſint, qui lege Romanâ vterentur, cùm in his ſæpiſſime reperias, *Lex Romana expoſcit*, & *ſecundùm legem Romanam :* ſaltem Romana eſt obſeruatio, quibus tamen nonnulla Barbarici moris admixta videre eſt. Denique cùm beneficio doctiſſimi viri, Caroli Labæi in manus noſtras incidiſſet vetus codex, in quo veteres quædam formulæ continebantur, qui olim P. Danielis ac demum Iac. Bongarſij fuerat, eas quoque adiicere viſum eſt, ne quid formularum deſiderari poſſet. Vtere his, Lector, & fruere. Vale.

# MARCVLFI MONACHI FORMVLARVM LIBRI DVO.

DOMINO *ſancto, meritis beatiſſimo, & Apoſtolico ſemper honore ſuſcipiendo, omníque præconio laudis celebrando, Domino ac reuerentiſſimo Papæ* * LANDERICO, MARCVLFVS *vltimus ac viliſſimus omnium monachorum.* Vtinam, ſancte pater, iuſſioni veſtræ tam efficaciter quàm ſpontaneè obtemperare valuiſſem, quia iam ſupra vires meæ poſſibilitatis conatus ſum iniunctum à vobis ſubire negotium, cùm fere ſeptuaginta aut ampliùs annos expleam viuendi: nec iam tremula ad ſcribendum manus eſt apta, nec ad videndum mihi oculi ſufficiunt caligantes, nec ad cogitandum ſufficit ebetudo. Quia iuxta dictum

* *MS. Pith.* Glidulfo.



Digitized by Google

vobis cuiuſdam prudentiſſimi viri : in pueris creſcit ſenſus, in iuuenibus viget, in ſenibus minuitur. Propterea eleganter facere non potui vt volui, feci tamen ordinatè vt potui, non ſolùm ea quæ iuſſiſtis, verùm etiam multa alia in hac ſcedola, tam præceptiones regales, quàm cartas pagenſes, iuxta ſimplicitatis & ruſticitatis meæ naturam intimare curaui. Scio enim multos fore, & vos & alios prudentiſſimos viros & eloquentiſſimos ac rhetores, & ad dictandum peritos, qui iſta ſi legerint pro minima & velut deliramenta, eorum comparata ſapientiæ reputabunt, vel certè legere dedignabuntur. Sed ego non pro talibus viris, ſed ad exercenda initia puerorum vt potui apertè & ſimpliciter ſcripſi, vt cui libuerit, is exinde aliqua exemplando faciat. Si verò diſplicet, nemo cogit inuitum, nec præiudicat mea ruſticitas eruditorum & rhetorum floribus verborum & eloquenti facundiæ. Sunt propterea nonnulla negotia hominum, tam in palatio quàm in pago, quæ ſcribi non queunt antequam inuicem conferantur, & iuxta propoſitiones vel reſponſiones eloquia eorum tunc ſcribantur & geſta. Ego verò hæc quæ apud maiores meos, iuxta conſuetudinem loci quo * degimus, didici, vel ex ſenſu proprio cogitaui, vt potui coaceruare in vnum curaui, & capitula prænotaui, vt faciliùs quod voluerit à quærenti inanteà ſcripto reperiatur.

* vterque & Landericus, & Marculfus.

Digitized by Google

# INCIPIVNT CAPITVLA ſcedolæ operis huius.


I. *Qualiter priuilegium condatur.*

II. *Conceſſio Regis de hoc priuilegio.*

III. *Emunitas Regis.*

IV. *Confirmatio de Regis emunitate.*

V. *Præceptum Regis de Epiſcopatu.*

VI. *Indiculus Regis ad metropolitanum Epiſcopum, vt alij Epiſcopo benedicat.*

VII. *Conſenſus ciuium pro Epiſcopatu.*

VIII. *Charta de Ducatu, Patriciatu aut Comitatu.*

IX. *Indiculus ad alium Regem, cùm legatio dirigitur, & verbis ſuggeritur commendatitiis.*

X. *Reſcriptum ad Regem pro ſuo legato.*

XI. *Tractoria legatorum vel minima facienda, ad iuſtius inſtar.*

+ XII. *Præceptum donationis.*

XIII. *Præceptum de leſiuuerpo, per manum Regis.*

XIV. *Prologi tres de ceſſionibus Regalibus.*

XV. *Conceſſio ad locum ſanctum.*

XVI. *Confirmatio Regis ad locum ſanctum.*

XVII. *Iterum confirmatio, pro ſæcularibus viris.*

XVIII. *De Regis anſtrutione.*

XIX. *Præceptum de clericatu.*

XX. *De diuiſione vbi Regis acceſſerit miſſus.*

XXI. *De cauſis alterius recipiendis.*

XXII. *Præceptum denariale.*

XXIII. *Charta de cauſa ſuſpenſa.*




Digitized by Google

XXIV. *Charta de Mundeburde Regis & Principis.*
XXV. *Prologus de iudiciis Regis, cùm de magna re duo cauſantur ſimul.*
XXVI. *Indiculus commonitorius ad Epiſcopum.*
XXVII. *Item indiculus ad Epiſcopum, ad alium diſtringendum.*
XXVIII. *Charta audientialis.*
XXIX. *Indiculus, ad laïcum.*
XXX. *Commutatio cum Rege.*
XXXI. *Confirmatio Regis de omni corpore facultatis.*
XXXII. *Si quis contra voluntatem Regis egerit, ſecuritas eis quibus eum perſequi iuſſerit.*
XXXIII. *Præceptum, quorum ab hoſtibus, vel alio modo fuerint inſtrumenta incenſa.*
XXXIV. *Relatio pagenſium, ad Regem directa.*
XXXV. *Confirmatio alia de omni corpore facultatis, ad monaſterium.*
XXXVI. *Vt cauſas auctorum adſumendi ſuorum aliqui licentiam habeant.*
XXXVII. *Iudicium.*
XXXVIII. *Charta paricla.*
XXXIX. *Vt pro natiuitate Regis ingenui relaxentur.*
XL. *Vt leude ſamio promittantur Regi.*

# MARCVLFI
## MONACHI
## FORMVLARVM
## LIBER I.
### Qui eſt de chartis Regalibus.

### I. De Priuilegio.

DOMINO ſancto & in Chriſto venerabili fratri illi Abati, vel cunctæ congregationi monaſterij illius in honore Beatorum illorum in pago illo conſtructi, ille Epiſcopus. Compellit nos affectio charitatis veſtræ, radio inflammante diuino, illa pro veſtra quiete prouidere, quæ nobis maneant ad mercedem, & ea recto tramite, inconuulſo limite terminari, quæ perennem deinceps propitiante Domino obtineant firmitatem: quia non minor à Domino retributio ſperatur futura pro ſucciduis contemplante temporibus, quàm ad præſens munera pauperibus offerente. Et ne nobis aliquis detrahendo æſtimet in id noua



Digitized by Google

decernere carmina, dum ab antiquitus iuxta conſtitutionem Pontificum, per Regalem ſanctionem monaſteria ſanctorum Lirinenſis, Agaunenſis, Luxouienſis, vel modo innumerabilia per omne regnum Francorum ſub libertatis priuilegium videntur conſiſtere, ſed pro reuerentia ſanctorum, beatorúmque omnium fratrum implendo iuſſa, cuſtodiendo præcepta, obedientiam propalabo. Quid verò vos, vel ſucceſſores veſtri, ſancto ſuadente Spiritu deinceps cuſtodiatis, immo ſanctæ illius Eccleſiæ Epiſcopus debeat adimplere, huic paginæ credidimus inſerendum. Hoc eſt, vt de veſtra congregatione, qui in veſtro monaſterio ſancta debeant baiulare officia, quum Abas cum omni congregatione popoſcerit, à nobis vel à ſucceſſoribus noſtris ſacros percipiat gradus. Nullum pro ipſorum honore præmium percepturus, altare in ipſo monaſterio prædictus Epiſcopus benedicat, & ſanctum chriſma annis ſingulis, ſi voluerint poſtulare, pro reuerentia loci ſine pretio concedat, & iuxta diſpenſationem diuinam cùm Abas de ipſo monaſterio à Domino migrauerit, quem vnanimiter omnis congregatio illa monachorum ex ſemetipſis, optimæ regulæ comparatum, & vitæ meritis congruentem, ſimiliter ſine præmio memoratæ vrbis Epiſcopus ipſe promoueat Abatem. Nullam penitùs aliam poteſtatem in monaſterio, neque in rebus, neque in ordinandis perſonis, neque in villabus, ibidem iam conlatis, aut deinceps regio

munere, aut priuatorum * conlaturis, vel in reliqua ſubſtantia monaſterij, nos ſucceſſoréſque noſtri Epiſcopi, aut archidiaconi, ſeu cæteri ordinatores, aut quælibet alia perſona prædictæ ciuitatis habere non præſumat: aut quodcumque de eodem monaſterio, ſicut de parochiis aut cæteris monaſteriis, muneris cauſa audeat ſperare, aut ferre. Nec de hoc quod à Dominum timentibus hominibus tranſmiſſum, aut in altario offertum fuerit, aut in ſacris voluminibus vel quibuſcumque ſpeciebus ad ornatum diuini cultus pertinet, aut præſens conlata vel deinceps conlatura fuerint, auferre præſumat. Et niſi rogatus à congregatione illa, vel Abate, pro oratione lucranda, nulli noſtrûm liceat monaſterij adire ſecreta, aut finium ingredi ſepta: & ſi ab eis illuc Pontifex poſtulatus, pro lucranda oratione vel eorum vtilitate, acceſſerit, celebrato ac peracto diuino myſterio, ſimplici ac ſobria benedictione percepta, abſque vllo requiſitu domo ſtudeat habere regreſſum. Vt quatenus monachi, qui ſolitarij nuncupantur, de perfecta quiete valeant duce Domino per tempora exultare, & ſub ſancta regula viuentes, & beatorum Patrum vitam ſectantes, pro ſtatu Eccleſiæ, & ſalute Regis, vel patriæ, valeant pleniùs Dominum exorare. Et ſi aliquid ipſi monachi, de eorum religione tepidi, aut ſecùs egerint, ſecundùm eorum regulam ab eorum Abate, ſi præualet, corrigantur. Sin autem, Pontifex de ipſa ciuitate coërcere debet,

* conferendis,

quia nihil de canonica auctoritate conuellitur, quicquid domeſticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur. Si quis autem ex nobis, quod Deus auertat, calliditate commotus, aut cupiditate præuentus, ea quæ ſunt ſuperiùs comprehenſa, temerario ſpiritu violare præſumpſerit, à diuina vltione proſtratus, reatu anathematis ſubiaceat, & tribus annis à communione omnium fratrum ſe nouerit alienum. Et nihilominus hoc priuilegium perpetim maneat incorruptum. Quam conſtitutionem noſtram, vt firmis ſubſiſtat vigoribus, & nos & fratres noſtri domini Epiſcopi ſubſcriptione & manibus noſtris decreuimus roborari. Actum ibi, ſub die illo, anno illo.

## *II. Conceſſio Regis ad hoc priuilegium.*

ILLE Rex, viris Apoſtolicis, patribus noſtris, nec non & inluſtribus viris, illi Comiti, vel omnibus Agentibus, præſentibus & futuris. Oportet enim clementiam principalem, vt inter cæterorum petitiones ſacerdotibus debeat benignum accommodare auditum, & quod pro timore diuini nominis poſtulatur, ponatur proculdubio ad effectum, vt fiat in mercedem coniunctio, dum pro quiete ſeruorum Dei congrua impertitur portio, quia fides perfecta non dubitat ad Altiſſimi gratiam pertinere, quod ſecundùm ſacra elogia præcipuè domeſticis fidei deuota mente impenditur, quia ſcriptum eſt: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum*

*ipſorum eſt regnum cælorum.* Ergo dum & ille Epiſcopus, aut Abas, aut inluſter vir, monaſterium in honore illius, in pago illo, aut ſuper proprietate, aut ſuper fiſco, noſcitur ædificaſſe, vbi ad præſens ille Abas, vel turba plurima monachorum adunata eſſe noſcuntur: ad petitionem illius clementia noſtra, pro quiete ipſorum ſeruorum Dei, præceptionem vigoris noſtri placuit propalare, ſub quo tranquillitatis ordine, Domino protegente ipſi monachi iuxta religionis normam perpetìm valeant reſidere, elegimus, vt & hac ſerie debeat pleniùs declarari, quia nihil de canonica inſtitutione conuellitur, quicquid domeſticis fidei, per tranquillitatis pacem conceditur. Nec nobis aliquis detrahendo æſtimet in id noua decernere carmina, dum ab antiquis iuxta conſtitutionem Pontificum, per Regalem ſanctionem monaſteria ſanctorum illorum, vel cætera in regno noſtro ſub libertatis priuilegium videntur conſiſtere, ita & præſens valeat Deo adiutore conſtare. Ergo, ſi quid in villabus, mancipiis, vel reliquis quibuſcumque rebus, atque corporibus, aut regio munere, aut ſupra ſcripti illius, vel à quibuſlibet eſt delegatum, aut deinceps fuerit additum, iuxta quod ab illo Pontifice vel cæteris domnis Epiſcopis ad præfatum monaſterium iuxta quod eorum continet priuilegium, quod nobis præfatus ille protulit recenſendum, ſancitum eſſe cognouimus, nullus Epiſcoporum, vt diximus, nec præſens, neque ſi fuerint ſucceſſores, ſeu archidiaconi, vel co-

rum ordinatores, vel quælibet perſona, poſſit quocumque ordine de loco ipſo auferre, aut aliquam poteſtatem ſibi in ipſo monaſterio, præter id quod ſcriptum eſt adaptare, vel aliquid per commutationis titulum minuere, aut de miniſterij ornamentis, vel de altari, vel de offertione in altario inlata abſtollere, nec ad ipſum monaſterium vel cellulas eius, niſi tantùm pro lucranda oratione (illud ipſum, ſi fuerit, cum voluntate Abatis, vel eius congregationis) abſque diſpendio eorum, aliter accedere penitus non præſumat. Quò faciliùs ſecundùm delegationis votum, vel huius ſeriei auctoritatem, ad ipſum monaſterium abſque vllius inquietudine, ibidem cuncta proficiant in augmentis. Adiicientes, vt nulli penitus iudicum, vel cuilibet hominum licentia ſit, de rebus præfati monaſterij, abſque voluntate eorum ſeruorum Dei, in aliquo iniquiter defraudari, aut temerario ſpiritu ſuis vſibus vſurpare. Ne, quod primitùs eſt, & Dei iram incurrat, & noſtram offenſam, vel à fiſco graue damnum ſuſtineat. Illud nobis pro integra mercede noſtra placuit addendum, vt tam quod ex noſtra largitate, quàm delegatione ipſius, vel cæterorum, aut cuiuſlibet, ibidem eſt aut fuerit deuoluta poſſeſſio, quóque tempore, nulla iudiciaria poteſtas, nec præſens, nec ſuccidia, aut ad cauſas audiendum, aut aliquid exactandum, ibidem non præſumat ingredi, ſed ſub omni emunitate hoc ipſum monaſterium vel congregatio ſua, ſibimet omnia

freda conceſſa debeant poſſidere: Et quicquid exinde fiſcus noſter, forſitan de eorum hominibus, aut de ingenuis, aut de ſeruientibus in eorum agris commanentibus, vel vndecumque poterat ſperare, ex indulgentia noſtra, in luminaribus ipſius ſancti loci, vel ſtipendiis ſanctorum Dei, tam nobis in Dei nomine viuentibus, quàm per tempora ſuccidentibus Regibus, & pro mercedis compendio, debeant cuncta proficere, vt pro æterna ſalute, vel felicitate patriæ ſeu Regis, conſtanter delectet ipſis monachis, immenſam Domini pietatem iugiter implorare. Quod præceptum decreti noſtri, Chriſto in omnibus ſuffraganti, vt firmior habeatur, & perenniter confirmetur, ſubſcriptione manus noſtræ, infrà ſtuduimus confirmari.

## *III. Emunitas Regia.*

*Edit. Lindembregii VI.*

MAXIMVM regni noſtri augere credimus munimentum, ſi beneficia opportuna locis Eccleſiarum, * ***aut cui volueris dicere***, beneuola deliberatione concedimus, ac Domino protegente ſtabiliter perdurare conſcribimus. Igitur nouerit ſolertia veſtra quòd nos ad petitionem Apoſtolici viri domini illius, illius vrbis Epiſcopi, tale pro æterna retributione beneficium viſi fuimus indulſiſſe, vt in villabus Eccleſiæ, quas moderno tempore aut noſtro, aut cuiuſlibet munere habere videtur, vel quas deinceps in iure ipſius ſancti loci voluerit diuina pietas ampliare, nullus * iudex pu-

*Nam & ſæcularibus viris tum immunitas plena concedebatur. *vide infrà cap.* XVII.

* Liberat à iuſtitia ſua & ſuorum officialium.

blicus, ad cauſas audiendas, aut freda vndique exigendum, quocumque tempore non præſumat ingredi. Sed hoc ipſe Pontifex, vel ſucceſſores eius, propter nomen Dei, ſub integro emunitatis nomine valeant dominari iubemus. Statuentes ergo vt neque vos, neque iuniores, neque ſucceſſores veſtri, nec vlla publica iudiciaria poteſtas, quocumque tempore in villis vbicumque in regno noſtro, ipſi Eccleſiæ aut regia, aut priuatorum largitate conlatis, aut qui inanteà fuerint conlaturis, aut ad audiendas altercationes ingredi, aut freda de quibuſlibet cauſis exigere, nec manſiones, aut paratas, vel fideiuſſores tollere non præſumatis; ſed quicquid exinde, aut de ingenuis, aut de ſeruientibus, cæteriſque nationibus, quæ ſunt infra agros, vel fines, ſeu ſupra terras prædictæ Eccleſiæ commanentes, fiſcus aut de fredis, aut vndecumque potuerat ſperare, ex noſtra indulgentia pro futura ſalute in luminaribus ipſius Eccleſiæ, per manum agentium eorum, proficiat in perpetuum. Et quod nos propter nomen Domini, & animæ noſtræ remedium, ſeu noſtra proſequenti progenie plena deuotione indulſimus, nec regalis ſublimitas, nec cuiuſlibet iudicum ſæua cupiditas refragare tentet. Et vt præſens auctoritas, tam præſentibus quàm futuris temporibus, inuiolata Deo adiutore permaneat, manus noſtræ ſubſcriptionibus infrà roborare decreuimus.

## *IV. Confirmatio de emunitate.*

PRINCIPALEM quidem clementiam cunctis decet accommodare aurem benignam: præcipuè quæ pro compendio animarum à præcedentibus Regibus, parentibus noſtris, ad loca Eccleſiarum probantur eſſe indulta, deuota debemus mente perpendere, & congrua beneficia, vt mereamur in mercedem eſſe participes, non negare, ſed robuſtiſſimo iure per noſtra oracula conferre. Igitur Apoſtolicus vir ille, illius ciuitatis Epiſcopus, clementiæ regni noſtri ſuggeſſit, eo quòd ille Rex per ſuam auctoritatem, ſua manu ſubſcriptam, de villis Eccleſiæ ſuæ illius, quas ad præſens poſſidebat, vel de eo quod à Deum timentibus hominibus ibidem inanteà delegaretur, integram emunitatem conceſſiſſet, vt nullus iudex publicus ad cauſas audiendum, vel freda exigendum, nec manſiones, aut paratas faciendum, nec fideiuſſores tollendum, nec homines ipſius Eccleſiæ de quibuſlibet cauſis diſtringendum, nec ad vllas redhibitiones requirendum, ibidem ingredi non debeant. Vnde & ipſam præceptionem iam dicti Principis, ſeu & confirmationem illorum Regum, eorum manibus roboratas, antedictus Pontifex nobis oſtendit relegendas, & ipſe beneficium circa eumdem, vel memoratam Eccleſiam ſuam, ſicut à ſupradictis Principibus fuit indultum, moderno tempore aſſerit eſſe conſeruatum. Sed pro firmita-

tis ſtudio, petit celſitudinem noſtram, vt hoc denuò circa eodem, vel memorata Eccleſia ſancti illius, noſtra deberet auctoritas generaliter confirmare. Cuius petitioni, pro reuerentia ipſius ſancti loci, vt mereamur in mercedem ſociari, pleniſſimam voluntatem præſtitiſſe, vel confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes ergo iubemus, vt ſicut conſtat ab antedictis Principibus de villis præfatæ Eccleſiæ domni illius integram emunitatem abſque introitu iudicum fuiſſe conceſſam; ita & inanteà auxiliante Domino inſpectæ priorum Principum auctoritates omnimodò conſeruentur: & neque vos, neque iuniores, neque ſucceſſores veſtri, vel quiſlibet de iudiciaria poteſtate, in villas antedictæ Eccleſiæ, quas moderno tempore vbicumque in regno noſtro poſſidere noſcuntur, vel quæ inanteà à Deum timentibus hominibus fuerunt conlatæ, tam de ingenuis, quàm de ſeruientibus vel quibuſlibet nationibus hominum, in prædictis ipſius Eccleſiæ villis commanentibus, nec ad agendum, nec freda exigendum, nec fideiuſſores tollendum, nec manſiones, aut paratas faciendum, nec eos de quibuſlibet cauſis diſtringendum, nec vllas redhibitiones requirendum, ibidem ingredi non præſumatis; ſed ſicut ipſum beneficium à iam dictis Principibus iam dictæ Eccleſiæ fuit indultum, & vſque modò conſeruatum, ita & deinceps per hanc noſtram auctoritatem generaliter confirmatum, in Dei nomine perenniter maneat inconuulſum; & quicquid exinde fiſcus noſter po-

terat ſperare in luminaribus Eccleſiæ ipſius in perpetuum proficiat. Et vt hæc auctoritas tam præſentibus quàm futuris temporibus inuiolata Deo adiutore poſſit conſtare, ſubtus eam propria manu deſcribimus roboraſſe.

## *V. Preceptum de Epiſcopatu.* *Lind. l.*

ILLE Rex, viro Apoſtolico illi Epiſcopo, quamuis* nos ad adminiſtrandum gubernandúmque *v. e.* liber rerum ſtatus præcelſis occupationibus regiæ ſollicitudinis cauſa * conſtringat, nihil tamen tam *ïe.* cura principali quàm Principi dignum eſt, vt cùm paſtorali paululum plebs deſtituta eſt præſidio, pro ſalute animarum, huiuſmodi perſonis, locis celſioribus Pontificalem proſpiciat committere dignitatem, in quibus maneat * dupliciter ſermo, vt populus magiſtrum actus Chriſti imitetur: qui plebem non minùs pietate quàm ſeueritate conſtringat: qui ſciat commiſſa ſibi talenta aſſiduæ prædicationis ſermonibus expolire, & acquiſita multiplicatáque gregis ſui ſalute, ad ouile Dominicum nullis maculis ſordidatum valeat præſentare. Et quia cognouimus ſanctæ recordationis domnum illum, vrbis illius Antiſtitem, euocatione diuina ab hac luce migraſſe: de cuius ſucceſſore ſollicitudine congrua, vnà cum Pontificibus vel proceribus noſtris pleniùs tractantes, decreuimus inluſtri viro aut venerabili illi, in ipſa vrbe Pontificalem in Dei nomine committere dignitatem.

* Id eſt ſermo operibus animatus, qui plus prodeſt.

Quem plerumque apud animos noſtros, & actio probata commendat, & nobilitatis ordo ſublimat, ac morum probitas, vel manſuetudinis & prudentiæ honeſtas exornat. Qua de re, ſtatuta præſentibus ordinamus, vt cum adunatorum caterua Pontificum, ad quos tamen noſtræ ſerenitatis deuotio ſcripta peruenit, ipſum vt ordo poſtulat benedici, veſtra induſtria ſtudeat voluntatis noſtræ deliberationem reſeratis oraculis publicare, atque effectum Domino annuente ſortiri. Quatenus dum Eccleſiam ſibi à diſpenſatione diuina commiſſam, ſtrenuè regere atque gubernare videtur, nobis apud æternum retributorem mercedem ſuffragia largiantur: & ille pro peccatorum noſtrorum mole, indeſinenter immenſum Dominum debeat deprecari.

Lind. II.

## *VI. Indiculus Regis ad Epiſcopum vt alium benedicat.*

DOMINO ſancto, Sedis Apoſtolicæ dignitate colendo, in Chriſto patri illi Epiſcopo, ille Rex. Credimus iam ad veſtram reuerentiam perueniſſe, ſanctæ recordationis illius vrbis Antiſtitem euocatione diuina de præſentis ſæculi luce migraſſe. De cuius ſucceſſore ſollicitudine integra, cum Pontificibus, vel primatibus populi noſtri pertractantes, decreuimus inluſtri viro illi, aut venerabili viro illi, ad præfatam vrbem Pontificalem regulariter Chriſto auſpice committere dignitatem.

tatem. Et ideo ſalutationum iura digno debita honore ſoluentes, petimus vt cùm ad vos peruenerit, ipſum vt ordo poſtulat benedici veſtra ſanctitas non moretur, & iunctis vobis cum veſtris comprouincialibus, ipſum in ſuprà ſcripta vrbe conſecrare Chriſto auſpice debeatis. Agat ergo almitas veſtra, vt & noſtræ voluntatem deuotionis incunctanter debeatis implere, & tam vos, quàm ipſe, pro ſtabilitate regni noſtri iugi inuigilatione plenius exoretis.

## *VII. Conceſſio ciuium pro Epiſcopatu.* *Lind. III.*

SVGGERENDO piiſſimo, ac præcellentiſſimo domino, illi Regi, vel Seniori commune illius, à ſeruis veſtris, quorum ſubſcriptiones vel ſignacula ſubtus tenentur inſertæ. Principalitatis veſtræ circumſpecta clementia nouit iuſta petentibus adnuere, ſuo moderaminis iudicio ponderante præſertim, cùm illa depoſcuntur generali prece, cunctorum voce, communiter quod proficiat, conſtat illud ad Eccleſiæ regimen pullulare, quod & ipſum regalis clementiæ proſit ſaluti, pariter ac mercedi. Quoniam ſanctæ memoriæ vir Apoſtolicus ille, illius vrbis Epiſcopus, ſine adpropinquante ab hac luce migrauit, tempore naturæ complenti, ne deſtitutæ ſint, quod abſit, oues decedente paſtore, in loco eiuſdem ſuppliciter poſtulamus, vt* inſtruere dignemini inluſtrem virum illum, aut venerabilem illum cathedræ illius ſuc- *ſ. inſtituere*

C

ceſſorem, in quo eſt præſpicuitas ſublimis, ingenuitas nationis, elegantia refulgens, diligentia caſtitatis, charitatis locuples, voluntatis irrefragabiliter. Manu noſtra hunc conſenſum decreuimus roborare.

Lind. XXXII.

### *VIII. Charta de Ducatu, Patritiatu, vel Comitatu.*

PRÆCIPVE' regalis in hoc perfecta conlaudatur clementia, vt inter cunctum populum bonitas & vigilantia requiratur perſonarum. Nec facilè cuilibet iudiciariam conuenit committere dignitatem, niſi priùs fides ſeu ſtrenuitas videntur eſſe probatæ. Ergo dum & fidem & vtilitatem tuam videmur habere compertam, ideo tibi actionem Comitatus, Ducatus, Patritiatus in pago illo, quem anteceſſor tuus ille vſque nunc viſus eſt egiſſe, tibi ad agendum regendúmque commiſimus. Ita vt ſemper erga regimen noſtrum fidem inlibatam cuſtodias, & omnes populi ibidem commanentes, tam Franci, Romani, Burgundiones, vel reliquæ nationes ſub tuo regimine & gubernatione degant, & moderentur, & eos recto tramite ſecundùm legem & conſuetudinem eorum regas: viduis & pupillis maximus defenſor appareas: latronum & malefactorum ſcelera à te ſeueriſſimè reprimantur: vt populi bene viuentes ſub tuo regimine gaudentes debeant conſiſtere quieti: & quicquid de ipſa actione in fiſci ditionibus ſpe-

ratur, per voſmetipſos annis ſingulis noſtris ærariis inferatur.

### *IX. Indiculus ad alium Regem, cùm legatio dirigitur & verbis ſuggeritur commendatitiis.*

DOMINO glorioſo, atque præcellentiſſimo fratri, illi Regi, in Dei nomine ille Rex. Deſideratus euentus fideliſſimam nobis obtulit facultatem, qua veſtræ ſerenitati ſalutationis honorificentiam præbeamus: Eo videlicet dilectionis affectu proprietatem veſtræ celſitudinis cognoſcere cupientes, quo veſtram gloriam erga nos fraternitatis indiuiduam arbitramur. Proinde præſentes viros inluſtres, illum & illum, ad præſentiam fraternitatis veſtræ direximus, quibus vt veſtram gloriam condecet, benigniſſima tranquillitate ſuſceptis, petimus vt dum officium legationis iniunctæ peragerent, reſponſis veſtræ clementiæ præmoniti, ad referendum ſalutis indicium ſacris veſtris litteris honorentur.

### *X. Reſcriptio ad Regem.*

DOMINO glorioſiſſimo, atque præcellentiſſimo, & à nobis cum ſummo charitatis vinculo in amore Chriſti amplectendo, illi Regi, ille Rex. Apices veſtræ celſitudinis, per magnificos & inluſtres viros illos, ſumma cum auiditate nos ac-

cepiſſe comperite, per quos veſtræ celſitudinis ſalutationum munera, vt condecet præmittentes, ea quæ circa vos ſunt proſpera cognoſcentes, gauiſi, ipſos in veſtro amore, tales vt condecet viros, deuotione benigniſſima ſuſcepimus, & officium legationis ſibi à vobis iniunctum noſtris auribus pandiderunt. Sed omnia à nobis in reſponſis accepta, quid cùm feliciter in Dei nomine remeauerint, celſitudinis veſtræ auribus debeant enarrare.

*Lind.* XXXV.

## *XI. Tractoria * Legatorum vel minima facienda ad * iuſtius inſtar.*

* *v.c.* legatariorum

* *cod. Pith.* inſtius, *leg.* iſtius.

ILLE Rex, omnibus agentibus. Dum & nos in Dei nomine Apoſtolicum virum illum, necnon & inluſtrem virum illum partibus illis legationis cauſa direximus, ideo iubemus, vt locis conuenientibus eiſdem à vobis euectio ſimul, & humanitas miniſtretur, hoc eſt veredos, ſeu paraueredos tantos, panis nitidi modios tantos, vini modios tantos, ceruiſæ modios tantos, lardi libras tantas, carnis libras tantas, porcos tantos, porcellos tantos, verueces tantos, agnellos tantos, aucas tantas, faſianos tantos, pullos tantos, oua tanta, olei libras tantas, gari libras tantas, mellis tantas, aceti tantas, cumini libras tantas, piperis tantas, coſti tantas, gariofli tantas, ſpici tantas, cinamomi tantas, granimaſtice tantas, dactylas tantas, piſtacias tantas, amandolas tantas, cereorum libras tantas, ſalis tantas, olerum, leguminum carra tanta,

faculas tantas, itémque victum ad caballos eorum, fœni carra tanta, ſuffuſi modios tantos. hæc omnia diebus * tam ad ambulandum, quàm ad nos in Dei nomine reuertendum vnuſquiſque veſtrûm locis conſuetudinariis, eiſdem miniſtrare & adimplere procuretis, qualiter nec moram habeant, nec iniuriam perferant, ſi gratiam noſtram optatis habere. *deeſt vox tot*

## *XII. Præceptum donationis.* *Lind. XLVIII.*

SI Dominus omnipotens, creator cæli & terræ permiſit in principio, maſculum & feminam copulæ ſociari conſortio dicens, ***Relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna.*** Si aliquid pro amore dilectionis inter ſe inuicem donare decreuerint, hoc noſtra ſerenitas in idipſis non renuit confirmare. Igitur venientes ille & illa in palatio noſtro, pro eo quod filiorum procreationem inter ſe minimè habere videntur, omnes res eorum inter ſe, per manum noſtram viſi ſunt condonaſſe, * & (ſi ita conuenit) villas aliquas inter ſe viſi ſunt condonaſſe. Dedit igitur prædictus vir ille per manum noſtram, iam dictæ coniugi ſuæ illi, villas nuncupatas illas, ſitas in pago illo, quas aut munere regio, aut de alode parentum, vel vndecumque ad præſens tenere videtur, cum terris, domibus *& cætera.* Similiter in compenſationem rerum, dedit prædicta femina antedicto iugali ſuo illi, villas nuncupatas illas, *ie. aut*

ſitas in pago illo, cum terris *& cætera*, ſeu præſidiis domus eorum, argento & auro, fabricaturis, drappis, veſtimentis vel omni ſupellectile eorum, pars parti per manum noſtram viſi ſunt condonaſſe. Ita vt dum pariter aduixerint in hoc ſæculum, omnes res ſuper ſcriptas, ab vtraque parte pariter debeant poſſidere, vel ſi pro animabus eorum aliquid exinde ad loca ſanctorum dare decreuerint, voluntatis eorum liberum maneat arbitrium: & qui pari ſuo ex ipſis in hoc ſæculum ſuperſtes extiterit, ambobus rebus, quamdiu aduixerit vſufructuario ordine debeat poſſidere: & poſt amborum de hac luce diſceſſum, ſicut eorum delegationibus continebitur, tam ad loca ſanctorum, quàm benemeritis, vel eorum propinquis debeant reuerti hæredibus, tam ſuprà ſcriptæ villæ, quàm & de præſidio eorum quicquid morientes reliquerint. Propterea per præſens præceptum decernimus, & iubemus, vt dum taliter ſuper ſcriptis illis decreuit voluntas, & per manum noſtram inuicem condonatum eſſe dignoſcitur, per hoc præceptum, robuſtiſſimo iure ſuffultum, atque firmatum, quicquid ſuperiùs continetur (auxiliante Domino, & noſtra gratia) debeat perdurare. Ita vt nulla refragatio nec de parte fiſci noſtri, nec à parentibus eorum propinquis, nec à quocumque poſſit conuelli, ſed omni tempore maneat inconuulſum. Quam verò auctoritatem, vt firmior habeatur, vel per tempus conſeruetur, manu propria ſubtus eam decreuimus roborari.

## *XIII. Præceptum de læſiuuerpo per manum Regis.*

*Lind. XLIII.*

QVICQVID enim præſentia noſtra agitur, vel per manum noſtram videtur eſſe tranſuulſum, volumus ac iubemus vt maneat in poſterum * robuſtiſſimo iure firmiſſimum. Ideóque veniens ille fidelis noſter, ibi in palatio noſtro, in noſtra vel procerum noſtrorum præſentia, villas nuncupatas illas, ſitas in pago illo, ſua ſpontanea voluntate nobis per fiſtucam viſus eſt vuerpiſſe, vel condonaſſe, in ea ratione ſi ita conuenit, vt dum vixerit ſub veſtro beneficio debeat poſſidere, & poſt ſuum diſceſſum, ſicut eius adfuit petitio, nos ipſas villas fideli noſtro illi plena gratia viſi fuimus conceſſiſſe. Quapropter per præſens decernimus præceptum, quod perpetualiter manſurum eſſe iubemus, vt dummodo taliter ipſius illius decreuit voluntas, quod ipſas villas in ſuprà ſcriptis locis nobis voluntario ordine viſus eſt læſouuerpiſſe, vel condonaſſe: & nos prædicto viro illi ex noſtro munere largitatis, ſicut ipſius illius decreuit voluntas, conceſſimus: hoc eſt tam in terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſiluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, ad integrum quicquid ibidem ipſius illius portio fuit, dum aduixerit abſque aliqua deminutione, de qualibet re vſufructuario ordine debeat poſſidere: & poſt eius diſceſſum memoratus ille

Donatio Regi facta retento vſufructu, vt ille alij concedat qui à donante electus eſt.

*Solemnior videlicet videtur eſſe donatio, & firmior per Regis interpoſitionem,

hoc habeat, teneat & poſſideat, & ſuis poſteris, aut cui voluerit ad poſſidendum relinquat. Et vt hæc auctoritas, &c.

*Lind. XLIV.*

## *XIV. Prologi ceſſionum Regalium.*

Donatio facta in proprietatem, non in beneficium. cum emunitate integra, emendis, iuſtitia.

MERITO largitatis noſtræ munere ſubleuantur, qui parentibus noſtris vel nobis, ab adoleſcentia ætatis eorum, inſtanti famulantur officio. ITEM ALIA. Præcipuè compendiis regalibus illud adſcribitur, quod pro contemplatione ſeruitutis, fidelibus ſuis concedente Domino conſultiſſimè muneratur. ITEM ALIA AD LOCVM SANCTVM. Nihil, vt ait Apoſtolus, in hoc mundo intulimus, nec quicquam ex eo auferre nobiſcum poterimus, niſi quod ob animæ ſalutem, locis ſanctorum deuotè Domino offerentes impertite videmur. Ergo cognoſcat magnitudo, ſeu ſtrenuitas veſtra, nos inluſtri viro illi promptiſſima voluntate, villam nuncupatam illam, ſitam in pago illo, cum omni merito * ex termino ſuo, in integritate, ſicut ab illo, aut à fiſco noſtro fuit poſſeſſa, vel moderno tempore poſſidetur, viſi fuimus conceſſiſſe. Quapropter præſentem auctoritatem noſtram decernimus, quam perpetualiter manſuram eſſe iubemus, vt ipſam villam illam antedictus vir ille, vt diximus, in omni integritate, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſiluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, farinariis, adiacentiis, appenditiis,

*Lind. XLV.* Ceſſio ad Laicos.

*ir. &*

penditiis, vel quolibet genere hominum ditioni fiſci noſtri ſubditorum, qui ibidem commanent, in integra emunitate, abſque vllius introitu iudicum, de quibuſlibet cauſis ad freda exigendum, perpetualiter habeat conceſſam. Ita vt eam iure proprietario, abſque vllius expectata iudicum traditione, habeat, teneat atque poſſideat, & ſuis poſteris, Domino adiuuante, ex noſtra largitate, aut cui voluerit ad poſſidendum relinquat, vel quicquid exinde facere voluerit, ex noſtro permiſſu in omnibus habeat poteſtatem. Et vt hæc auctoritas, &c.

## *XV. Ceſſio ad locum ſanctum.*

COGNOSCAT magnitudo ſeu vtilitas veſtra, nos propter nomen Domini ad baſilicam illam, vel Eccleſiam illam, vbi Apoſtolicus Pater noſter ille, aut venerabilis vir ille Abas, præeſſe videtur, villam nuncupatam illam, ſitam in pago illo, quam vſque nunc fiſcus noſter ille tenuit, promptiſſima deuotione cum omni integritate viſi fuimus conceſſiſſe. Quapropter per præſentem auctoritatem noſtram decernimus, quam perpetualiter manſuram eſſe iubemus, vt ipſam villam, memorata Eccleſia illa, vel antedictus Pontifex, aut ille Abas, vt diximus, in omni integritate cum terris, *& cætera quæ ſuperiùs ſunt*, ita vt eam & ipſi & ſucceſſores ſui habeant, teneant & poſſideant, vel quicquid exinde ad profectum Eccleſiæ illius



Digitized by Google

aut baſilicæ facere voluerint, ex permiſſu noſtro in omnibus habeant poteſtatem. Et vt hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora conſeruetur, manus noſtræ ſubſcriptionibus ſubtus eam decreuimus roborare.

## *XVI. Confirmatio.*

QVEM diuina pietas ſublimat ad Regnum, condecet facta conſeruare parentum, præcipue quod pro compendiis Eccleſiarum, aut locis ſanctorum, à regali clementia pro æterna retributione probatur eſſe indultum, oportet conſeruare eum. Igitur Apoſtolicus vir, pater in Chriſto noſter, illius vrbis Epiſcopus, clementiæ Regni noſtri detulit in notitia, quaſi ille Rex per ſuam præceptionem, ſua manu ſubſcriptam, ad Eccleſiam illius, cui præeſſe dignoſcitur, villam nuncupatam illam, ſitam in pago illo, cum integritate ſua, ſub omni emunitate, abſque vllo introitu iudicum, de quibuſlibet cauſis ad freda exigendum, propter nomen Domini conceſſiſſet: & ipſam præceptionem ſe præ manibus habere adfirmat, & memoratam villam ipſe Pontifex, ſub eodem modo ad partem Eccleſiæ poſſidere videatur, petit ad celſitudinem noſtram, vt hoc circa eodem, vel memorata Eccleſia domni illius, per noſtra deberemus confirmare oracula. Quod nos propter nomen Dei, & reuerentia ipſius ſancti loci, vel merito præfati Pontificis, gratante animo præſtitiſſe,

vt confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes enim, vt ſicut conſtat præfatam villam, à iam dicto Principe, memoratæ Eccleſiæ illius, cum integritate, ſub omni emunitate fuiſſe conceſſam, & eam ad præſens poſſidere videtur, inſpecta ipſa ceſſione, per hoc præceptum pleniùs in Dei nomine confirmatam, ſub eo ordine, & ipſe & ſucceſſores eorum, vel memorata Eccleſia domini illius, illam teneant, & poſſideant, & eorum ſucceſſoribus ad poſſidendum relinquant, vel quicquid exinde pro opportunitate ipſius ſancti loci faciendum decreuerint, ex noſtro permiſſu liberam habeant poteſtatem. Et vt hæc auctoritas, &c.

## *XVII. Confirmatio pro ſecularibus viris.* Lind. XLVI.

REGIAM conſuetudinem exercemus, & fidelium noſtrorum animos adhortamur, ſi petitionibus noſtrorum fidelium libenter annuimus, & eas in Dei nomine effectui mancipamus. Igitur inluſtris vir ille clementiæ Regni noſtri ſaggeſſit, eo quòd ante hos annos ille quondam Rex parens noſter, villam aliquam, nuncupatam, ſitam in pago illo, quæ antea ad fiſcum ſuum adſpexerat, & ille tenuerat, pro fide ſua recta, eius meritis compellentibus, cum omni integritate, & ipſam villam aſpicientem per ſuam præceptionem, ſua manu roboratam, in integra emunitate, abſque vllius introitu iudicum de quibuſlibet cauſis ad freda exigendum, eidem conceſſiſſet. Vnde & ipſam præ-

ceptionem antedicti Principis, nobis oſtendit il-legendam, & memoratam villam ad præſens ſub eodem modo poſſidere videtur; petiit vt hoc circa eodem noſtra pleniùs deberet auctoritas generaliter confirmare. Cuius petitionem pro reſpectu fidei ſuæ, ſicut vnicuique de fidelibus noſtris, iuſta petentibus nequiuimus denegare, ſed gratante animo præſtitiſſe, & confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes ergo vt ſicut conſtat antedictam villam illam, cum omni integritate ſua, ab ipſo Principe illo memorato illi fuiſſe conceſſam, & eam ad præſens iure proprietario poſſidere videtur, per hoc præceptum pleniùs in Dei nomine confirmatum inſpecta ipſa præceptione, & ipſe, & poſteritas eius eam teneant & poſſideant, & cui voluerint ad poſſidendum relinquant, vel quicquid exinde facere decreuerint, ex noſtro permiſſu libero perfruantur arbitrio. Quam verò auctoritatem, vt firmior habeatur, & per tempora conſeruetur, propria manu ſubtus eam decreuimus roborare.

Lind. XLVII.

## XVIII. *De Regis antruſtione.*

RECTVM eſt, vt qui nobis fidem pollicentur inlæſam, noſtro tueantur auxilio. Et quia ille fidelis, Deo propitio, noſter, veniens ibi, in palatio noſtro, vnà cum * arimania ſua in manu noſtra truſtem & fidelitatem nobis viſus eſt coniuraſſe. Propterea per præſens præceptum decernimus ac iubemus, vt deinceps memoratus ille in

* id eſt familia, inde *megnie.*

numero antruſtionum computetur. Et ſi quis forraſſe eum interficere præſumpſerit, nouerit ſe vuirgildo ſuo ſol. DC. eſſe culpabilem, iudicetur.

## XIX. *Praeceptum de clericatu.*

Lind. XXXI.

SI eis qui ſe ad onus clericatus transferre deliberant, licentiam non negamus, retributorem Dominum exinde habere confidimus, quia ſcriptum eſt, *Noli prohibere benefacere ei qui poteſt, ſi vales & ipſe benefac.* Ille ad noſtram veniens præſentiam, petiit ſerenitati noſtræ, vt ei licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis ſui ad onus clericatus deponere deberet, & ad baſilicam illam aut monaſterium deſeruire deberet. Quod nos propter nomen Domini hoc eidem gratante animo præſtitiſſe cognoſcite. Præcipientes ergo iubemus, vt ſi memoratus ille de capite ſuo bene ingenuus eſſe videtur, & in puletico publico cenſitus non eſt, licentiam habeat comam capitis ſui tonſurare, & ad ſuprà ſcriptam baſilicam, vel monaſterium deſeruire, vel pro nobis Domini miſericordiam adtentiùs exorare.

## XX. *De diuiſione, vbi Regis acceſſerit miſſus.*

Lind. CXIV.

DVM & diuiſio, vel exequatio, inter illum & illum, ſeu conſortes eorum, de alode lui, aut de agro illo celebrari debet; & quatenus petitio illorum adfuit, vt miſſus de palatio noſtro ad

hoc inter eos diuidendum, vel exequandum, accedere deberet. Ideo cognoſcite, quòd nos miſſum noſtrum inluſtrem virum illum ad hoc inter eos exequandum viſi fuimus direxiſſe. Propterea per præſens decernimus præceptum, vt ipſum in hoc vos recipere faciatis, & vnicuique ex ipſis iuſtè debita portio terminetur, * [ & decima illius ſumptus litis, ] quod exinde in fiſci ditionibus, tam de terra, vineis, mancipiis, vel vndecumque re debetur, ipſe vir ille habeat ex noſtra indulgentia conceſſum, vel quicquid exinde facere voluerit liberam habeat poteſtatem.

* *Deſunt in Pith. Cod. & Lindemb.*

*Lind. CXV.*

## XXI. *De cauſis alterius recipiendis.*

FIDELIS Deo propitio ille, ad noſtram veniens præſentiam ſuggeſſit nobis, eo quòd propter ſimplicitatem ſuam, cauſas ſuas minimè poſſit proſequi, vel admallare, clementiæ Regni noſtri petiit, vt inluſtris vir ille omnes cauſas ſuas in vice ipſius, tam in pago, quàm in palatio noſtro admallandum proſequendúmque recipere deberet, quod in præſenti per fiſtucam eas eidem viſus eſt commendaſſe. Propterea iubemus, vt dum taliter vtriuſque decreuit voluntas, memoratus ille vir omnes cauſas lui, vbicumque proſequi vel admallare deberet, vt vnicuique pro ipſo, vel hominibus ſuis, reputatis conditionibus, & directum faciat, & ab aliis ſimiliter in veritate recipiat. Sic tamen quamdiu amborum decreuit voluntas.

Digitized by Google

## XXII. *Præceptum denariale.* Lind. CII.

ET quia Apoſtolicus, aut inluſtris vir ille ſeruum ſuum nomine illum, per manum* illius ad noſtram præſentiam iactante denario ſecundùm legem Salicam dimiſit ingenuum, eius quoque abſolutionem per præſentem auctoritatem firmamus: præcipientes enim vt ſicut & reliqui manſoarij, qui per talem titulum à iugo ſeruitutis in præſentia Principum noſcuntur eſſe relaxati ingenui, ita & à modo memoratus ille per noſtrum præceptum pleniùs in Dei nomine confirmatum nullo inquietante, perenniſque temporibus, cum Dei & noſtra gratia valeat permanere bene ingenuus atque ſecurus.

## XXIII. *Charta de cauſa ſuſpenſa.* Lind. XXXVI.

COGNOSCAT magnitudo ſeu vtilitas veſtra, dum & nos ad præſens Apoſtolicum virum, aut inluſtrem virum pro noſtris vtilitatibus, ibi ambulare præcepimus, ideo iubemus vt dum illis partibus fuerit demoratus, omnes cauſæ ſuæ, ſuorúmque amicorum, aut gaſindorum, ſeu vndecumque ipſi legitimo redibit mittio, in ſuſpenſo debeant reſidere. Propterea per præſens decernimus ac iubemus præceptum, vt interim quòd de illis partibus reuertitur, omnes cauſæ eius, aut amicorum ſuorum, tam illorum qui cum illo per-

gunt, quàm qui ad propria eorum reſident, vel vndecumque ipſe legitimo redibit mittio, in ſuſpenſo reſideant, & poſtea vnicuique pro ipſis de reputatis conditionibus, & iuſtitiam reddat, & ab aliis ſimili modo recipiat.

Lind. XXXVII.

## *XXIV. Charta de mundeburde Regis & Principis.*

RECTVM eſt vt Regalis poteſtas illis tuitionem impertiat, quorum neceſſitas comprobatur. Igitur cognoſcat magnitudo ſeu vtilitas veſtra, quòd nos Apoſtolicum, & venerabilem illum Epiſcopum, aut Abatem Eccleſiæ, vel monaſterij in honore illius Sancti conſtructi, cum omnibus rebus vel hominibus aut gaſindis, vel amicis, ſeu vndecumque ipſe legitimo reddibit mittio, iuxta eius petitionem, propter malorum hominum inlicitas infeſtationes, ſub ſermonem tuitionis noſtræ viſi fuimus recepiſſe, vt ſub mundeburde vel defenſione inluſtris viri illius maioris domus noſtri, cum omnibus rebus præfatæ Eccleſiæ aut monaſterij, quietus debeat reſidere, & ſub ipſo viro illo, inluſtris vir ille, cauſas ipſius Pontificis, aut Abatis, vel Eccleſiæ aut monaſterij, vel qui per eum ſperare videntur, vel vndecumque legitimo reddibit mittio, tantum in palatio noſtro, ſequi deberet. Propterea per præſens decernimus ac iubemus præceptum, vt memoratus Pontifex, aut Aba ſub noſtro ſermone, & mundeburde antedicti

Digitized by Google

tedicti viri quietus reſideat: & nec vos, nec iuniores aut ſucceſſores veſtri, vel quiſlibet eum de inquiſitis occaſionibus iniuriare, nec inquietare præſumatis. Et ſi aliquæ cauſæ aduerſus eum, vel ſuo mittio ſurrexerint, quas in pago abſque eius graui diſpendio definitæ non fuerint, in noſtri præſentia reſeruentur. Quam præceptionem, vt firmior habeatur, propria manu ſubſcripſimus.

## *XXV. Prologus de Regis iudicio cùm de magna re duo cauſantur ſimul.* Lind. CIX.

CVi Dominus regendi curam committit, cunctorum iurgia diligenti examinatione eum rimari oportet, vt iuxta propoſitionum, vel reſponſionum alloquia, inter alterutrum ſalubris donetur ſententia. Quo fiat, vt & nodos cauſarum viuacis mentis acumen coërceat, & vbi prælucet iuſtitia, illuc greſſum deliberationis imponat. Ergo nos in Dei nomine, ibi in palatio noſtro, ad vniuerſorum cauſas recto iudicio terminandas, vna cum domnis & patribus noſtris Epiſcopis, vel cum pluribus optimatibus noſtris illis, patribus illis, referendariis illis, domeſticis illis, vel ſeniſcalcis illis, cubiculariis, & illo comite palatij, vel reliquis quampluribus noſtris fidelibus reſideremus: ibique veniens ille illum interpellauit, cùm diceret, &c.



Digitized by Google

Lind. CX.

## XXVI. *Indiculus commonitorius ad Epiſcopum.*

DOMINO ſancto & Apoſtolica Sede colendo, domno & in Chriſto Patri illi Epiſcopo, ille Rex. Fidelis Deo propitio noſter ille ad præſentiam noſtram veniens, ſuggeſſit nobis, eo quòd villam aliquam nuncupatam illam, quæ ad eundem de parte illius peruenire debuerat, poſt vos retineatis indebitè, & nullam iuſtitiam vobiſcum poſſit conſequi. Propterea præſentem indiculum ad coronam beatitudinis veſtræ direximus, vt & pro nobis orare debeatis, & ſi taliter agetur antedictum illum de ſupraſcripta villa legibus reueſtire faciatis. Certè ſi nolueritis, & aliquid contra hoc habueritis, quod opponere, voſmetipſi per hunc indiculum commoniti, aut miſſus in perſona veſtra inſtructus, nunc ad noſtram veniatis præſentiam, ipſi lui ad hoc dandum reſponſum.

Lind CXII.

## XXVII. *Item indiculus ad Epiſcopum pro aliis diſtringendis.*

DOMINO ſancto & Apoſtolico, domno & patri illi Epiſcopo, ille Rex. Ille veniens ad præſentiam noſtram ſuggeſſit, quaſi Aba veſter, aut clericus, vel homo veſter ille, eidem ſeruo ſuo per fortiam tuliſſe, vel poſt ſe retineat iniuſtè, & nullam iuſtitiam cum eodem ex hoc conſequi poſ-

ſit. Propterea præſentem indiculum ad ſanctitatem veſtram direximus, per quem petimus, vt & pro nobis orare dignemini, & ſi taliter agetur, ipſum Abatem veſtrum, aut clericum, præſentaliter conſtringatis, qualiter ſi ita agetur hanc cauſam contra iam dictum illum legibus ſtudeat emendare. Certè ſi noluerit, & aliquid contra hoc habuerit quod opponere, ipſum illum per fideiuſſores poſitos, tunc ad noſtram dirigere ſtudeatis præſentiam.

## *XXVIII. Charta audientialis.*

*Lind.* CXII.

ILLE Rex viro illi inluſtri illi Comiti, Fidelis Domino propitio noſter ille, ad præſentiam noſtram veniens, clementiæ Regni noſtri ſuggeſſit, eo quòd pagenſis veſter ille, eidem terram ſuam in loco nuncupante illo, per fortiam tuliſſet, & poſt ſe retineat iniuſtè, & nullam iuſtitiam ex hoc apud ipſum conſequi poſſit: Propterea ordinationem præſentem ad vos direximus, per quam omnino iubemus, vt ipſum illum taliter conſtringatis, qualiter ſi ita agetur, hanc cauſam contra iam dictum illum legibus ſtudeat emendare. Certè ſi noluerit, & ante vos rectè non finitur, memoratum illum, tultis fideiuſſoribus, KL. illis, ad noſtram eum cum omnimodis dirigere ſtudeatis præſentiam.

Lind. CXI.

## *XXIX. Indiculus ad Laïcum.*

ILLE Rex vir inluſter, illi fideli noſtro, ille ad præſentiam noſtram veniens nobis ſuggerit, quaſi vos nulla manente cauſa, in via adſalliſſetis, & grauiter liuoraſſetis, & raupa ſua in ſolidos tantos eidem tuliſſetis, vel poſt vos retineatis indebitè, & nullam iuſtitiam ex hoc apud vos conſequi poſſe. Propterea præſentem indiculum ad vos direximus, per quem omninò iubemus, vt ſi taliter agitur de præſente hoc, contra iam dictum illum legibus ſtudeatis emendare. Certè ſi nolueritis, & aliquid contra hoc habueritis quod opponere, non aliter fiat niſi voſmetipſi per hunc indiculum commoniti, KL. illis proximis ad noſtram veniatis præſentiam, eidem ab hoc integrum & legale dare reſponſum.

Lind. XLI.

## *XXX. Commutatio cum Rege.*

ILLE Rex illi Regi. Nihil ſibi quiſque cernitur minuendo, quicquid è contra recipitur in augmento. Dum inter nos & inluſtrem virum illum vnanimiter conuenit, vt loca aliqua inter nos commutare deberemus, nos dedimus ei locellum nuncupantem illum in pago illo, cum colonicis illis, vel omnibus adiacentiis eorum, & merito ſuo, tam domibus, mancipiis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, vel reliquis quibuſcumque beneficiis,

quodcumque ille, vel fiſcus noſter, in ipſis locis tenuiſſe noſcitur: & ipſe hæc contra dedit nobis omnem portionem ſuam, quam in villa illa, in pago illo, habuiſſe viſus eſt, cum itémque domibus, mancipiis, vineis, ſyluis, vel reliquis quibuſcumque beneficiis, quæcumque ibidem habuit & nos pro animæ noſtræ remedio ibi dedimus. Quapropter hoc præceptum commodum commutationis ipſius, verè fieri decreuimus, vt à præſenti die ipſa locella cum omnibus ſuperiùs ſcriptis, vel omni integritate ſua, quicquid, vt diximus, ille, vel fiſcus noſter ibidem tenuit, ipſe ille hoc habeat, teneat, atque poſſideat, & ſuis poſteris ad poſſidendum relinquat, vel quicquid exinde facere voluerit, ex noſtra commutatione liberam habeat poteſtatem: & vnaquæque pars quòd in concambio bonæ pacis placuit accepiſſe, exinde per tempora debeat Deo permittente gratulari. Et vt hæc præceptio, &c.

## *XXXI. Confirmatio Regis de omni corpore facultatis.* *Lind. XLII.*

MERITO regalis clementia in illos conlata munera, vel proprietates parentum noſtrorum, confirmare deliberat, quos cognoſcit anterioribus Regibus, parentibus noſtris, vel nobis fidem integram conſeruaſſe inlæſam. Idcirco inluſter vir ille, chartas præcedentium Regum nobis protulit recenſendas, qualiter parentibus ſuis loca aliqua fuerunt conceſſa; Petiit vt cùm de omni

corpore facultatis ſuæ tam quod Regio munere, ipſe vel parentes ſui, promeruerunt, quàm quod per venditionis, ceſſionis, donationis, commutationiſque titulum ad præſens iuſtè, & rationabiliter eſt conquiſitum, & ad præſens poſſidere videtur, per noſtrum in ipſo deberemus generaliter confirmare præceptum. Quod nos pro diuino intuitu, vel eius meritis compellentibus, integra deuotione magnitudo veſtra præſtitiſſe cognoſcat. Præcipientes enim vt quicquid ex ſucceſſione parentum, vel eius voluntate, tam munere regio, vel per quælibet inſtrumenta chartarum ad eundem iuſtè peruenit, tam in villabus, mancipiis, ædificiis, accolabus, auro, argento, ſpeciebus, ornamentis, mobili aut immobili, aut quodcumque in quibuſlibet rebus, per inſtrumenta chartarum, tempore præſenti cum rationis ordine dominare videtur, per hanc auctoritatem firmatum cum Dei & noſtra gratia, in integritate hoc valeat poſſidere, & ſuis poſteris auctore Domino derelinquere. Et vt hæc auctoritas, &c.

Lind. CXXVI.

## *XXXII. Si aliquis contra Regis voluntatem egerit, ſecuritas cui eum perſequi iuſſerit.*

QVI Regiæ obtemperant iuſſioni, experiri malum in poſterum à quolibet non debent. Igitur cum & ille cum reliquis paribus ſuis, qui eum ſecuti fuerint, facientem reuello illum interfecit, aut quaſlibet alias cauſas contra Regem commiſit,

vel de regno noſtro ſe tranſtulit, quod nobis ſatis fuit moleſtum; & vnà cum conſilio fidelium noſtrorum, omnes res eius ſub fiſci titulum inluſtribus viris illis præcipimus reuocare, quia ſi ſe non diſtuliſſet, non ſolùm res perdere, ſed pro tali reuello in vita ordinaueramus inſequi. Propterea præſentem præceptionem dedimus, vt dum prædicti viri illi, vel reliqui pares, aut gaſindi, non ex ſua præſumptione, niſi per noſtram ordinationem, vnà cum conſilio ſeniorum fidelium noſtrorum, ipſas res ſub fiſco noſtro poſitas habuerint, & noſtris ditionibus vbi iuſſimus, vel reliquorum qui cum eodem mixti fuerunt, nec heredes eorum exinde quamlibet calumniam, aut repetitionem vllam habere penitus non debeant, ſed tam ipſi illi, quàm pares, gaſindi, vel amici, quicquid de rebus prædicti illius erat, & ablatum fuit, dum per eius culpas, & noſtra ordinatione factum eſt, omni tempore exinde deducti, & abſoluti permaneant: & vt diximus calumniam aut repetitionem, vel damnietatem, quando quidem, exinde ſuprà ſcripti viri, vel fideles noſtri, non pertimeſcant habere. Et vt hæc præceptio, &c.

*XXXIII. Præceptum quorum ab hoſtibus, vel alio modo fuerint inſtrumenta incenſa.* Lind. CV.

A REGALI neceſſe eſt releuentur clementia, qui damnietatem ab hoſtibus, vel paſſi ſunt violentiam. Igitur fidelis Deo propitio noſter ille,

clementiæ regni noſtri ſuggeſſit, eo quòd ante hos annos, aut anno ſuperiori, exercitus noſter, aut illius Regis, domus ſuas incendio cremaſſent, vel res ſuæ quamplures vnà cum inſtrumentis chartarum; tam per quod regio munere perceperat, quàm & quod per venditionis, donationis, ceſſionis, commutationis titulum, vel de alode parentum in quocumque loco in regno noſtro aliquid poſſidebat, ibidem concrematæ fuiſſent. Vnde relationem bonorum hominum manibus roboratam, qualiter ipſis ita cognitum ſit, ſuggeſſit nobis, & protulit recenſendam: & omnes res ſuas vnde ipſa inſtrumenta perierant, abſque vllius inquietudine, ſicut & antea fecit quietus poſſidere videtur. Sed pro firmitatis ſtudio petiit memoratus ille, vt per noſtram auctoritatem omnes res ſuas, tam quod regio munere, quàm quod per venditionis, ceſſionis, commutationiſque titulum, vel reliquam alodem, ad præſens cum æquitatis ordine quietus poſſedit, deinceps in iure & dominatione eius confirmare deberemus. Cuius petitioni gratante animo præſtitiſſe, vel confirmaſſe cognoſcite. Præcipientes ergo iubemus, vt quicquid memoratus ille tam in terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſyluis, campis, pratis, aquis, aquarumve decurſibus, vel reliquis quibuſcumque beneficiis (quod per relationem ſuprà ſcriptorum virorum cognouimus) iuſtitia rationabiliter vſque nunc vbicumque in regno noſtro poſſidere videtur, dum eius inſtrumenta cremata eſſe cognouimus, per

hoc

hoc præceptum plenius in Dei nomine circa eum ſuffultum, atque firmatum, abſque vllius inquietudine, vel refragatione teneat & poſſideat, & ſuis poſteris, aut cui voluerit in Dei nomine ad poſſidendum relinquat. Quam verò auctoritatem, perpetuis temporibus valituram propria manu ſubter roborare decreuimus.

## *XXXIV. Relatio pagenſium ad Regem directa.* *Lind. CIV.*

SVGGERENDO piiſſimo atque præcellentiſſimo domno illi Regi, & Maiori domus illius, à ſeruis veſtris pagenſibus illis, quorum ſubſcriptiones, vel ſignacula ſubtus tenentur inſerta: Principalis veſtri circumſpecta clementia, nouit iuſta petentibus dignanter annuere, & neceſſitatem patientibus ſubuenire clementer. Penè omnibus patet, regionem noſtram ab hoſtibus depopulatam eſſe, & domus multorum igne crematas, vel rebus ablatis. Inter quos ſeruus veſter ille non modicum ibidem perpeſſus eſt damnum, & de rebus ſuis diſpendium, vel omnia inſtrumenta chartarum, quæ ipſe vel parentes ſui habuerunt, tam quod & munificentia Regum poſſedit, quàm quod per venditionis, ceſſionis, donationis, commutationiſque titulum habuit, vnà cum domo ſua incendio concremata eſſe noſcuntur, vnde noſtras paruitates petiit, quod veraciter exinde cognouimus, per hanc noſtram ſuggeſtionem veſtræ innoteſcere clementiæ, quod & facere ſerui veſtri de-

creuimus. Veſtra pietas iubeat, quod vſque modò in regno veſtro quietus poſſedit, circa eodem per veſtro munere præceptum, vt inantea valeat, dum ſua perdidit inſtrumenta poſſidere quietus & ſecurus. Nos ſerui veſtri quod exinde veracius ſcimus, innoteſcere præſumpſimus, veſtrum eſt neceſſitatem patientibus ſubuenire.

Lind. VIII. *XXXV. Confirmatio de omni corpore facultatis monaſterij.*

ILLE Rex illi Patricio, atque omnibus agentibus. Rectum eſſe cenſemus, vt petitiones ſacerdotum quæ ad profectum pertinent locorum ſanctorum, ad effectum Chriſto præſide perducamus. Igitur venerabilis vir ille ſancti monaſterij Abas, gloriæ regni noſtri petiit, vt dum ipſum ſanctum monaſterium de conlatione parentum noſtrorum, Deo adiutore videtur eſſe conſtructum, nos omne corpus facultatis eius, tam quod anteceſſores Abates ibidem laborauerunt, vel ille domnus Abas, qui ibidem fuiſſe dignoſcitur de re monaſterij ibidem viſus eſt augmentaſſe, aut comparaſſe, quod ab ipſo ſancto loco moderno tempore poſſidetur, per noſtrum deberemus generaliter confirmare præceptum. Quod nos pro diuino reſpectu, vel mercedis noſtræ augmentum præſtitiſſe veſtra non dubitet magnitudo. Etiam & priuilegium ipſius monaſterij quod inſtitutionem Sedis Apoſtolicæ, ſeu reliquorum Epiſcoporum viſi ſunt meruiſſe, & per aucto-

ritatem domni illius, ſeu à reliquis ſucceſſoribus parentibus noſtris adumbratum fuiſſe dinoſcitur, iuxta quod etiam propriorem præceptionem noſtram erga ſe perhibentes, ſemonitum propriam ſtabilitatem decreuimus roborare. Præcipientes ergo, vt omnes facultates ipſius monaſterij, quicquid aut Regia conlatione, aut priuatorum munere, vel ab anteceſſoribus Abatibus, ſeu & à domno lui ibidem eſt legaliter adquiſitum aut comparatum, immo de quibuſcumque rebus rectè adtractum, quodcumque dominatio ipſius ſancti loci vndique moderno tempore in villabus, domibus, mancipiis, vineis, ſyluis, pratis, paſcuis, aut quibuſlibet beneficiis, cernitur cum æquitatis ordine poſſidere, per hanc auctoritatem ſuffultum, abſque cuiuſlibet inlicitis controuerſiis, mihi tam præſenti quàm futuro tempore, Chriſto præſule proficiat in augmentum; Adiicientes vt & priuilegium tam de Abatum ingreſſu ipſa congregatio, poſtquam alius migrauerit ex ſe inſtituendo, quàm & de reliquis omnibus quæ per inſtitutionem Pontificum, de tempore illo vſque nunc ipſum monaſterium habuit conceſſa, & vſque hactenus conſeruata, vel per deceſſores Reges circa ſe firmata: ita & inantea reſecatis quarumcumque ſuperfluis inquietudinibus ſub eo ordine valeant in noſtro ſermone, auxiliante Domino per tempora permanere. Et vos & ſucceſſores veſtri, vbi neceſſitas fuerit, in conditionibus ipſius monaſterij, pro ſalute noſtra crebriùs exorare, & vobis ob hoc ad gra-

tiam noſtram debeat pertinere. Et vt hæc præceptio firma ſtabilitate ſubſiſtat, propria manu infrà decreuimus roborare.

Lind. IX.

## XXXVI. *Vt cauſas auctorum adſumendi ſuorum aliquis licentiam habeat.*

MALORVM neceſſe eſt tergiuerſationem Regali coërcere cenſura. Igitur Apoſtolicus vir ille, illius vrbis Epiſcopus, aut venerabilis ille Abas, aut Deo ſacrata illa Abatiſſa de monaſterio illo, vel quilibet fidelium domnorum, miſſa petitione, aut ipſe nobis innotuit, eo quòd à diuerſis hominibus eorum ſpontanea voluntate, tam ipſe quàm anteceſſores eorum, data pecunia, infra regnum noſtrum plurima in terris, aut mancipia comparaſſent, vel reliqui homines ad ipſam Eccleſiam vel monaſterium pro animæ eorum remedio, nonnulla per eorum inſtrumenta delegaſſent; & hoc ad præſens cum æquitatis ordine poſſidere videntur; Petiit vt pro tempore futuro, vel * maiorum hominum iniurias coërcendo, dum plures benefactores, vel venditores pro clade quæ graſſatur in populo, vel complente fine naturæ, abſque heredibus de hac luce diſceſſerint: ſi aliquis per quodlibet ingenium de ipſis rebus eum inquietare voluerit, licentiam haberet in vice auctorum ſuorum ipſe, vel aduocatus ſuus eorum cauſas adſumere. Quod nos propter nomen Dei, & reuerentiam ipſius ſancti loci præſtitiſſe cognoſcite. Præ-

* malorum

cipientes ergo iubemus, vt memoratus Pontifex aut Abas, vel Abatiſſa, vel aduocatus eius, in vice auctorum ſuorum, cauſas ipſius licentiam habeat adſumendi, vel homallandi, & per eorum inſtrumenta aut de annis ipſius rei, vnde tunc à quibuſlibet inquietari videbuntur, partibus Eccleſiæ, vel monaſterij ſui, cum æquitatis ordine reſpondendi, vel homallandi, ſuper annis contra quemcumque ſanciendi.

## *XXXVII. Iudicium euinditale.* Lind. CLVIII.

VENIENS ille, in noſtri vel procerum noſtrorum præſentia, ſuggeſſit, quaſi homo nomine ille pagenſis veſter, eum in villa nulla manente cauſa adſalliſſet, & eum grauiter liuoraſſet, vel raupa ſua in ſolidos tantos eidem tuliſſet, & ob hoc vobis per noſtram ordinationem tales datos habuiſſet fideiuſſores, vt KL. illis ex hoc in noſtri præſentia debuiſſent adſtare cauſantes.* A quo placito veniens memoratus ille, ibi in palatio noſtro, & per triduum, ſeu amplius, vt lex habuit, placitum ſuum cuſtodiſſet, & memoratus ille abiectus ſit, vel ſolſatis ſit, ipſe nec veniſſet ad placitum, nec nulla ſunnia nuntiaſſet, adfirmat. Proinde nos taliter vnà cum noſtris proceribus conſtitit decreuiſſe, vt ſi euidenter memoratus ille pro hac cauſa tales vobis datos habuit fideiuſſores, & placitum ſuum minimè cuſtodiuit. Dum & inluſtris vir ille Comes palatij noſtri teſtimoniauit,

* l'r. Ad quod placitum

quòd antedictus ille placitum ſuum legibus cuſtodiuit, & eum adiectiuit, vel ſolſatiuit, & ipſe ille placitum cuſtodire neglexit; iubemus vt quicquid lex loci veſtri de tali cauſa edocet, vobis diſtringentibus, antedictus ille partibus illius componere, & ſatisfacere non recuſet.

Lind. CLVII.

## *XXXVIII. Charta paricla.*

CVM in noſtra vel procerum noſtrorum præſentia, homo nomine ille itémque hominem nomine illum interpellaſſet, quaſi ſeruo ſuo nomine illo, vnà cum raupa ſua in ſolidos tantos, poſt ſe fugitiuos pedes recepiſſet, vel poſt ſe retineat indebitè: aut hæc præfatus ille omnia fortiter viſus eſt denegaſſe, quod nec ipſe ipſo ſeruo fugitiuos pedes, nec raupa ſua poſt ſe nunquam recepiſſet: Sed dum inter ſe intenderent, ſic eiſdem à proceribus noſtris, in quantum inluſtris vir ille Comes palatij noſtri teſtimoniauit, fuit iudicatum, vt de quinque denominatis, idem ille apud tres & alios tres, ſua manu ſeptima, tunc in palatio noſtro, ſuper capellam domni Martini, vbi reliqua ſacramenta percurrunt, debeant coniurare, quòd ſuprà ſcripto ſeruo illo memoratus ille pedes fugitiuos, vnà cum raupa ſua in ſolidos tantos, poſt ſe nunquam recepiſſet; Si hoc coniurare potuerit, de hac cauſa ductus ſedeat, ſin autem non potuerit, ipſum ſeruum vnà cum raupa ſua in ſolidos tantos cum legis beneficio, partibus antedi-

ċti illius reddere ſtudeat. Interim verò vſque in ipſo placito, quia nec vtra pars ex ipſis victa ſit apparet, * vnde æquales præceptiones eis fieri, & *lo, inde* accipere iuſſimus.

## *XXXIX. Vt pro natiuitate Regis ingenui relaxentur.* Lind. xxcix.

ILLE Rex Francorum viro inluſtri illi Comiti. Dum & nobis diuina pietas, iuxta votum fidelium, & procerum noſtrorum, de natiuitate filij noſtri illius, magnum gaudium habere conceſſit, vt miſericordia Dei vitam eidem concedere dignetur; iubemus vt per omnes villas noſtras, quæ in veſtra, vel in cuncto regno noſtro aliorum domeſticorum ſunt actionibus, tres homines ſeruientes in vtroque ſexu, in vnaquaque villa ex noſtra indulgentia, per veſtras epiſtolas, ingenuos relaxare faciatis.

## *XL. Vt leude ſamio promittantur Regi.* Lind. xxxix.

ILLE Rex illi Comiti. Dum & nos vnà cum conſenſu procerum noſtrorum, in regno noſtro illo glorioſum filium noſtrum illum regnare præcepimus; ideo iubemus vt omnes pagenſes veſtros, tam Francos, Romanos, vel reliquas nationes degentes bannire, & locis congruis per ciuitates, vicos & caſtella congregare faciatis. Quatenus præſente miſſo noſtro, inluſtri viro illo, quem ex no-

ſtro latere illuc pro hoc direximus, fidelitatem præcelſo filio noſtro, vel nobis, & leode, & ſamio, per loca Sanctorum, vel pignora quæ illuc pro eodem direximus, debeant promittere & coniurare.

## INCIPIVNT CAPITVLA de chartis pagenſibus.


I. *Si quis monaſterium, aut xenodocium de magna re vult inſtruere.*

II. *Prologus qui de magna re facit Eccleſiis donationem.*

III. *Item alius prologus, cum ipſa donatione, ad hoc opus.*

IV. *Ceſſio à die præſente ad Eccleſiam, de villa.*

V. *Precaria de ipſa villa dum aduiuit.*

VI. *Donatio de parua re ad Eccleſiam.*

VII. *Charta donationis, inter virum & fœminam de eorum rebus.*

VIII. *Item alia, ſine aliqua minuatione.*

IX. *Charta obnoxiationis à patre in filiis facta.*

X. *Epiſtola, cùm in loco filiorum, nepotes inſtituuntur ab auo.*

XI. *Charta, qui ſuum nepotem meliorare voluerit.*

XII. *Charta, vt filia cum fratribus, in paterna ſuccedat alode.*

XIII. *Si quis extraneum hominem in loco filiorum adoptauerit.*


XIV.

XIV. *Pactum inter parentes, de hereditate eorum.*
XV. *Libellus dotis.*
XVI. *Si quis aliquam puellam inuitam traxerit.*
XVII. *Qualiter in vno volumine teſtamenta duarum perſonarum condantur.*
XVIII. *Securitas pro homicidio facto, ſi ſe pacificauerint.*
XIX. *Venditio de villa.*
XX. *Venditio de area infra ciuitatem.*
XXI. *Venditio de campo.*
XXII. *Venditio de ſeruo aut ancilla.*
XXIII. *Concambium de villis.*
XXIV. *Concambium de terra, vinea, vel prato.*
XXV. *Cautiones diuerſo modo factæ.*
XXVI. *Item alia.*
XXVII. *Item alia.*
XXVIII. *Qui ſe in ſeruitio alterius obnoxiat.*
XXIX. *Charta de agnatione ſi ſeruus ingenuam fæminam traxerit.*
XXX. *Libellus repudij.*
XXXI. *Mandatum.*
XXXII. *Ingenuitates diuerſo modo factæ.*
XXXIII. *Item ingenuitates alio modo poſt diſceſſum.*
XXXIV. *Item aliæ, adhuc alio modo.*
XXXV. *Euacuatoria de cautione, ſi non inuenitur.*
XXXVI. *Si quis aliquid ſeruo ſuo aut gaſindo concedere voluerit.*
XXXVII. *Geſta iuxta conſuetudinem Romanorum qualiter donationes, vel teſtamenta legantur.*
XXXVIII. *Mandatum ad geſta.*
XXXIX. *Epiſtola ſi aliquis rem Eccleſiæ ad vſum habeat,*



Digitized by Google

*& de ſua proprietate aliquid donet.*

XL. *Præſtaria de re Eccleſiæ ab Epiſcopis facta.*

XLI. *Precaria.*

XLII. *Indiculus, cùm Epiſcopus ad alium in reſurrectione Domini eulogias dirigit.*

XLIII. *Reſcriptum ad Epiſcopum de viſitatione.*

XLIV. *Quomodo ad Regem, Reginam, vel Epiſcopum pro Natiuitate Domini, viſitatione directa ſcribatur.*

XLV. *Item alia de Natiuitate Domini.*

XLVI. *Commendatitiæ litteræ, ad Epiſcopum iam cognitum.*

XLVII. *Item commendatitiæ litteræ ad Abatem notum.*

XLVIII. *Suplicaturium pro eo qui de monaſterio regreditur, aut illo, qui ingredi voluerit.*

XLIX. *Indiculus generalis ad omnes homines.*

L. *Indiculus commendatarius ad viros illuſtres Laïcos.*

LI. *Indiculus ad omnes potentes palatinos, maximè ad cognitos ſibi.*

LII. *Qualiter pro natiuitate filij Regis, ex ordinatione Dominica, Domeſticus de villis regiis, ingenuitates facere debeat.*

Digitized by Google

# MARCVLFI
## MONACHI
## FORMVLARVM
## LIBER II.
### Seu de chartis pagenſibus.

*I. De magna re qui vult xenodochium aut monaſterium conſtruere.* Lind. 1.

DOMINO verè ſancto, atque ſedula oſtenſione, patentibus virtutum miraculis, Chriſti remuneratione, fulgenti, oratorio, ac cellulæ, in honore ſanctæ, ac ſemper virginis, genitricis Domini noſtri Ieſu Chriſti, aut in alterius Sancti conſtructæ, Ille, ſeu quidam, meritis flagitiis, quoque ſceleribus, præ laſciuis



Digitized by Google

actibus, ac nimia fœditate pollutus, vel opere omnium bonorum Christianorum longè ſatis extremus * optat, penè ſanctarum ſcripturarum ſeries, Chriſtianis fidelibus pia exhortatione pronunciat, hoc etiam tonitrualis illa Euangeliſtarum vox, ſuggerente ſpiritu, ſua poteſtate concelebrat, vt faciat in pauperes eleemoſynam, qui vult tartari euadere ſupplicia: vnde & Dominus in Euangelio dicit, Vende omnia quæ habes, da pauperibus & habebis theſaurum in cælum. Penſemus ergo omnes Chriſtiani quanta ſit pietas, & largitio redemptoris, vt eleemoſynis pauperum promittantur nobis theſauri regni cælorum. Procuremus igitur, ſicut Dominus & ſaluator noſter præcepit, & ac ſi non quantum habemus, ſaltem in quantum poſſumus, eleemoſynam faciamus. Nemo itaque dubitet, nemo tardet, quia ſi nos facimus quæ Dominus & ſaluator noſter præcepit, ille ſine dubio facturus eſt quæ promiſit. Ait enim ſcriptura, abſcondite eleemoſynam in corde pauperis, & ipſe pro te deprecabitur Domino. Abſcondamus ergo eleemoſynam in corde pauperis, vt proueniat nobis deprecatio pauperum in remiſſionem peccatorum. Multa quidem & alia pro eleemoſynis faciendis teſtimonia, in ſcripturis ſanctis reperimus. In quibus vel ex quibus illam ego exiſtimo portionem, quæ ait, ſicut aqua extinguit ignem, &c. Quid ergo verius poteſt credi, quid confidentius quidue expreſſius, quia ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum. Iuſtè ergo extinguitur, qui

* *f.* hoc tota

peccatorum incendia eleemoſynis, iuxta pollicitationem diuinam, extinguere non feſtinat. Faciant quippe cæteri quod voluerint, agant quod ipſi maluerint, idcirco quoniam omnis homo ſuo ſenſu ducitur: ego tamen eius rei exemplum ſecutus, elegi ad præfatum oratorium, vel cellulam, iuxta Apoſtolorum numerum, duodecim, ad præſens pauperum, pro remiſſione peccatorum meorum, vel pro diluenda meorum mole peccaminum, Chriſto præſule conlocare; vbi etiam per præſentem epiſtolam donationis meæ, dono ad præſentem diem quod in luminaribus ipſius oratorij, vel in alimonia & ſubſtantiali victu, veſtitu quoque & ſuſtentatione ipſorum pauperum, vel clericorum ibidem ſeruientium, Deo gubernante & opitulante, proficiat, donatúmque in perpetuum eſſe volo, atque de meo iure in eorum dominationem, & poteſtatem trado, lego, tranſmitto, atque transfundo; hoc eſt agros, quorum vocabula ſunt illa; & illa, quæ ponuntur in territorio illo: pari modo, & quicquid in illo territorio ponitur, in omni ſoliditate portionem meam, vnà cum mancipiis, ædificiis, vineis, terris, pratis, ſyluis, omnique iure eorum, vnà cum colonicis adiunctis, adiacentiis eorum, in omni ſoliditate earum, ſicut à me noſcitur fuiſſe poſſeſſum, aut mihi ex legitima ſucceſſione, aut vndecumque aliquid mihi ibidem euenit, cum omni ſoliditate, vel opportunitate earum, ad integrum; Ea ſcilicet ratione atque prætextu, vt remota Pontificum, ſimúlque Eccleſiaſticorum officialium, ſeu

publicorum omnium poteſtate, nullas functiones, vel exactiones, neque exquiſita & lauta conuiuia, neque gratioſa, vel inſidioſa munuſcula, neque etiam caballorum preſtus, parauereda, vel cæteras angarias, aut quocumque functionis titulo dici poteſt, de ipſa facultate penitus non requiratur, ſed ſub integra emunitate facultaticula ipſa, ſicut à me huc vſque poſſeſſa eſt, in iure oratorij ſanctæ Mariæ & prædictorum pauperum debeant Deo protegente & opitulante perſiſtere: Niſi tantum ſancti & Apoſtolici illius vrbis Epiſcopi, in cuius oppido Xenodochium ipſum ponitur, pro tradendis benedictionibus, vel ſubſtituendis Abatibus, Preſbyteris quoque & diaconibus, abſque vlla pecuniarum adeptione: amplius verò donandi, exigendi, vel minuendi cauſam, nullam habeat poteſtatem. Sed nec per commutationis locum, quicquam ex hoc auferendi, nullo tempore occaſio, vel aditus tribuatur, ſed perpetualiter in poteſtate præfati oratorij illius, ipſorum pauperum, Chriſto fauente permaneat. Hoc etiam ipſis Pontificibus obſecro, vel committo, vt illos, per ſuccedentes temporibus, cum caſus mortis extiterit, Abates aut clericos, & clericorum gradus, in eodem loco dignentur, vel debeant inſtituere, quos ſapientia & eruditio ſcripturarum clarificat, vel quos vita ſancta, & actio bona, aut conuerſatio honeſta commendat. Vnde obſecro clementiſſimis Regibus tam præſentibus quàm futuris, & omnibus in Deo Epiſcopis, omnibúſque poteſtatibus & primatibus,

omnibus etiam ſenioribus, quoſcumque iudices eſſe conſtiterit, per ineffabilem Dei omnipotentiam, per inſeparabilem Patri & Filio & Spiritui ſancto trinitatem, vt hanc voluntatem meam pro nullis occaſionibus, ſicut exiſtente ſine Deo cupiditate res exigi ſolet, nulla ratione nullóque tempore conuellere permittatis, ſed per ſollicitudinem & curam Epiſcopi conſtare potiùs, pro reuerentia Trinitatis immenſæ, veſtro tempore, & ſtudio, vel opere iubeatis. Quatenus, vt ille vobis mercedem reſtituat in futuro, qui ſcit me eleemoſynas ipſas ſancti Dei pauperibus per amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti ardenti deſiderio tribuiſſe. Si quis hanc voluntatem meam per quaſlibet adinuentiones, ſeu propoſitiones, ſicut mundus cottidie * & iniuriis expolio obuius, vel repetitor, conuulſor etiam, aut tergiuerſator extiterit, anathema ſit, & tam qui fecerit quam qui faciendo conſenſerit, anathema ſit: & ſicut Dathan & Abiron hiatu terræ abſorpti ſunt, viuens in infernum deſcendat, & * Zeziæ fraudis mercatorem, & in præſenti, & in futuro ſæculo partem damnationis excipiat: & tunc veniam conſequatur, quando conſecuturus eſt, & diabolus, qui ſe fallendo ætheria ſede deiectus, cruenta adinuentione, bonis operibus ſemper vigilari peruigilat. Inſuper etiam inferat ſocietati quoque & fiſco, vel ſanctis Epiſcopis Eccleſiæ illius, auri libras C. Nihilominus præſens epiſtola, quæ à me pro timore Dei, & amore pauperum, conſcripta eſt, firma, incorrupta, inte-

* *ir.* artibus & ingeniis expolitus

* Gieſi

merata, inuiolatáque permaneat. Ego namque de conlatis ac ſuperiùs prænotatis rebus, omnia ad curam & ſollicitudinem, aut defenſionem eorum, vel gubernationem ipſorum pauperum, ſancto ac prænotato domni illius, Epiſcopo, vel ſucceſſoribus ſuis, Deo ſibi teſte committo: & inſtrumenta per quæ res ipſæ auxiliante Deo per eorum ſollicitudinem defenſentur ſuper ſcripto Domino lui Epiſcopo præ manibus tradidi, & qualiter ibidem prouidè, piè, rectène an ſecus ageret Chriſto Domino in ſe iudicio recognoſcat. Mihi autem nihil exinde proprietatis titulo penitus non reſeruaui, quia facilè contemnit omnia, qui cupit ab inferni faucibus erui, vel ille qui peccatorum remiſſionem Deo remunerante deſiderat, aut ille, qui ſemper cogitat, cùm velit nolit, eſſe moriturum: ſtipulatione, &c.

## *II. Prologus, qui de grandi cauſa facit donationem.*

QVANTVM intellectus, ſenſúſque humanus poteſt mente ſagaci penſare, atque ſolerti indagatione perpendere, nihil ampliùs valet in huius ſæculi luce gaudia fugitiua lucrari, quàm quod de rebus ſuis, locis venerabilibus, in alimoniis pauperum curetur impendere: Quatenus fragilitatem naturæ quam omnes generaliter patiuntur, priuſquam ſubitanea tranſpoſitio eueniat, oportet pro ſalute animæ vigilare, vt non inueniat quemquam impa-

imparatum, & ſine aliquo reſpectu diſcedat à ſæculo. Quin potiùs dum proprio libertatis iure ſubſiſtit, ex caducis ſubſtantiis in æterna tabernacula vitam quærat mercari æternam: Vt inter iuſtorum conſortium deſiderabilem valeat adipiſci locum, & retributorem ſibi præparet Deum, vt de fructu indeficienti paradiſi mereatur foueri. De cuius viuo fonte, perfecta fide poſcente, nec ſubtrahitur poculum, nec minuitur alueus, ſed potiùs vti quiſque hauſerit, inrigatus dulcedine cælitùs, atque ſuauis ei flagratur odor balſami paradiſi.

## *Item alius Prologus.*

IN nomine ſanctæ Trinitatis. Proſperum ac ſalubre conſilium immóque ſatis iocundum eſſe dinoſcitur, vt homo de mundanis rebus comparet paradiſum, & de terrenis transferatur in cæleſtia. Sic Dominus in ſancto Euangelio præclaram intonat vocem dicens, Theſaurizate vobis theſauros in cælo, vbi nec fur effodit, nec tinea ſulcat.

## *Prologus de Clerico, qui in monaſterio tonſoratur, & ſuam rem ad ipſum locum donat.*

DEBET vnuſquiſque largiente Domino, dum verſatur in corpore futura tractare, & de caducis rebus mercari æterna, vt quando quidem iubente Deo, de corpore egredi contigerit, de mammona iniquitatis manſionem ſibi reperiat compa-



Digitized by Google

ratam in cælis. Idcirco ego ille cedo ad monaſterium illum, vbi Aba ille cuſtos præeſſe videtur, & comam capitis mei ibidem depoſui, & in ipſo monaſterio ſub norma Sanctorum viuere cupio, ceſſúmque in perpetuum eſſe volo.

## *Item Prologus.*

OPPORTVNVM eſt vnumquemque dum terrena munera poſſidet pro anima ſua frequentiùs cogitare, vt terrenam beatitudinem poſſidere mereatur. Ego inluſter vir ille, ſentio me infra corpus meum infirmum eſſe, & infra animam meam nimis eſſe peccatorem. Admonet me diuina potentia, vel compunctio cordis mei mihi obuenit, vt pro peccatorum meorum remedio, aliquid de rebus meis locis Sanctorum delegare debeam. Ideo cedo, &c.

## *Item Prologus.*

IN nomine ſanctæ Trinitatis. Proſperum, ſalubre & ſatis iocundum cenſuimus, vt homo de caduca quapiam re ſæculi ad peccata ſua redimendum valeat offerre, aut quid promptiore conſilio, vt homo de mundanis rebus ſæculi comparet paradiſum, & de terrena ſubſtantia ſe transferat in cæleſtia: Itaque ego ille pro diuino intuitu, & mei mercede compendij, vt mihi Dominus in futurum veniam concedere dignetur, vel vt nomen meum

Digitized by Google

in libro vitæ adſcribatur, dono ad iam dictum monaſterium, in luminaribus Eccleſiæ, vel in ſtipendiis pauperum, aut monachorum, donatumque iure legitimo eſſe volo, &c.

## *Item Prologus.*

DVM huius exempli in quodam noſcitur cecidiſſe, patimur ærumnam, & diem mortis quotidie ante oculos ſuſpicamur eſſe propinquam: oportet vnumquemque ob amorem cæleſtis patriæ deuotionis lucra complecti, & res ſibi datas, Sanctorum vel etiam indigentium vſibus alegatas relinquere, vt peccatorum pondera, quæ pontificium pœnitendi non valent laxare, eorum interceſſione pleniùs ad veniam debeant peruenire. Idcirco ego ille, &c.

## *III. Item alius Prologus cum ipſa donatione ad hoc opus.* Lind.XIII.

MVNDI terminum ruinis crebreſcentibus adpropinquantem indicia certa manifeſtant, experimenta liquida declarare noſcuntur, & ad diſcutiendas infidelium mentes illa dudum in Euangeliis à Domino dicta oracula incumbere noſcuntur: Ergo operæpretium arbitror futurum, tempus viciſſitudine præoccupans anticipare, & incertum humanæ conditionis euentum, ſagaci mentis intuitu prouidere. Quatenus ex hoc inflictis facinorum

vulneribus, indulta pietate, remedia merear adipiſci. Ergo ego in Dei nomine ille, & coniux mea illa, conſiderantes, qua grauamur ſarcina peccatorum, & reminiſcentes bonitatem Dei dicentis, Date eleemoſynam, & omnia munda fiunt vobis; De tanta igitur miſeratione & pietate Domini confiſi, idcirco per hanc epiſtolam donationis, donamus, donatúmque in perpetuum eſſe volumus, atque de iure noſtro in poteſtatem, & dominationem monaſterij illius, in honore illius, Abatis illius, in pago illo conſtructi, vbi præeſt venerabilis ille Aba, vel turma plurima monachorum adunata, tranſmittimus atque transfundimus villas nuncupantes illas, ſitas in pago illo, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, adiunctis, adiacentiis, appenditiis, peculio vtriuſque ſexus, mobilibus & immobilibus, ſicut à nobis moderno tempore poſſidetur, vel ſi inanteà ibi vndecumque aliquid augmentare, vel meliorare poterimus, ad præfatum monaſterium in alimoniis, vel ſubſtantiis monachorum, ibidem habitantium, Chriſto protegente proficiat. Ea ſcilicet ratione, vt dum pariter aduiuimus, antedictas villas ſub veſtro beneficio tantummodo, abſque vllo præiudicio, vel diminutione aliqua ipſius monaſterij poſſideamus. Niſi tantùm, ſi aliquem ex ſeruientibus noſtris à iugo ſeruitutis pro communi mercede relaxare voluerimus; Poſt obitum verò, quandoquidem Deus voluerit, noſtrum, abſque vl-

lius iudicis, vel heredum noſtrorum expectata traditione, cum omni re emeliorata, quicquid in ſuprà ſcriptis villis in quibuſlibet rebus, vel corporibus augmentatum, vel melioratum fuerit, de præſenti hoc pars antedicti monaſterij, vel memoratus Abas, ſuique ſucceſſores in Dei nomine perpetualiter recipiant poſſidendum: Tanquam ſi ad præſens abſque vſu noſtro eorum fuiſſet ſubſecuta poſſeſſio. Ita vt, quicquid de prædictis villis propter opportunitatem ipſius monaſterij facere decreuerint, libero in omnibus potiantur arbitrio. Præſentem verò donationem, ne quicquam * auri talium vilitate, geſtis municipalibus alligari curauimus, & omnino decernimus, ne aliquando in eam ob hoc cauſam quiſquam valeat reperire. Quòd ſi inſtrumenta de ipſis villis de nomine noſtro in aduerſitate prædicti monaſterij, quolibet ordine comprehenſa, aut anterius, aut poſterius prænotata, quod nos nec fecimus, nec facere rogauimus, à quocumque præter iſtum quem firmiſſimum volumus eſſe quoque tempore oſtenſum, nullum ſortiatur effectum, niſi vacuum & inane appareat: auctorem verò criminis, vel falſarium, nec inultum tunc temporis patiatur iudiciaria abire poteſtas. Si quis verò, quod futurum eſſe non credimus, huic voluntati noſtræ pro quibuſlibet adinuentionibus, aliquis de heredibus noſtris, aut iudicum ſæua cupiditas, vel quælibet perſona, obuius repetitor extiterit, à conuentu omnium Chriſtianorum, vel limitibus Eccleſiarum, extraneus habeatur, & Iudæ

* *Lind.* Curialium vilitate, *&c.* auferri tandem valeat,

traditoris Domini noſtri Ieſu Chriſti perfruatur conſortio: inſuper etiam inferat partibus ipſius monaſterij, vel fratrum ibidem conſiſtentium, ſocio quoque, tam in actibus, quàm in proſecutione, ſacratiſſimo fiſco, auri libras tantas, argenti pondo tan. & ne id quoque quod repetit valeat vindicare, nihilominus præſens donatio, quæ à nobis pro timore Dei & amore pauperum Chriſti conſcripta eſt, firma & inlibata omni tempore debeat permanere, ſtipulatione ſubnixa. Actum ibi, ſub die illo.

*Lind. XVI.*

## *IV. Ceſsio à die præſente ad Eccleſiam.*

DVM fragilitatem humani generis pertimeſcit, vltimum vitæ temporis ſubitanea tranſpoſitione ventura, oportet vt non inueniat vnumquemque imparatum, ne ſine aliquo boni operis reſpectu migret de ſæculo: niſi dum ſuo iure & poteſtate conſiſtit, præparet viam ſalutis, per quam ad æternam valeat beatitudinem peruenire. Ideóque ego in Dei nomine ille, & coniux mea illa, pro remedio animæ noſtræ, & remiſſione peccatorum noſtrorum, vt veniam in futurum conſequi mereamur, cedimus à præſente die ceſſúmque in perpetuum eſſe volumus, atque de iure noſtro in iure & dominatione ſanctæ Eccleſiæ illius, in honore illius conſtructæ, villam nuncupatam illam, ſitam in pago illo, quæ ex alode parentum, aut vndecumque ad noſtram peruenit dominationem, & ad præſens poſſidere videmur, cum omni merito &

termino ſuo, cum adiacentiis, adiunctis, appendi-tiis, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, farinariis, cum paſtoribus gregis, peculio vtriuſque ſexus maiore, vel minore, mobilibus, & immobilibus, vel quicquid dici aut nominari poteſt, & tempore præſenti noſtra videtur eſſe poſſeſſio, ad præſens Eccleſiæ volumus eſſe conceſſum. Ita vt ab hac die, memoratam villam pars antedictæ Eccleſiæ, vel Pontifex ciuitatis illius, aut actores Eccleſiarum, eam habendi, tenendi, poſſidendi, vel quicquid exinde pro opportunitate ipſius elegerint faciendi, libero in omnibus perfruantur arbitrio. Ita vt nomen noſtrum in libro vitæ conſcribatur, vel pro nobis vtrumque ſacrificium poſt obitum noſtrum pio Domino offeratur. Licèt in ceſſionibus pœnam adnecti non ſit neceſſe, ſed nobis pro omni firmitate placuit inſerendum. Si quis verò, quod futurum eſſe non credimus, nos ipſe, quod abſit, aut aliquis de heredibus, vel pro heredibus noſtris, vel quælibet perſona, calliditate commotus, aut cupiditate præuentus, vllo vnquam tempore contra præſentem epiſtolam ceſſionis noſtræ, quam propter nomen Domini, & venerationem ſancti ipſius loci, ſpontanea voluntate fieri decreuimus, venire aut aliquid agere voluerit, aut tergiuerſator extiterit, anathema ſit, & cum ſuprà ſcripto domino illo, ante tribunal Chriſti, deducat rationes: inſuper inferat iuxta pœnam ſæculi, cùm cogente fiſco,

partibus ipſius Eccleſiæ, aut auri libras tantas, aut argenti pondo tant. & quod repetit nullatenus valeat vindicare, ſed præſens ceſſio omni tempore inlibata permaneat, cum ſtipulatione ſubnixa.

### V. Precaria de ipſa villa, dum viuit.

DOMINO ſancto, & Apoſtolica Sede colendo, domno & in Chriſto patri, illi Epiſcopo, ille & coniux mea illa. Pluribus non eſt incognitum, qualiter propter nomen Domini ad Eccleſiam illam, in honore Sancti illius, villam noſtram nuncupatam illam, ſitam in pago illo, quicquid ibidem vndecumque noſtra poſſeſſio in integritate, per epiſtolam ceſſionis noſtræ viſi fuimus conceſſiſſe, & eam vos ad partem ſubſcriptæ Eccleſiæ recepiſtis; ſed dum poſtea noſtra fuit petitio, & veſtra beneuolentia, & pietas habuit, vt ipſam villam dum aduiuimus, aut qui pari ſuo ex nobis ſuperſtes fuerit, dum aduiuit, nobis ad beneficium vſufructuario ordine excolendum tenere permiſiſtis. Ea ſcilicet ratione, vt nihil exinde penitus de qualibet re alienandi, aut minuendi pontificium non habeamus, ſed abſque vllo præiudicio, ſupraſcriptæ Eccleſiæ, vel veſtro, eam tantummodo excolere debeamus. Ideo hanc precariam vobis emittimus, vt nullo vnquam tempore noſtra poſſeſſio etiamſi ſpatium vitæ nobis Dominus prolongauerit, nullum præiudicium aut deminutionem aliquam de ipſa villa vobis generare non debeat, niſi vſu tantum

tantum dum aduiuimus habere debeamus, & poſt noſtrum ambobus diſceſſum, cum omni re meliorata, quicquid ibidem vndique adtrahere aut meliorare poterimus, per hanc precatuꝛiam, ac ſi ſemper per quinquennium renouata fuiſſet, abſque vllius iudicis, aut heredum noſtrorum expectata traditione, vos vel ſucceſſores veſtri, aut agentes Eccleſiæ, in veſtram eam faciatis dominationem reuocare perpetualiter poſſidendum, vel quicquid exinde facere legeritis, ſicut noſtra continet epiſtola, ad profectum præfatæ Eccleſiæ Domini illius liberum habeatis arbitrium. Facta precaria ibi.

## *VI. Donatio de parua re ad Eccleſiam.* *Lind. x v.*

SI aliquid de rebus noſtris, locis Sanctorum, vel in ſubſtantia pauperum, conferimus, hoc nobis proculdubio in æterna beatitudine retribuere confidimus. Ergo ego in Dei nomine ille, in amore Domini noſtri Ieſu Chriſti, & remiſſione ꝑ torum meorum, vt veniam delictis meis coı. merear, in futurum dono donatúmque in perpetuum eſſe volo, ad baſilicam illam in honore Sancti illius conſtructam, portionem meam in villa nuncupânte illa, in pago illo, quicquid ibidem ad præſens tam de alode parentum, vel de quolibet adtractu, poſſidere videor, totum & ad integrum, ad præfatam baſilicam volo eſſe donatum. Ea videlicet ratione, vt dum aduixero ſub vſu beneficij tantùm eam, abſque vllo præiudicio, vel diminu-



Digitized by Google

tione aliqua de qualibet re antedictæ baſilicæ, excolere debeam. Poſt meum quoque, quandoquidem Deus de hac luce voluerit, diſceſſum, de præſenti, abſque cuiuſlibet iudicum, aut heredum meorum expectata traditione, aut contrarietate, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, campis, vineis, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, vel reliquis quibuſcumque beneficiis, Aba de ipſa baſilica, vel agentes eius, in eorum debeant dominationem reuocare perpetualiter poſſidendum: habendi, tenendi, vel quicquid exinde pro opportunitate antedictæ Eccleſiæ elegerint faciendi, liberam in omnibus habeant poteſtatem. Si quis verò, quod futurum eſſe non credimus, nos ipſe, quod abſit, aut aliquis de heredibus noſtris, ſeu quælibet oppoſita perſona, calliditate commotus, aut cupiditate præuentus contra hanc epiſtolam donationis noſtræ, quam ſpontanea voluntate propter nomen Dei, fieri decreuimus, venire aut [illegible]nfrangere conatus fuerit, iram trinæ maie-[illegible]ncurrat, & cum ſuperſcripto Sancto illo ante [illegible]unal Chriſti deducat rationes: Inſuper inferat partibus ipſius baſilicæ, cum cogente fiſco auri tant. argenti tant. & quod repetit vindicare non valeat; ſed præſens epiſtola omni tempore firma & inuiolata permaneat, ſtipulatione ſubnixa.

Digitized by Google

### *VII. Charta donationis inter virum & fœminam de eorum rebus.*

*Lind. XLIX.*

QVICQVID enim inter coniugatos, de propria facultate, manente caritate, pro amore dilectionis, in inuicem condonare placuerit, ſcripturarum neceſſe eſt titulis alligare, ne in poſterum ab heredibus eorum, vel à quocumque poſſit conuelli. Igitur ego in Dei nomine ille, & tu dulciſſima coniux mea illa, dum & inter nos procreatio filiorum minimè eſſe videtur, ideo conuenit nobis, vt omne corpus facultatis noſtræ, inuicem vſufructuario ordine condonare debeamus, quod ita & fecimus. Proinde dono tibi dulciſſima coniux mea, ſi mihi in hoc ſæculo ſuperſtes fueris, omne corpus facultatis meæ, tam de alode, aut de comparato, vel de quolibet adtractu, vbicumque habere videor, & quod pariter in coniugio poſiti laborauimus, tam terris, villabus, domibus cum omni præſidio, accolabus, mancipiis, vineis, campis, pratis, aquis, aquarumve decurſibus, auro, argento, veſtimentis, peculio vtriuſque ſexus, maiore vel minore; ita vt dum vixeris vſufructuario ordine valeas poſſidere, vel dominare; excepto quod pro animæ remedio ad loca Sanctorum condonauimus, vt inſpecta noſtra delegatione in omnibus conſeruetur, & quantumcumque de alode noſtra poſt meum diſceſſum, pro communi mercede, ad loca Sanctorum legaliter condonare, & delegare volueris,

hoc licentiam habeas faciendi, & inſpecta delegatione inconuulſum permaneat; in reliquum verò omnes res ipſæ, quantum poſt tuum diſceſſum inteſtatum remanſerit, ad noſtros legitimos reuertatur heredes. Similiter & ego illa, dulciſſime iugalis meus ille, commonet me dulcitudo tua, in compenſationem rerum tuarum quas in me viſus es contuliſſe, ſi mihi in hunc ſæculum ſuperſtes fueris, dono tibi omne corpus facultatis meæ, vbicumque, vndecumque, tam de hereditate parentum, quàm de comparato, vel quod pariter laborauimus, totum & ad integrum, tam in villabus, domibus, &c. excepto quod pro animæ remedio ad loca Sanctorum delegauimus, vt inſpectis ipſis inſtrumentis, in omnibus conſeruetur, & quod de ipſa alode mea, poſt meum diſceſſum, pro communi mercede ad loca Sanctorum relinquere, vel ingenuos relaxare volueris, licentiam habeas, & inſpectis ipſis inſtrumentis, in omnibus conſeruetur; Poſt tuum quoque diſceſſum, quicquid inteſtatum remanſerit, ad noſtros heredes, qui tunc propinquiores fuerint, reuertatur. Si verò, quod futurum eſſe non credimus, aliqui de heredibus noſtris, vel quicumque contra hanc interdonationem, vnde inter nos chatas vno tenore conſcriptas firmauimus, venire aut infrangere voluerit, nullatenus valeat vindicare, ſed inferat partibus veſtris cum cogente fiſco, auri libras tantas, argenti tantas. Præſens verò epiſtola in nullo poſſit conuelli, ſed firma & inlibata permaneat.

Digitized by Google

## *VIII. Item alia ſine aliqua minuatione.*

ISTA *alia à capite inſtar prioris vſque* dum adüixeris vſufructuario ordine debeas poſſidere, poſt tuum quoque diſceſſum ad legitimos noſtros reuertatur heredes, & nullum pontificium quicquam exinde alienandi, aut minuendi habere non debeas. Similiter & ego illa; dulciſſime iugalis meus ille: commonet me dulcitudo tua, in compenſationem rerum tuarum, quas in me viſus es contuliſſe, ſi mihi in hoc ſæculum ſuperſtes fueris, omnes res meas quaſcumque, aut vbicumque, tam in terris, *& reliqua*, ſub vſu beneficij debeas poſſidere, & nullum pontificium quicquam exinde alienandi, aut minuendi, præter vſum tantum non habeas, & poſt tuum diſceſſum ad legitimos noſtros reuertatur heredes.

## *IX. Charta obnoxiationis à patre in filiis facta.* *Lind. LI.*

DVLCISSIMIS filiis meis illis. Omnibus non habetur incognitum qualiter ante hos annos villas aliquas nuncupatas illas, ſitas ibi, genitrix veſtra antequam meo ſociaſſem coniugio, per epiſtolam ceſſionis, aut libellum dotis viſus ſum condonare. Sed dum & ipſa, peccatis meis facientibus, ab hac luce diſceſſit, & vos omnem alodem ipſius genitricis veſtræ illius iuxta quod & ratio præſtitit, mecum exinde in præſentia bonorum hominum,

aut Regis, altercatis, per ipſam epiſtolam, quam in eam fecerimus, contra nos euindicaſtis, & in veſtram poteſtatem omnem alodem ipſius recepiſtis. Sed dum & noſtra fuit petitio, & vos vt condecet bonis filiis, voluntati noſtræ obtemperantes, ipſas villas, vel res quæ fuerunt genitricis veſtræ, quas ego ei dedi vel condonaueram, mihi ad vſum beneficij tenere & excolere, abſque vllo veſtro præiudicio, permiſiſtis. Ideo nobis complacuit, alias villas noſtras illas, pro beneuolentia veſtra, & ſuprà ſcripto vſu, de villis veſtris per hanc epiſtolam obnoxiationis vobis obnoxiaſſe. Ita vt deinceps tam ſupraſcriptas villas, quàm etiam & illas quas ſuprà ſcriptæ genitrici veſtræ, per meam epiſtolam contuleram, per veſtrum beneficium excolere debeamus, & nullum pontificium de omnibus ſuprà ſcriptis nec vendere, nec alienare, nec concamiare, nec pro quolibet ingenio minuere, habere non debeam, niſi tantum vſum, ſed per hanc epiſtolam obnoxiationis meæ, in veſtro ſint arbitrio & poteſtate, & quandocumque volueritis, & vobis placuerit, abſque vlla mea contrarietate, aut repetitione omnia ſuperiùs prænotata, tam quod veſtrum anteà, de parte genitricis veſtræ fuit alode, quàm & illas alias nuncupatas ſic, quas vobis pro ipſo vſu viſus ſum obnoxiaſſe, in veſtram debeatis reuocare dominationem perpetualiter poſſidendum, vel quicquid exinde facere volueritis, liberam inde habeatis poteſtatem, abſque alia aliqua intercedente precaria, ſed per hanc obnoxiationem, ac ſi ſem-

per per quinquennium renouata fuiſſet, perpetim valeat obtinere vigorem, ſtipulatione ſubnexa.

## X. *Epiſtola cùm in loco filiorum nepotes inſtituuntur ab auo.* Lind. LIII.

DVLCISSIMIS nepotibus meis illis ille. Dum & peccatis meis facientibus genitrix veſtra filia mea illa, quod non optaueram, tempore naturæ ſuæ complente ab hac luce diſceſſit. Ego verò penſans conſanguinitatis caſum dum & per legem cum cæteris filiis meis auunculis veſtris in alode meo accedere minimè potueratis, ideo per hanc epiſtolam, vos dulciſſimi nepotes mei, volo vt in omni alode mea, poſt meum diſceſſum, ſi mihi ſuperſtites fueritis, hoc eſt, tam terris, domibus, accolabus mancipiis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, mobilibus immobilibus, peculio vtriuſque ſexus maiore, vel minore, omnique ſupellectile domus, & quodcumque dici poteſt, quicquid ſupradicta genitrix veſtra, ſi mihi ſuperſtes fuiſſet, de alode mea recipere potuerat, vos * contra auunculos veſtros filios * cum meos, præfatam portionem recipere faciatis, & dum ipſi filiæ meæ genitrici veſtræ quando eam nuptam tradidi in aliquid de rebus meis, mobilibus, drappis, fabricaturis, vel aliqua mancipia in ſol. tan. dedi, vobis hoc in parte veſtra ſupputare, contrà filiis meis faciatis: & ſi amplius vobis inſuper de præſidio noſtro obuenerit, tunc cum filiis

meis auunculis veſtris, portionem vobis ex hoc debitam recipiatis, & quicquid exinde de omnibus ſuperiùs conſcriptis, facere volueritis, liberam in omnibus habeatis poteſtatem. Si quis verò, quod futurum eſſe non credimus, aliquis de heredibus, vel pro heredibus meis, vel quælibet perſona, contra hanc epiſtolam venire tentauerit, aut eam infrangere voluerit, inferat vobis tan. & quod repetit nullatenus vindicare valeat; ſed præſens epiſtola omni tempore firma permaneat, cum ſtipulatione ſubnexa. Actum illo, &c.

## *XI. Charta qui ſuo nepote aliquid meliorare voluerit.*

DVLCISSIMO nepoti meo illi ille. Dum & iam ſenectus adgrauat, & neceſſitates meas, vt oportet procurare non valeam, & tu mihi in neceſſitatibus meis ſolatium præbere non deſiiſti, & die noctúque deſeruire non ceſſas. Ideo pro bonitate, & pro reſpectu ſeruitutis tuæ, qua circa me deſudas, cedo tibi ceſſúmque in perpetuum eſſe volo, & de meo iure in tuam tranſfundo dominationem & poteſtatem, abſque conſortio fratrum tuorum, vel filiorum meorum locum nuncupantem illum, quicquid ibidem nunc tam de alode parentum, quàm de reliquo adtractu, viſus ſum tenuiſſe, vnà cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmve decurſibus, vel reliquis quibuſcumque

cumque beneficiis, tibi vt diximus à die præſente volo eſſe conceſſum. Ita vt ab hac die, ſicut ſuperiùs diximus, eum cum omni integritate ſua habeas, teneas, poſſideas, vel quicquid exinde facere volueris, abſque conſortio fratrum tuorum, vel filiorum meorum, liberam in omnibus habeas poteſtatem. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, aliquis de heredibus, vel pro heredibus meis, ſeu quælibet perſona, contra hanc ceſſionem meam quoque tempore venire, aut eam infringere voluerit, inferat tibi cum cogente fiſco auri tantum, & quod repetit vindicare non valeat; ſed præſens epiſtola firma permaneat ſtipulatione ſubnexa. Actum, &c.

## *XII. Vt filia cum fratribus in paterna ſuccedat alode.*

*Lind.* LXVI.

DVLCISSIMÆ filiæ meæ illi, ille. Diuturna, ſed impia, inter nos conſuetudo tenetur, vt de terra paterna ſorores cum fratribus portionem non habeant, ſed ego perpendens hanc impietatem, ſicut mihi à Domino æqualiter donati eſtis filij, ita & à me ſitis æqualiter diligendi, & de rebus meis poſt meum diſceſſum æqualiter gratulemini; ideóque per hanc epiſtolam te, dulciſſima filia mea, contra germanos tuos, filios meos illos, in omni hereditate mea, æqualem & legitimam eſſe conſtituo heredem, vt tam de alode paterna, quàm de comparato, vel mancipiis, aut præſidio noſtro,

vel quodcumque morientes reliquerimus, æqua lance cum filiis meis, germanis tuis, diuidere, vel exæquare debeas, & in nullo penitus portionem minorem quàm ipſi, non accipies, ſed omnia inter vos diuidere, vel exæquare æqualiter debeatis. Si quis verò, *& quod ſequitur.*

*Lind. LVIII.*

## *XIII. Si quis extraneum hominem in loco filiorum adoptauerit.*

DOMINO fratri illi, ille. Dum peccatis meis facientibus, diu orbatus à filiis, & me paupertas, & infirmitas afficere videtur, & te, iuxta quod inter nos bonæ pacis placuit atque conuenit, in loco filiorum meorum viſus ſum adoptaſſe. Ita vt dum aduixero, victum & veſtitum, tam in dorſo, quàm in lecto, ſeu calciamento mihi in omnibus ſufficienter impertias, & procures, & omnes res meas, quaſcumque habere videor, tam manſo, vinea, prato, peculio, ſeu reliqua ſupellectile domus meæ, ſaluo iure illo, me viuente in tua poteſtate recipere debeas. Propterea tibi hanc epiſtolam fieri decreui, vt neque ego, nec nullus de heredibus meis, aut quicumque hanc conuenientiam, inter nos factam, emutare non poſſit, ſed ſicut ſuperiùs continetur, meas neceſſitates dum aduixero debeas procurare; & omnes res meæ, & ad præſens, & poſt meum diſceſſum, in tua poteſtate permaneant, & quod tibi exinde placuerit faciendi liberam habeas poteſtatem. Quòd ſi aliquis

hoc, quoque tempore emutare voluerit, inferat tibi tantum, & quod repetit vindicare non valeat; ſed præſens epiſtola omni tempore firma permaneat.

## *XIV. Pactum inter parentes de eorum hereditate.* Lind. LXVII.

QVICQVID enim inter propinquos, de alode parentum, non à iudiciaria poteſtate coacti, ſed ſpontè manente charitate iuſtè debita vnicuique portio terminatur, non de rebus detrimentum, ſed augmentum potiùs poteſt eſſe cenſendum. Et ideo neceſſe eſt inter ſe eorum facta ſcripturarum ſerie alligari, ne ab aliquibus in poſterum valeat refragari. Ideo dum inter illum & germanum ſuum illum de alode genitorum eorum illius & illius, bonæ pacis placuit, atque conuenit, vt eam inter ſe manente charitate diuidere, vel exæquare deberent, quod ita & fecerunt. Accepit itaque ille villas nuncupatas illas, ſitas ibi, cum mancipiis tantis illis ſimiliter. De præſidio verò, drappis, fabricaturis, vel omni ſupellectile domus, quicquid dici aut nominari poteſt æqua lance inter ſe viſi ſunt diuiſiſſe, vel exæquaſſe, & hoc inuicem pars parti tradidiſſe, & per fiſtucam omnia partium eſſe dixiſſe. Propterea præſentes epiſtolas duas, vno tenore conſcriptas loco pactionis inter ſe viſi ſunt conſcripſiſſe: vt nullus deinceps contra parem ſuum, niſi quod ad præſens accepit, de ipſa alode genito-

ris eorum ampliùs requirendi pontificium habere non debeat. Quòd ſi aliquando aliquis ex ipſis, aut heredes eorum hoc mutare voluerint, aut ampliùs requirere quàm accepit, voluerit aut adſumere, inferat pari ſuo (iſta tuta ſeruata) auri lib. tan. argenti pondo tan. & quod repetit vindicare non valeat; ſed præſens pactio, omni tempore firma permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum, &c.

Lind. LXXVI.

## *XV. Libellus dotis.*

QVOD bonum, fauſtum, felix proſperumve eueniat. De diſponſandis maritandiſque ordinibus, ac procreationi liberorum, cauſis quæ ſunt neceſſariæ, vt omnis etiam donatio, per ſcripturarum ſeriem, pleniorem obtineat firmitatem. Donat igitur ille honeſtæ puellæ, nurui ſuæ illi, ſponſæ filij ſui illius, ante diem nuptiarum, donationiſque animo transfert, aut tranſcribit, hoc eſt in tanto, dono villam nuncupatam illam, ſitam ibi, cum domo condigna ad habitandum, vel omnem integritatem ibidem aſpicientem; Similiter & in dotis titulum alias villas nuncupatas illas, ſitas ibi, mancipia tanta illa & illa, inter aurum & argentum, fabricaturas in ſolidos tantos, caballos tantos, boues tantos, gregem equorum, gregem armentorum gregem porcorum, gregem ouium; ita vt hæc omnia per manum ſuam ad ſuprà ſcriptam puellam nurum ſuam illam ante diem nuptiarum debeat peruenire, & in ſua dominatione reuocare, vel quic-

quid exinde facere voluerit liberam habeat poteſtatem. Quòd ſi quis contra hunc libellum dotis venire, & eum infringere conauerit, inferat partibus illorum tantum, *& reliqua.*

## *XVI. Si aliquis puellam inuitam traxerit.*

DVLCISSIMÆ coniugi meæ illi, ille. Dum & te ſine voluntate parentum tuorum, habüi deſponſatam, & abſque tua, vel parentum tuorum voluntate, rapto ſcelere meo coniugio ſociaui: id eſt, dum & te * faciente conturno, contra voluntatem parentum tuorum, rapto ſcelere, in coniugio ſociaui, vnde vitæ periculum incurrere debui, ſed interuenientibus ſacerdotibus, vel bonis hominibus vitam obtinui; ſic tamen vt quod tibi in tanto dono, vel in dotis titulum, ante diem nuptiarum ſi te deſponſatam habuiſſem, conferre debueram, per hanc epiſtolam compoſitionalem, aut ſi conuenit ceſſionem, firmare deberem, quod ita & feci. Ideóque dono tibi locellum nuncupantem illum, ſitum in pago illo, cum domibus ad manendum condignis, vel omnibus intrinſecus vtenſilibus neceſſariis, cum terris, accolabus, mancipiis tantis illis, vineis, ſyluis, pratis, paſcuis, vel reliquis quibuſcumque beneficiis, caballos tantos, boues tantos, gregem equorum, gregem armentorum, gregem porcorum, gregem ouium, inter aurum & argentum, fabricaturas in ſolidis tantis, drappos, hæc omnia ſuperiùs comprehenſa, à die præſente

in tua tradidi poteſtate & dominatione poſſidendum, habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeris faciendi, liberam habeas poteſtatem. Si quis verò, &c.

## Lind. LXXI. *XVII. Qualiter in vno volumine teſtamentum duarum perſonarum condatur.*

REGNANTE in perpetuum Domino noſtro Ieſu Chriſto, anno illo, regnante illo Rege, ſub die illo, Ego ille & coniux mea illa, ſana mente, integróque conſilio, metuentes caſus humanæ fragilitatis, teſtamentum noſtrum condidimus; quod illi notario ſcribendum commiſimus, vt quo modo dies legitimus poſt tranſitum noſtrum aduenerit, recognitis ſigillis, inciſo lino, vt Romanæ legis decreuit auctoritas, per inluſtres viros illos, quos in hac pagina teſtamenti noſtri legatarios inſtituemus, geſtis Reipublicæ municipalibus, tituliſque eorum, proſecutione, ab ipſis muniatur. Igitur, cùm iubente Domino de iſtius vitæ curſu migrauerimus, tunc quicquid in omnibus pridie quàm moriamur tenere videmur, quicquid & proprietate parentum, vel proprio labore, ſeu ex munificentia à piis Principibus percipere meruimus, vel de quibuſlibet titulis atque contractibus venditionis, ceſſionis, donationis, vel vndique Domino adiuuante ad noſtram peruenit dominationem, tu nunc dulciſſima coniux mea illa, & quos heredes meos vos eſſe volo, hereditatem meam habitote. Reliqui

Digitized by Google

verò heredes, exheredes ſint. Ergo excepto quod vnicuique per hoc teſtamentum dedero, darique iuſſero, id vt fiat, detur, præſtetur, impleatur, te omnipotens Deus, teſtem committo. Villas verò illas, & illas, ſitas in pago illo, filius noſter ille recipiat. Similiter villas illas, filius meus, vel filia illa, ſitas in pago illo recipiat: Villas illas baſilica illa, vel monaſterium ſita ibi recipiat. Id vt fiat, detur, præſtetur, impleatur, te omnipotens Deus ad defenſandum committo: licèt de omnibus dum aduiuimus noſtrum reſeruauimus vſum. Sed dum in villis quibuſdam, quas ſuperiùs memorauimus, quas ad loca Sanctorum, & heredibus noſtris deputauimus, quas pariter ſtante coniugio adquiſiuimus, prædicta coniux tertiam habere potuerat, propter ipſam tertiam villas nuncupatas illas, ſitas in pagis illis, in integritate, ſi nobis ſuperſtes fuerit in compenſationem recipiat. Et quicquid exinde pro communi mercede, vel in pauperibus, aut benemeritis noſtris, facere decreuerit, licentiam habeat: Et poſt eius diſceſſum ſi aliquid inteſtatum remanſerit, heredes noſtri recipiant. Liberos, liberas, quos quáſque pro animæ remedio fecimus, aut inanteà facere voluerimus, & eis epiſtolas manu noſtra firmatas dederimus, * obſequium filiorum noſtrorum habere cognoſcant, & * oblata, vel luminaria, iuxta quod ipſæ epiſtolæ continent, ad ſepulchra noſtra, tam ipſi quàm proles eorum implere ſtudeant. Et quibus aliquid de facultate noſtra contulimus, ſingulariter in hoc teſtamentum noſtrum inſerere

* vide l. 18. §. vlt. ff. de aliment. vel cibariis leg.

* vide Auguſtin. confeſſ. lib. 6. cap. 2. de ciuit. Dei lib. vlt. cap. 27.

curauimus. In reliquo verò, qualeſcumque à quocumque epiſtolæ, de nomine noſtro, manu noſtra firmatæ oſtenſæ fuerint, & ante hoc teſtamentum prænotatæ, quas hîc non commemorauimus, excepto de ingenuitatibus, quas pro animæ noſtræ remedio fecimus, aut adhuc facere voluerimus, vacuæ permaneant: Et qui ex nobis pari ſuo ſuperſtes fuerit, & per qualecumque inſtrumentum de ſuprà ſcripta facultate, in cuiuſlibet perſona, vel bene meritis, noſtri muneris aliquid contulerimus, in quantum lex permittit, firma ſtabilitate debeat perdurare. Reliquæ verò epiſtolæ vacuæ & inaneis permaneant: & ſic nobis pariter conuenit. Si tu mihi dulciſſima coniux ſuperſtes fueris, & ad alium maritum, quod tibi Deus non permittat, tranſire volueris, omnem facultatem meam quam ad vſumfructum poſſidere tibi conceſſimus, vel quam à die præſenti deputauimus, & habere potueras, hoc præſentialiter heredes noſtri recipiant inter ſe diuidendum. Itémque ego illa ancilla tua, domine & iugalis meus ille, in hoc teſtamentum promtiſſima voluntate ſcribere, atque perpetua conſeruatione rogaui, vt ſi tu domne & iugalis meus, mihi ſuperſtes fueris, omne corpus facultatis meæ, quantumcumque ex ſucceſſione parentum habere videor, vel in tuo ſeruitio pariter laborauimus, & quod in tertia mea accepi, in integrum, quicquid exinde facere elegeris, aut pro animæ remedio in pauperes diſpenſare, aut ad vaſſos noſtros, vel benemeritis noſtris, abſque repetitione heredum meorum, quod tua

tua decreuit voluntas, faciendi liberam habeas poteſtatem. Et poſt diſceſſum veſtrum, quod non fuerit diſpenſatum, ad legitimos noſtros reuertatur heredes. Hanc paginam teſtamenti, & manus noſtræ propriæ ſubſcriptionibus, quod ex conſuetudine habuimus ſubſcripſimus, & per perſonas reliquas ſtuduimus ſubſcriptionibus roborari. Et vt hæc pagina huius teſtamenti in diſceptationem venire non poſſit, ſi quæ lituræ, caraxaturæ, adiectiones, ſuperdictioneſve factæ ſunt, nos eas fecimus, vel facere iuſſimus, dum teſtamentum noſtrum ſæpiùs recurrimus, vel emendauimus. Si quis noſtræ voluntati reſiſtere, aut teſtamento noſtro cuiuſlibet calliditas conatus fuerit caſu aliquo refragari, id implorantes diuini nominis maieſtatem, obteſtamur, vt pro noſtrorum omnium criminum peccatis obnoxius, in die iudicij expers Eccleſiæ Catholicæ communionis & pacis, ante tribunal Chriſti pro violata defuncti voluntate compellatur ſubire negotium: atque eum Dominus ſua vltione, quam promiſit iniuſtis, cùm venerit ſæculum iudicare per ignem, feriat, & accipiat in conſpectu eius damnationem perpetuam, quam ſuſcepit Iudas traditor Domini. Illud namque intimare volumus, vt ſi aliquis de heredibus, vel proheredibus noſtris, ſeu quælibet perſona contra hanc teſtamenti paginam, quam plena & integra voluntate fieri rogauimus, venire aut aliquid pulſare voluerit, inferat contra quem repetit tantum, & aliud tantum quantum in hoc teſtamento continetur ſcriptum, & inſuper fa-



Digitized by Google

ciat fiſco auri lib. tan. argenti tan. & quod repetit vindicare non valeat.

Lind. CXXI.

## *XVIII. Securitas pro homicidio facto.*

DOMINO fratri illi, ille. Dum & inſtigante aduerſario, quod non debueras, germanum noſtrum illum viſus es interfeciſſe, & ob hoc vitæ periculum incurrere potueras. Sed interuenientes ſacerdotes, & magnifici viri, quorum nomina ſubtus tenentur adnexa, nos ad pacis concordiam ob hoc viſi fuerunt reuocaſſe. Ita vt pro ipſa cauſa ſolidos tantos, quos in præſentia mihi dare deberes, quos & in præſenti per vuadium tuum viſus es tranſſoluiſſe, & nos ipſe cauſa perſiſtata, contra te viſus ſum vuerpiſſe. Propterea iuxta quod conuenit, hanc epiſtolam ſecuritatis, in te nobis conſcribere complacuit, vt de ipſa morte germani noſtri, nec à me, nec ab heredibus meis, aut ſuis, nec de iudiciaria poteſtate, nec à quolibet, nullo caſu, nec refragationem aliquam, aut damnietatem ampliùs habere non pertimeſcas, ſed in omnibus exinde ductus & abſolutus appareas. Et ſi fortaſſe ego ipſe, aut aliquis de heredibus meis, vel quicunque te ob hoc inquietare voluerit, & à me defenſatum non fuerit, inferamus tibi cum cogente fiſco, duplum, quod nobis dediſti; & quod repetit quis vindicare non valeat, ſed præſens epiſtola ſecuritatis à me facta firma permaneat.

Digitized by Google

## *XIX. Venditio de villa.*

*Lind.* CXXVIII.

DOMINO fratri illi, ille. Licèt empti venditíque contractus ſola pretij adnumeratione, & rei ipſius traditione conſiſtat, vt tabularum aliorúmque documentorum ad hoc tantùm interponatur inſtructio, vt fide rei, facti & iuris ratio comprobetur. Idcirco vendidiſſe me tibi conſtat, & ita vendidi villam iuris mei nuncupantem illam, ſitam in pago illo, quam ex legitima ſucceſſione parentum, *vel de quolibet modo ad eum peruenit*, habere videor, in integritate, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, adiacentiis, appenditiis, vel omni merito & termino ibidem aſpiciente. Et accepi vobis in pretio, iuxta quod mihi complacuit tantum, & memoratam villam vobis præſentialiter tradidi ad poſſidendum. Ita vt ab hac die habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeris, faciendi, liberam in omnibus habeas poteſtatem. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe, aut aliquis de heredibus vel proheredibus, ſeu quælibet oppoſita perſona, contra venditionem venire tentauerit, aut me malè vendidiſſe conuicerit, & à me vel heredibus meis defenſatum non fuerit, tunc inferamus vobis heredibúſque veſtris duplam pecuniam, quantum à vobis accepi, & quod ipſa villa meliorata valuerit; & quod repetit vindicare non valeat; ſed præſens

venditio omni tempore firma permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum, &c.

## *XX. Venditio de area infra ciuitatem.*

DOMINO ſancto & Apoſtolico, domno & patri illi Epiſcopo, ille. Conſtat me nulli coactum imperio, neque imaginario iure, ſed proprio voluntatis arbitrio, vobis vendidiſſe, & ita vendidi, aream iuris mei, infra muros ciuitatis illius, habentem per longum pedes tan. & in lato pedes tantos, quæ ſubiungit ad vnum latus terræ illi, ab alio latere terræ illi, à fronte vno terræ illi, & ab alio fronte terræ illi: & accepi à vobis in pretio, iuxta quod mihi complacuit, auri ſolidos tan. & præfatam aream vobis præſentialiter tradidi poſſidendam, ac habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeritis faciendi, libero perfruamini arbitrio. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe, aut aliquis de heredibus meis, ſeu quælibet perſona, contra hanc venditionem venire tentauerit, aut eam infrangere conatus fuerit, inferat vobis, aut auctoribus veſtris, duplam pecuniæ, vel quantum area ipſa eo tempore meliorata valuerit, &c.

## *XXI. Venditio de campo.*

DOMINO fratri illi, ille. Conſtat me tibi vendidiſſe, & ita vendidi campum iuris mei, ſitum in territorio illo, habentem plus minus tantum, qui ſubiungit à latere vno lui, ab alio latere lui, à fronte vno lui, ab alio verò fronte illius; & accepi à vobis in pretium iuxta quod mihi complacuit auri ſolidos tantos, & ipſum campum vobis præſentialiter tradidi poſſidendum, habendi vel quicquid exinde volueris faciendi liberam habeas poteſtatem. Si quis verò, &c.

## *XXII. Venditio de ſeruo aut ancilla.* Lind. CXXXII.

DOMINO fratri illi, ille. Conſtat me vobis vendidiſſe, & ita vendidi, ſeruum iuris mei, aut ancillam nomine illam, non furem, non fugitiuum, neque cadiuum, ſed mente & omni corpore ſanum. Pro quo accepi à vobis in pretio, iuxta quod mihi complacuit auri ſolidos, probos atque præſentes, numero tantos, & ipſum ſeruum vobis præſentialiter tradidi poſſidendum. Ita vt ab hac die habendi, tenendi, vel quicquid exinde decreueris faciendi, libero potiaris arbitrio. Si quis verò, quod futurum eſſe non credimus, ſi ego ipſe, aut aliquis de heredibus meis, ſeu quælibet perſona, contra hanc venditionem venire tentauerit, aut eam infringere voluerit, inferat tibi cum co-

gente fiſco auri tantum, vel quantum ſeruus ipſe eo tempore melioratus valuerit; & hæc venditio omni tempore firma permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum illo, ſub die illo, anno illo.

Lind. CXXXIX.

## *XXIII. Concambium de villis.*

INTER quos charitas inlibata permanſerit pars parti, beneficia opportuna præſtantur. Quia nihil ſibi de rebus propriis cenſet minui, quod è contra recipit in augmentum. Ideo placuit atque conuenit inter venerabilem virum illum ex permiſſu Apoſtolici viri illius, & inluſtrem virum illum, vt locellos aliquos inter ſe concambiare deberent, quod & ita fecerunt. Dedit igitur ille venerabilis vir lui, locellum nuncupatum illum, ſitum ibi, de parte baſilicæ ſanctæ, illi memorato lui, quicquid ibidem ad præſens, de quolibet adtractu, tenere videbatur, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, vel omnibus ibidem aſpicientibus. Similiter in compenſationem huius meriti, dedit ſuprà ſcriptus ille, ad partem memorati Abatis illius, vel prædictæ baſilicæ alium locellum nuncupatum illum, ſitum ibi, quicquid ibidem ad præſens, de quocumque adtractu, ibidem habere videbatur, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, vel omnibus ibidem aſpicientibus. Ita vt ab hac die vnuſ-

quiſque memoratos locos quos acceperunt, habendi, tenendi, vel quicquid exinde pro eorum opportunitate & compendio facere elegerint, libero perfruantur arbitrio. Illud verò addi conuenit, vt ſi aliqua pars ex ipſis, aut heredes, vel ſucceſſores eorum, hoc emutare, vel refragare voluerit, rem quam accepit amittat, & inſuper inferat pari ſuo, cui hoc facere præſumpſerit, auri libras tan. argenti pondo tan. & quod repetit vindicare non valeat; ſed præſens, vnde duas inter ſe vno tenore conſcripſerunt, firma & inuiolata permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

## *XXIV. Concambium de terra, aut vinea.*

IDEÓQVE placuit inter illum & illum, vt terram aliquam, aut pratum, aut vineam, ſeu quodlibet inter ſe commutare deberent, quod ita & fecerunt. Dedit igitur ille illi, illum campum in loco nuncupante illo, habentem tantum, qui ſubiungit à latere vno illi, ab alio latere, aut fronte illi. Simili modo è contra incompenſo dedit ille illi alium campum ibi, aut in alio loco, habentem tantum, qui ſubiungit de lateribus, à frontibus illis. Ita vt ab hac die vnuſquiſque ex ipſis, quod accepit habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegerint faciendi, liberam habeant poteſtatem. Si quis verò aliquis ex ipſis, aut heredes eorum, vel quicumque hoc emutare voluerit, quam acceperit pari ſuo amittat, & inſuper inferat cum cogente fiſco

Digitized by Google

auri tan. & quod repetit vindicare non valeat; ſed præſens commutatio, vnde inter ſe pro firmitatis ſtudio duas vno tenore conſcripſerunt, omni tempore firma permaneat; ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

Lind. CXLII.

## *XXV. Cautiones diuerſo modo factæ.*

DOMINO mihi propitio illi, ille. Dum & ad meam petitionem, & neceſſitatem ſupplendo, veſtra bonitas habuit, vt libram de argento, de rebus veſtris nobis ad beneficium præſtitiſtis. Ideo per hoc vinculum cautionis, ſpondeo me KL. illis proximis ipſum argentum veſtris partibus eſſe redditurum. Quod ſi non fecero, & dies placitus mihi præfinitus tranſierit, pro duplo in craſtinum me, aut heredes meos, vos aut heredes veſtri, aut cui hanc cautionem dederitis exigendam, teneatis obnoxium. Facta cautione ibi, ſub die illo, anno illo.

Lind. CXLIII.

## *XXVI. Item alia.*

DOMINO ſuo illi, ille. Conſtat me à vobis accepiſſe, & accipere debere, & debeo, hoc eſt ſolidos tantos, pro quibus ſolidis quos poſt me retinuero, annis ſingulis, per ſingulos ſolidos, ſingulos trientes veſtris partibus eſſe redditurum. Et ſi hoc facere contempſero, aut exinde negligens apparuero, ad duplum ipſo loco vobis reddere ſpondeo.

Digitized by Google

ſpondeo. Et quomodo de mea proprietate ipſos ſolidos veſtros reddere potuero, hanc cautionem à vobis recipiam.

## XXVII. *Item alia.*

*Lind.* CXLIV.

DOMINO fratri illi, ille. Quatenus neceſſitati meæ ſupplendo, ſolidos veſtros numero tantum, mihi ad beneficium præſtitiſti. Ideo iuxta quod mihi aptificauit, taliter inter nos conuenit, vt dum ipſos ſolidos de meo proprio reddere potuero, dies tantos in vnaquaque hebdomada ſeruitio veſtro, quale mihi vos, aut agentes veſtri iniunxeritis, facere debeam. Quòd ſi exinde negligens, aut tardus apparuero, licentiam habeatis, ſicut & cæteris ſeruientibus veſtris diſciplinam corporalem imponere. & quomodo ſolidos veſtros, reddere potuero, meam cautionem abſque vllo euacuario intercedente recipiamus.

## XXVIII. *Qui ſe in ſeruitio alterius obnoxiat.*

*Lind.* CXXXV.

DOMINO mihi proprio illi. Dum & inſtigante aduerſario, fragilitatem meam præualente, in caſus graues cecidi, vnde mortis periculum incurrere potueramus. Sed dum veſtra pietas me iam morti adiudicatum, de pecunia veſtra redemiſtis, vel pro meo ſcelere res veſtras quamplures dediſtis: Et ego de rebus meis, vnde veſtra beneficia re-

M

pendere debuiſſem, non habeo: Ideo pro hoc ſtatum ingenuitatis meæ vobis viſus ſum obnoxiaſſe. Ita vt ab hac die de veſtro ſeruitio penitus non diſcedam. Sed quicquid reliqui faciunt, pro veſtro, aut agentium veſtrorum imperio facere ſpondeo. Quod ſi non fecero, aut me per quodlibet ingenium de ſeruitio veſtro abſtrahere voluero, vel dominium alterius expetere, aut res ſuſcipere voluero, licentiam habeatis mihi qualemcumque volueritis diſciplinam ponere, vel venundare, aut quod vobis placuerit de me facere. Facta obnoxiatione tunc, ſub die illo.

Lind. LXXXV.

## XXIX. *Charta de agnatione, ſi ſeruus ingenuam trahit.*

IGITVR ego in Dei nomine ille, illi fœminæ. Illud non habetur incognitum, qualiter ſeruus meus nomine ille, te abſque parentum vel tua voluntate, rapto ſcelere in coniugium ſociauit, & ob hoc vitæ periculum incurrere potuerat. Sed venientibus & mediantibus amicis, vel bonis hominibus conuenit inter nos, vt ſi aliqua procreatio filiorum orta fuerit inter vos, in integra ingenuitate permaneant. *Et ſi voluntaria ſeruum accipit dicis.* Omnibus non habetur incognitum, qualiter ſeruum meum nomine illum voluntaria ſecuta es, & accepiſti maritum. Sed dum te ipſam & agnationem tuam, in meo inclinare potueram ſeruitio: Sed propter nomen Domini, & remiſſionem peccatorum meo-

rum, propterea præſentem epiſtolam in te mihi complacuit conſcribendam, vt ſi aliqua procreatio filiorum, aut filiarum inter vos orta fuerit, penitus nec nos, nec heredes noſtri, nec quiſlibet, vllo vnquam tempore in ſeruitio inclinare non debeamus. Sed integræ ingenuitatis, tanquam ſi ab vtriſque parentibus ingenuis fuiſſent procreati, omni vita ſua permaneant. Peculiari conceſſo, quocumque labore potuerint, & ſub integra ingenuitate, ſuper terram noſtram, aut filiorum noſtrorum, abſque vllo præiudicio de ſtatu ingenuitatis eorum commanere debeant: & reditus terræ, vt mos eſt, pro ingenuitate annis ſingulis deſoluant, & ſemper in integra ingenuitate permaneant, tam ipſi quàm & poſteritas illorum. Si quis verò, quod futurum eſſe non credimus, nos ipſi, aut aliquis de heredibus, vel quicumque contra hanc chartulam venire tentauerit, aut eam infrangere voluerit, inferat tibi, aut heredibus tuis, auri libras tantas, argenti pondo tan. & quod repetit vindicare non valeat; ſed præſens chartula omni tempore firma permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

## *XXX. Libellus repudij.*

DVM & inter illum & coniugem ſuam illam, non charitas ſecundùm Deum, ſed diſcordia regnat, & ob hoc pariter conuerſare minimè poſſunt: Placuit vtriuſque voluntate, vt ſe à conſortio ſeparare deberent, quod ita & fecerunt. Propterea has

epiſtolas interſe vno tenore conſcriptas fieri, & adfirmare decreuerunt: vt vnuſquiſque ex ipſis, ſiue ad ſeruitium Dei in monaſterio, aut copulæ matrimonij ſociare ſe voluerit, licentiam habeat, & nullam requiſitionem ex hoc de parte proximi ſui habere non debeat. Si quis verò, aut aliqua pars ex ipſis hoc emutare, aut contra parem ſuum repetere voluerit, inferat pari ſuo auri lib. I. & vt decreuerunt à proprio conſortio ſequeſtrati, in ea quam elegerint parte permaneant. Facta epiſtola, ſub die illo, anno illo, regnante illo Rege.

*Lind.* CLXVIII.

## *XXXI. Mandatum.*

DOMINO fratri illi, ille. Precor & ſupplico dominationi veſtræ, dum & cauſam pro alode, aut qualicumque, cum homine nomine illo, in palatio, aut vbilibet, habere videor, & ipſam cauſam ſuſcipere admallandam, vel proſequendam in vice mea debeas, & cum ſuprà ſcripto illo ex hoc rationare, vel quicquid exinde cum eo de ipſa cauſa egeris, geſſeriſve, ratum & definitum apud me eſſe cognoſcas. Factum mandatum ſub die illo.

*Lind.* XCI.

## *XXXII. Incipiunt ingenuitates diuerſo modo facta.*

### *Ingenuitas à die præſente.*

QVI debitum ſibi nexum relaxat ſeruitium, mercedem in futurum apud Dominum ſibi

retribuere confidat. Igitur ego in Dei nomine ille, & coniux mea illa, pro remedio animæ noſtræ, vel retributione æterna, te illum, aut illum, ex familia noſtra, à præſente die, ab omni vinculo ſeruitutis abſoluimus. Ita vt deinceps, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſes procreatus, vitam ducas ingenuam, & nulli heredum ac proheredum noſtrorum, vel cuicumque ſeruitium, nec libertinitatis obſequium debeas, niſi ſoli Deo, cui omnia ſubiecta ſunt: peculiari conceſſo, quod habes, aut deinceps elaborare potueris. Si tibi neceſſitas, ad tuam ingenuitatem tuendam, contigerit, abſque vllo præiudicio ingenuitatis tuæ, defenſionem Eccleſiæ, aut cuiuſcumque te eligere placuerit, licentiam habeas, & vitam ſemper benè & integrè ducas ingenuam. Si quis verò, quod futurum eſſe non credimus, nos ipſi, quod abſit, aut aliquis de heredibus noſtris, vel quælibet oppoſita perſona, contra hanc ingenuitatem tuam venire, aut eam infrangere conauerit, aut te in ſeruitio inclinare voluerit, diuina illum vltio ſubſequatur, & à liminibus Eccleſiarum, vel à communione extraneus efficiatur. Et inſuper inferat tibi cum cogente fiſco auri lib. I. & quod repetit vindicare non valeat, ſed præſens ingenuitas omni tempore firma permaneat, ſtipulatione ſubnixa.

Lind. XCIII.

## XXXIII. *Item ingenuitas alio modo poſt diſceſſum.*

DILECTO ſuo illi, aut illi. Pro reſpectu fidei ac ſeruitutis quam mihi famularis, pro remiſſione peccatorum meorum, te ab omni vinculo ſeruitutis abſoluo. Ea tamen conditione, vt dum aduixero, mihi deſeruias: poſt obitum verò meum ſi mihi ſuperſtes fueris, ſis ingenuus, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſes procreatus, & nulli heredum ac proheredum meorum, vel cuicumque ſeruitium impendas. Peculiare conceſſum quod habes, aut elaborare potueris, &c.

Lind. XCIV.

## XXXIV. *Item alia adhuc alio modo.*

SI aliquos ex ſeruientibus noſtris à iugo ſeruitutis abſoluimus, mercedem in futurum nobis ab hoc retribuere confidimus. Igitur ego ille, propter nomen Domini, & retributionem æternam te illum ab omni vinculo ſeruitutis abſoluimus. Ita vt ab hac die vitam ducas ingenuam, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſes procreatus, & nulli heredum ac proheredum meorum, vel cuicumque ſeruitium impendas: niſi ſub integra ingenuitate defenſionem eius quem ex meis heredibus elegeris habere debeas, & oblata mea vbi meum requieſcit corpuſculum, vel luminaria annis ſingulis debeas procurare. Peculiari conceſſo, quod habes,

aut elaborare potueris, aut ſi conuenit defenſionem Eccleſiæ illius, & vitam ſemper ducas ingenuam. Si quis verò, &c.

### *XXXV. Euacuatoria.*

DOMINO fratri illi, ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter ante hos annos, aut ante annum, ſolidos noſtros, numero tantos ad beneficium accepiſti, & cautionem nobis pro hoc emiſiſti, vt ipſos ſolidos tunc nobis reddere deberes, quod & ita feciſti. Sed dum illam cautionem, quam nobis emiſeras ad præſens non inuenimus, ideo tibi hanc epiſtolam euacuatoriam fecimus, vt de ipſis ſolidis tant. omni tempore ductus & abſolutus reſideas: & ſi ipſa cautio apparuerit, vel à nobis, aut heredibus noſtris, quoque tempore oſtenſa fuerit, nullum ſortiatur effectum; ſed vacua & inanis permaneat.

### *XXXVI. Si aliquis ſeruo ſuo gaſindo ſuo aliquid concedere voluerit.* *Lind. LXI.*

IVSTISSIME' noſtris ſubleuantur muneribus, qui nobis fideliter, & inſtanti famulantur officio. Ego in Dei nomine, nomine illo, fideli noſtro illi. Pro reſpectu fidei & ſeruitutis quam circa nos impendere non deſiſtis, promtiſſima voluntate cedimus tibi à die præſente locellum nuncupantem illum, aut manſum illum infra terminum villæ noſtræ il-

lius cum omni adiacentia ad ipſum locellum, aut manſellum aſpicientem, terris, domibus, mancipiis, vineis, pratellis, ſyluula, vel reliquis beneficiis, ibidem aſpicientibus. Ita vt ab hac die ipſo iure proprietario, ſi ita conuenit, aut reditus terræ in tuam reuoces poteſtatem, & nullam functionem, aut reditus terræ, vel paſcuarium, aut agrarium, aut quodcumque dici poteſt, exinde ſoluere nec tu, nec tua poſteritas, nobis, nec heredibus noſtris, nec cuicumque poſt nos ipſam villam poſſederit, non debeatis, niſi tantum ſi ita vult riga. Sed ipſum omnibus diebus vitæ tuæ, aut heredis tui emuniter debeatis poſſidere, vel quicquid exinde facere volueris liberam habeatis poteſtatem. Si quis verò, quod futurum eſſe non credimus, aliquis de heredibus noſtris, vel quicumque contra hanc ceſſionem noſtram agere, aut ipſam rem tibi auferre conauerit, inferat tibi cum cogente fiſco auri tan. & hæc epiſtola firma permaneat, ſtipulatione ſubnixa.

Lind. LXXIII.

## *XXXVII. Geſta iuxta conſuetudinem Romanorum, qualiter donationes vel teſtamenta legantur.*

ANNO illo, regnante Rege illo, ſub die illo, in ciuitate illa, adſtante viro illo laudabili defenſore, & omni curia illius ciuitatis, vir magnificus ille proſecutor dixit, Peto optime defenſor, vóſque laudabiles curiales atque municipes, vt mihi

mihi codices publicos patere iubeatis: quædam enim in manibus habeo, quæ geſtorum cupio alligatione roborari. Defenſor & curiales dixerunt, proſequere quæ optas, dicere ne moreris: vir magnificus proſecutor ille dixit; Venerabilis vir, aut inluſter vir ille, per chartam mandata ſua iniunxit, vt illam donationem teſtamenti, aut ceſſionem, quam ad baſilicam ad locum ſanctum illum, aut inluſtri viro illi, ad præſens, aut poſt diſceſſum delegauit, in vice ſua, vt mos eſt, geſtis municipalibus ipſam donationem debeam alligare: vir honeſtus defenſor dixit illi, Mandatum quod in te conſcriptum habere dicis nobis oſtende, vel in præſenti recitetur.

## XXXVIII. *Textus mandati.*

*Lind. LXXIII.*

DOMINO magnifico fratri illi, ille. Peto & ſuplico charitati tuæ, vt in vicem meam epiſtolam donationis, aut teſtamenti, ſeu ceſſionis, quam de rebus meis illis, ad baſilicam illam pro animæ meæ remedio, aut inluſtri viro illi, poſt diſceſſum meum, vel ad præſens delegaui, in ciuitate illa publicè proſequere, & geſtis municipalibus, vt mos eſt, eam debeas alligare. Propterea tibi hoc mandatum conſcripſi, vt ſicut ſuperiùs continetur, taliter proſequere & firmare debeas; & quicquid exinde egeris, geſſeriſve, ratum & definitum apud nos eſſe cognoſcas. Factum mandatum tunc, ibi, anno illo. Poſt recitationem mandati, vir honeſtus ille defenſor dixit, Mandatum quidem recitatum eſt, ſed

ſuprà ſcripta donatio, teſtamentum, aut ceſſio quam præ manibus habere dicis, nobis præſentibus recitetur, & vt poſtulas geſtis publicis firmetur. Quam verò donationem ille profeſſor recitauit. Poſt recitationem verò, vir laudabilis ille defenſor & curiales dixerunt: Epiſtola quæ recitata eſt, geſtis publicis inſeratur, & quod ille proſecutor vult & petit, geſta ei publicè dentur. Ille proſecutor dixit, Sufficit mihi bone defenſor, & donatio quæ recitata eſt, ſi mihi geſta tradere iubeatis. Ille defenſor dixit, Et quia epiſtola donationis, aut ceſſionis, ſeu teſtamenti, & mandatum in te conſcriptum per ordinem condita, & bonorum hominum manibus roborata, atque ſignata, manifeſta eſſe cognouimus, dignum eſt vt geſta ex hoc conſcripta, atque ſubſcripta tibi tradantur, & vt in arcipibus publicis memoranda ſeruentur: Edatur ſuper ordine, & mandatum ſuum in loco, & totus textus, & manumiſſoris epiſtolæ ſcribantur: & poſtea defenſor, & curiales ciuium, & reliqui eam ſubſcribant, atque ſignent.

## *XXXIX. Epiſtola, ſi aliqui rem Eccleſiæ ad vſum habeant, & eorum proprietatem pro hoc donent.*

DOMINO ſancto & Apoſtolico, domino & in Chriſto patri illi Epiſcopo, ille & coniux mea illa. Quatenus ad noſtram petitionem veſtra habuit pietas & beneuolentia, vt locellum aliquem Eccleſiæ veſtræ, nuncupantem illum, ſitum ibi,

Digitized by Google

quem ille pro animæ ſuæ remedio ad Eccleſiam veſtram illam, in honore ſancti illius, delegauit, nobis ad beneficium dum pariter aduiuimus, aut qui ex nobis pari ſuo ſuperſtes fuerit, dum aduixerit excolere permiſiſtis. Et nos pariter, iuxta quod conuenit, tam pro ipſo vſu, quàm pro animæ remedio, alium locellum nuncupantem ſic, ſitum ibi, poſt noſtrum ambobus diſceſſum, vobis vel ſucceſſoribus veſtris, ad memoratam Eccleſiam viſi fuimus condonaſſe. Ea tamen conditione, vt dum aduiuimus, ſuprà ſcripti loci, tam illi quos nobis præſtitiſtis, quàm eos, quos pro animæ noſtræ remedio ad ipſam Eccleſiam delegauimus, abſque vllo præiudicio Eccleſiæ veſtræ, ſine vlla diminutione, de qualibet re vſufructuario ordine poſſidere debeam. Et poſt noſtrum, vt diximus, ambobus diſceſſum, præfatos locos, abſque vlla alia renouata (vt mos eſt in cæteris) precaria, per hanc epiſtolam abſque vllius heredum noſtrorum, aut cuiuſcumque contrarietate, vel expectata traditione, vos vel ſucceſſores aut agentes veſtri, in veſtram faciatis reuocare dominationem perpetualiter dominandum: & noſtra poſſeſſio nullo vnquam tempore nullum præiudicium vobis ex hoc generare non debeat. Si quis verò, quod futurum eſſe non credimus, nos ipſi, aut aliquis de heredibus noſtris, vel quælibet perſona, contra hanc epiſtolam venire, aut aliquid de ipſis locellis vobis minuere, aut auferre voluerit, cum ſuprà ſcripto domno illo, ante tribunal Chriſti deducat rationes: & inſuper inferat partibus Ec-



Digitized by Google

cleſiæ veſtræ tantum, & quod repetit vindicare non valeat; ſed præſens epiſtola firma permaneat ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

## *XL. Preſtaria de re Eccleſiæ ab Epiſcopo facta.*

IN Chriſto ſanctæ Eccleſiæ filiis, *aut ſi tales fuerint*, inluſtribus viris illis, ille gratia Dei Epiſcopus. Dum ad petitionem veſtram alium locellum nuncupantem ſic, ſitum ibi, de proprietate veſtra, tam pro ipſo vſu quàm pro animæ veſtræ remedio, poſt amborum diſceſſum ad ipſam Eccleſiam ſancti illius, per veſtram epiſtolam delegaſtis: ideo nobis, cum conſenſu fratrum noſtrorum, conuenit, hanc epiſtolam preſtariam in vobis pariter conſcribere, vt dum pariter aduixeritis, aut qui ex vobis pari ſuo ſuperſtes fuerit, & aduixerit, nec nos nec ſucceſſores noſtri, nec quiſlibet de parte Eccleſiæ noſtræ ipſos locellos de veſtra poteſtate pontificium auferendi non habeamus, ſed per noſtrum beneficium, aut ſucceſſorum noſtrorum, dum aduixeritis, abſque vllo præiudicio Eccleſiæ noſtræ, vel minuatione aliqua, de qualibet re, in integritate ambos locellos excolere debeatis: Et poſt veſtrum ambobus diſceſſum, ſicut & veſtra continet epiſtola, loco precariæ facta, abſque vllius expectata traditione, eas nos, aut ſucceſſores noſtri, ad partem Eccleſiæ noſtræ reuocare debeamus. Facta epiſtola, &c.

## *XLI. Si aliquis rem alterius quam excolit ad proprietatem habere vult, & non poteſt, & poſtea eam precauerit.*

DOMNO inluſtri illi, & mihi proprio domno illi. Dum per malorum hominum conſilium, quod non debueram de terra veſtra in loco nuncupante illo, quam excolere video, amaui, & ipſam terram ad proprietatem facere, & non potui: quod nec ratio præſtitit, & vos vel agentes veſtri eam ad partem veſtram reuocaſtis, vel nos exinde eieciſtis: Sed poſtea ad petitionem bonorum hominum, nobis eam ad excolendum reddidiſtis: Propterea hanc precariam dominationi veſtræ emittimus, vt quamdiu vobis placuerit, vt eam teneamus, abſque vllo veſtro præiudicio, quicquid reliqui accolaui veſtri faciunt, nos reddere ſpondimus. Quod ſi non fecerimus, & ob hoc negligentes, tardi aut contumaces fuerimus, publicè per hanc precariam, ac ſi ſemper per quinquennium renouata fuiſſet, condemnati, vt lex præſtat tardis aut negligentibus, & de ipſa terra nos pontificium habeatis eiiciendi. Facta precaria ibi, ſub die illo, anno illo, illo rege.

## *XLII. Indiculus Epiſcopi, qui ad alium in reſurrectione Domini eulogias dirigit.*

DOMINO ſancto, & Apoſtolica veneratione colendo, domno & in Chriſto fratri, illi Epi-

ſcopo, ille gratia Dei, ac ſi peccator Epiſcopus. Dominicæ feſtiuitatis reſurrectioniſquę myſteriis, in qua idem Deus Chriſtus tartarum per ſemetipſum decreuit abſoluere, nudus victórque de exſuperato hoſte triumphans captiuitatem, dedit bona hominibus, propterea remeauit ad cælos, anni circulo reuoluente, quæ felicitas, vel proſperitas veſtram conſtitit induſtriam, aut ſanctitatem excepiſſe, ipſóque Deo præſule peregiſſe, cum eulogiis peculiaris patris veſtri ſancti illius, & ſalutationis officia veneratione præcipua mittentes, quæſumus vt noſtram extremitatem affatu dignabili iubeatis ſpecialibus informare.

## *XLIII. Reſcriptio ad Epiſcopum.*

DOMINO ſancto, meritis Apoſtolico, in Chriſto deſiderabili, domino & fratri illi Papæ, ille peccator Epiſcopus; Veſtras ſacras almitatis veſtræ deferente venerabili filio communi illo, vt cælitus donatum, nos accepiſſe prænoſcite, & comperite. De edulio depaſti recreatique ſancto hoc de munere veſtro trepudiantes, gratias multas agimus, &c.

## *XLIV. Quomodo Epiſcopus in natiuitate Domini, ad Regem, Reginam, vel ad Epiſcopum viſitationis dirigit ſcriptum.*

GLORIOSO atque præcelſo, & vniuerſalis Catholicæ ſanctæ Eccleſiæ filio illi Regi, ille

Epiſcopus: Glorioſæ atque præcelſæ, & vniuerſalis Catholicæ, ſanctæ Eccleſiæ filiæ illi Reginæ, ille miſericordia Dei Epiſcopus: Domino inclitóque cultori, atque Apoſtolico, domino & in Chriſto fratri illi Epiſcopo, ille peccator Epiſcopus. Dum generaliter Dominicæ natiuitatis exultamus aduentum, cenſum debitæ ſubiectionis deſoluere perurgemus: atque ideo ſalutationum munia cum eulogiis peculiaris patroni veſtri ſancti illius, *ſi ad Regem* clementiæ veſtræ, *ſi ad Epiſcopum* ſanctitati veſtræ direximus, cum omni humilitatis genere clementiſſimè dependentes, ſuggerimus, vt iugi nos præmunientes oratione de veſtræ ſoſpitatis integritate trepudiare faciatis, dignabili protinus reſcripto.

## *XLV. Item alia de natiuitate Domini.*

IOCVNDITATIS mutuæ gratiam cognoſcere cupientes, diuinitus vniuerſitate conlata, non deſiſtimus epiſtolis, præferendam veſtram præuenire clementiam, *aut* ſanctitatem, cum eulogiis peculiaris patroni veſtri illius, honorabili ac deuoto cultu poſcentes, vt qua alacritate feſtiua natiuitatis Dominicæ peregiſtis inſignia, nos doceant veſtræ ſanctitatis exempla. Erunt enim nobis prouectuum veſtræ incrementa ſalutis, locupletes theſauri facultatis.

## *XLVI. Commendatitia littera ad Epiſcopum notum.*

DOMINO reuerentiſſimo illi Papæ, ille. Reminiſcentes veſtram affectuoſam beatitudinis charitatem, qua tunc ob retributionem æternam, noſtræ extremitatis perſonolam, in intimis viſceribus, ac ſi vnicæ dilectionis vinculo amplectabamini ſedulè; Qua fiducia prouocatus, hos apices vilitatis noſtræ fidenter ad dignationem veſtram, per fratres noſtros, filios veſtros, gerulos præſentes deſtinare præſumpſi, per quos veſtræ almitati, ſi præſumptio non offendit, ſalutationum munia, vt decet, non arroganter, ſed humiliter deſtinare præſumo, quos vt commendentur in omnibus recipere dignetis, quæſumus opportunè. Etenim in tam longinquis regionibus, propter neceſſitates fratrum comparandas euntes, veſtris Chriſto præſule adminiculis fulciantur, pro quibus beneficiis centuplicato fœnore, à Domino retributore bonorum omnium refertam mercedis ſommulam in eum recipiatis digniſſimam. Dominus Deus noſter piam coronam veſtram memorem mei, & præſentibus repleat bonis, & dignam reddat æternis. Domne ſemper meus.

XLVII.

## *XLVII. Item commendatitiæ litteræ ad Abatem notum.*

DOMINO beatiſſimo, & meritis venerando, patri illi Abati, ille in Domino perpetuam mittit ſalutem. Multimoda nobis, beniuolo veſtro, generare comperite gaudia, quotiens aditus dederit oportunos, vt ad indagandam ſoſpitatem veſtram, noſtras dirigere debeamus litterulas: idcirco cum ſalutationum officiis, humili prece almitati veſtræ quæſumus, vt pro nobis miſericordiarum Dominum, vbi dignas ſedulâſque funditis preces, exorare non dedignemini, quatenus veſtris fulti precibus, olim optatam adire mereamur patriam; Paritérque latores præſentes famulos veſtros, fratres in Chriſto noſtros, quos ob neceſſaria monaſterij noſtri, illuc vſque deſtinauimus, veſtræ beatitudini plurimum commendare præſumimus, vt eis quod neceſſarium duxerint ſolatium præbere, pro diuino intuitu non dedignetis. Vale pro nobis orans, domne & ſancte, ac beatiſſime pater.

## *XLVIII. Supplicaturio pro eo qui in monaſterio conuerſare deſiderat.*

DOMINO ſancto, Deique cultori & mihi in Chriſto honorabili fratri, illi Abati, ille ſalutem optans mitti in Chriſto. Primum illud tanquam præſens ſanctis veſtris ſuggero prouolutus

O

pedibus, vt meæ extremitatis litterulæ, cum veſtris fuerint ſacris manibus traditæ, pro me meiſque, quos mihi in Chriſto cohærere fecit amor, fratribus, precibus Domino commendetis. Deinde ſubiectus veſtri frater in Chriſto noſter ille, ſuperno inſpiratus munere, veſtræ ſanctitati obedientiæ noſtris ſe petiit litteris almitati veſtræ commendari, per quas ſuppliciter poſtulamus, vt ouis fauce lupi, boni paſtoris Chriſti manu erepta, ad caulas Chriſti gregis, tua ſit diligentia reducta, ac vice patris ac medici pia circa hunc ſit vigilantia ægrum. Quem ſi priſtinæ redditum ſanitati paſtori omnium cum cæteris præſentaueris inlæſum, quæ ſequatur tui merces laboris, optimè diuinis noſti inſtructus oraculis. Vale memor mei venerabilis in Chriſto frater.

## *XLIX. Indiculus generalis ad omnes homines.*

DOMNO noſtro, orthodoxo Romanæ Sedis Apoſtolicæ, à Deo inſtituto, illi Papæ: vel omnibus Apoſtolicis domnis, & patribus, ſeu Abatibus; vel Deo dicatis in cœnobiis degentibus: necnon & inluſtribus viris, Patriciis, Ducibus, Comitibus, vel omnibus Chriſtiani cultus diuinam religionem ſectantibus, ille peccator viliſſimus omnibus in Domino præſumo mittere ſalutem. Quatenus præſens portitor ille, radio inflammante diuino, non (vt pleriſque mos eſt) vacandi cauſa, ſed propter nomen Domini, itinera ardua & laborioſa par-

uipendens, ob lucrandam orationem, limina ſanctorum Apoſtolorum domni Petri & Pauli, adire cupiens, meæ paruitatis ſe petiit veſtræ commendari almitati ac induſtriæ litterulis. Per quas viliſſimus omnium, tanquam veſtris prouolutus veſtigiis ſingulorum, ſupplicare præſumo, vt pro minimo exorari iubeatis, & eundem euntem vel redeuntem, ſi Dominus permiſerit, propter nomen Domini, ſolida pietate commendatum recipiatis, & quod neceſſe habuerit impertire tanti habeatis; quatenus ab ipſo mereamini mercedem recipere commodam, qui ſibi dixit impleri, quantum quis in ſuis pauperibus viſus fuerit erogare.

## L. *Indiculus commendatitius ad viros inluſtres laïcos.*

DOMINO inluſtri, & præ cunctis magnificentiſſimo, ac nobilitate proſapiæ decorato, atque ſublimato, illi, ille peccator in Domino præſumit mittere ſalutem. Quamquam veſtræ excellentiæ mea paruitas minimè ſit cognita, tamen multorum relatione didici veſtram in Domino maximam deuotionem, & in ſeruos Dei, vel pauperes eius, ob æternam retributionem ſollicitudinem non pigram. Qua fiducia prouocatus, hos apices vilitatis meæ, per latores præſentes, famulos veſtros, fratres in Chriſto noſtros, ad dominationem veſtram direximus. per quos veſtram induſtriam, ſi præſumptio non offendit, plurimum ſalutare præſumo: & peto



Digitized by Google

vt eis euntibus vel redeuntibus, in quo neceſſarium duxerint, propter nomen Domini ſolita pietate conſolari iubeatis.

## *LI. Indiculus ad homines potentes palatinos, maximè ad cognitos ſibi.*

DOMINO inluſtri, & præ cunctis magnificentiſſimo viro illi, ille peccator perennem in Domino mittit ſalutem. Vberem ſtrenuitatis veſtræ agapem erga nos potiſſimo iure flagrantem, litterarum ſerie non omittimus excitare, quò, auidi facilitatis veſtræ quæſtus præſtolantes, vberes in Domino à vobis fructus ſemper ſuſcipiamus: & dum præſenti in vita tibi rerum arbiter locum dedit, quo & Eccleſiarum, & amicorum feras ſuffragia, non pigeat ſubire laborem, qui in poſterum mercedis conferat lucra, & nunc multiplicia ex numero amicorum ferant ſuffragia & vnde tibi præſentium portitores, ſodales mei, famuli veſtri ſuggeſſerint, piè obaudientes effectui mancipetis. Vale vigor atque tuorum decus amicorum; omnipotens Dominus pietatis, ad Eccleſiarum profectum per multa ſpatia temporum, vos conſeruare & cuſtodire dignetur.

## *LII. Qualiter ex ordinatione Regis pro natiuitate filij ſui, Domeſticus de villa Regis per ſuam epiſtolam relaxat ingenuos.*

EGO in Dei nomine ille Domeſticus, ac ſi indignus glorioſiſſimi domini illius Regis ſuper

villas ipſius illas, illi ex familia dominica de villa illa. Dum generaliter ad omnes domeſticos Regis ordinatio proceſſit, pro natiuitate domnicelli noſtri illius, vt à Domino meliùs conſeruetur, de vnaquaque villa fiſcali tres homines ex ſeruientibus, ex vtroque ſexu, à ſeruitio laxarentur, & nos ita faciendum ob hoc ordinationem recipimus. Propterea te per hanc epiſtolam, ſicut mihi iuſſum eſt, ab omni vinculo ſeruitutis abſoluo. Ita vt deinceps tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſes procreatus vitam ducas ingenuam: & in nullo ſeruitio, nec à nobis, nec à ſucceſſoribus domeſticis, nec à quocumque de parte fiſci penitus in ſeruitio inclinari non poſſis: ſed per hanc epiſtolam ingenuitatis, ſicut nobis iuſſum eſt fieri, benè & integrè ingenuus cunctis diebus vitæ tuæ debeas permanere. Si quis verò te de ſtatu ingenuitatis tuæ impulſare voluerit, inferat tibi cum cogente fiſco auri libram I. & quod repetit vindicare non valeat; ſed præſens epiſtola firma permaneat; ſtipulatione ſubnixa. Actum ibi, ſub die illo, anno illo, Rege illo, ſuprà ſcripto illo domno noſtro Rege.

*MARCVLFI FORMVLARVM FINIS.*



Digitized by Google

Digitized by Google

111

# FORMVLÆ
## VETERES
### INCERTI AVCTORIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

# FORMVLÆ
## VETERES
## INCERTI AVCTORIS.

### *I. Notitia de colono euindicato..* *Lind.* CLXV.

NOTITIA qualiter, vel quibus præſentibus, veniens homo aliquis, nomine ille, aduocatus ſancti illius de monaſterio illo, & illius Abatis, in ciuitate illa, viro illo Comite vel aliis quampluribus perſonis ibidem reſidentibus, interpellabat hominem aliquem nomine illum, repetebat ei, dum diceret eo quòd ante hos dies, ipſe homo ſacramentum intra ipſam caſam Dei, vel ipſius Abatis, habuiſſet adhramitum, ad ſuam ingenuitatem * tenſandum, in ipſo mallo in baſilica ſancti illius ob hoc iurare debuiſſet; & ipſe homo de ipſo ſacramento iectiuus remanſit, &

* *Lind.* defenſandum,

P

Digitized by Google

ipſe homo nullatenus rationes potuit tradere, per quod ingenuus eſſe deberet, vel ipſum ſacramentum iurare potuiſſet. Et dum hæc cauſa apud ipſum Comitem, vel ipſos racimburgios diligenter fuit inuenta, vel inquiſita, & legibus fuit definita: & ipſe homo in præſenti pro colono ad caſam ſancti illius, vel ipſius Abatis, recognouit vel recredidit; ipſe vicarius per iuſſionem ipſius Comitis ipſum hominem per manus, pro colono ipſius, aduocato illius Abatis, viſus eſt reddidiſſe. Propterea taliter ei fuit iudicatum, de hac cauſa notitiam bonorum hominum manibus roboratam eum accipere debere; quod ita & fecit, vt ipſum hominem ipſa caſa Dei, vel ipſe Aba, ſeu rectores eorum pro colono habeant euindicatum, ne ſit inter ipſos poſtmodum ex hac re ſubita cauſatio. His præſentibus qui ſubter firmauerunt.

Lind. CLXIV.

## *II. Charta Sacramentalis.*

VENIENS aduocatus ſancti illius, de monaſterio illo, ſeu & illius Abatis de prædicto monaſterio illo, caſtro illo, in mallo publico, ante illuſtrem virum illum Comitem, vel alios quamplures, qui ibidem aderant, interpellabat hominem aliquem, nomine illum, repetebat ei dum diceret, eo quòd genitor ſuus, nomine ille colonus ſancti illius de villa illa fuiſſet, & ipſum colonitium de capite ſuo ad ipſam caſam Dei redebeat, & exinde negligens aderat; & ipſe in præſenti hoc fortiter de-

negabat, & taliter dedit in ſuo reſponſo quòd de patre Franco fuiſſet generatus, & de matre Franca fuiſſet natus: vnde tale ſacramentum per ſuam fiſtucam viſus fuit adrhamire, & taliter ei fuit iudicatum, vt hac cauſa apud proximiores parentes ſuos, octo de parte genitoris ſui, & octo de parte genitricis ſuæ, ſi fortè mortui non ſunt, & ſi fortè mortui ſunt, apud XII. Francos, tales qualem ſe eſſe dixit, in illo caſtro, in baſilica ſancti illius, vbi reliqua ſacramenta percurrunt, in L. noctes, in proximo mallo, hoc debeat eiurare.

## *III. Notitia de ſeruo.*

NOTITIA qualiter, vel quibus præſentibus veniens ille in cauſa monaſterij ſancti illius, ciuitatis illius pontifici, ad vicem venerabilis viri illius Abatis de prædicto monaſterio, die illo, illa ciuitate, in mallo publico, ante inluſtrem virum illum Comitem, & ante illum Epiſcopum, vel alios plures magnificos viros, qui ibidem reſedebant, hominem aliquem nomine illum ibidem interpellabat dicens, eo quòd ſeruus monaſterij ſancti illius, de capite ſuo aderat, & colonus ipſius ſancti ille nomine, illum de Franco homine comparaſſet, & malo ordine ipſe ſeruitium partibus monaſterij ſancti illius effugiebat, vel intendebat. Interrogatum fuit ipſi ſeruo, ſi ipſa cauſa vera erat aut non; ſed ipſe ſeruus in omnibus hoc fortiter denegauit, & ipſe Aba vel ſuus aduocatus contra prædictum

ſeruum intendebant, & taliter dixerunt, quòd teſtimonia hominum Francorum præſentare poterant, qui hîc adſtabant, quòd ipſe colonus ipſum comparauerat, & in ſuum ſeruitium eum viderant deſeruire, & per legem ſeruus ſancti illius eſſe debet. Et ipſa hora ipſe Aba, vel pro ſe aduocatus, ſua teſtimonia homines ſeptem, his nominibus ille & ille, adrhamiuit vt in craſtinum die illo ibidem præſentare deberent, quod ita & fecerunt. Et ipſi homines ſic teſtimoniauerunt, quòd per legem ſeruus ſancti illius aderat debitus, & quomodo hoc teſtimoniauerunt tam ſuper altarium ſancti illius, in illa capella, quàm in curte fiſci, vbi reliqua ſacramenta ſoluta ſunt, iurati dixerunt. Denuo ipſe ſeruus fuit interrogatus ſi ipſam cauſam recognoſcebat, ſi ſic erat veritas: ſed ipſe ſeruus in omnibus hanc cauſam recognouit, & ad ſeruitium reuerſus fuit: & ipſe Aba per iudicium ipſarum perſonarum, per iuſſionem illius Comitis de manu illius vicarij exceptum, ibidem pro ſeruo ſancti illius euindicabat, his præſentibus.

## *IV. Iudicium euindicatum de colono.*

CVM reſediſſent venerabilis ille Aba, & inluſtris vir ille in villa illa in pago illo, vbi ille Comes eſſe videtur per iuſſionem domni & glorioſi illius Regis ad vniuerſorum cauſas audiendum, vel recta iudicia in Dei nomine terminandum, ibíque veniens ille aduocatus monaſterij illius, vel illius

Abatis, hominem aliquem nomine illum interpellabat, repetebat ei, dum diceret eo quòd legitimum colonitium partibus monaſterij ſancti illius, vel illius Abatis ad villam illam de parte genitricis ſuæ redeberet, & negligens & iectiuus exinde adeſſet, ſed ipſe homo de præſenti adſtabat, & ipſam cauſam nullatenus potuit denegare, & ad ipſum colonitium ſe recognouit, & per manus ipſum hominem ipſius Abatis reddidit. Proinde taliter ab ipſis miſſis dominicis, vel illo Comite, ſeu & ab ipſis rachimburgiis, ipſius aduocato in cauſa ſancti illius vel ipſius Abatis, pro firmitatis ſtudio fuit iudicatum, vt dum ipſa cauſa taliter fuit inuenta & legibus definita, vt tale iudicium euindicatum exinde accipere deberet. Quod ita & fecit: vt omni tempore ad ipſum colonitium ſancti illius, ad villam illam illum habeat euindicatum, ne ſit in poſtmodum inter eos ex hac re ſubita cauſatio. Datum in menſe illo, in anno illo.

## *V. Notitia de colona euindicata.*

VENIENS homo aliquis nomine ille, aduocatus ſancti illius de monaſterio ſancti illius, vel illius Abatis de ipſo monaſterio, die illo, in mallo publico, ante inluſtrem virum illum Comitem, vel ante plures perſonas, quæ ibidem aderant, ad vniuerſorum cauſas audiendum, vel recta iudicia in Dei nomine terminandum, qui ſubter firmauerunt, fœminam aliquam, nomine illam, ibidem interpel-

labat, repetebat ei dum diceret eo quòd auus ſuus nomine ille quondam, vel genitor ſuus ille quondam, coloni ſancti illius de villa illa fuiſſent, & ipſa fœmina colona eſſe debebat, & ipſum colonitium malo ordine de ipſa cauſa Dei effugeret: ſic ipſa fœmina in præſenti adſtitit, & ab ipſis perſonis interrogata fuit, ſi ipſa cauſa eſſet veritas, aut non. Sed ipſa in omnibus fortiter denegauit, & taliter dixit quòd auus ſuus ille quondam, nec genitor ſuus ille quondam, coloni ſancti illius de villa illa nunquam fuiſſent, nec ipſa colonitium de capite ſuo ad ipſam caſam Dei, ſancti illius, nunquam reddebat, ſed de patre & de matre bene ingenua nata vel procreata fuiſſet. Sic ab ipſis perſonis taliter ei fuit iudicatum, vt apud XII. homines parentes ſuos, octo de patre & quatuor de matre, ſi fortè mortui non ſint, & ſi fortè mortui ſunt, apud XII. homines bene Francos Salicos, in ipſo mallo ſuper altario ſancti illius, in proximo mallo quod ipſe Comes ibidem tenebit, hoc coniurare debeat, quòd auus ſuus ille quondam, nec genitor ſuus ille quondam coloni ſancti illius de monaſterio illo, de villa illa nunquam fuiſſent, nec ipſa colonitium de capite ſuo ad ipſam caſam Dei redebeat. Et ſi hoc in eo placito, ſicut ſuperiùs inſertum eſt, coniurare potuerit, de hac cauſa ducta & ſecura reſideat; ſin autem non potuerit, ad ipſam caſam Dei ſe recognoſcere faciat. Datum ibi.

## *VI. Notitia de ſeruo quem colonus comparat.* Lind. CLXII.

NOTITIA qualiter vel quibus præſentibus, veniens magnificus vir ille in illa ciuitate, in mallo publico ante inluſtrem virum illum Comitem, & ante Apoſtolicum virum illum, vel præſentibus quampluribus viris venerabilibus rachimburgis, qui ibidem ad vniuerſorum cauſas audiendum, vel recta in Dei nomine iudicia terminandum, dum reſidebant vel adſtabant, quorum nomina ſubtus tenentur adnexa, hominem aliquem nomine illum interpellabat, dicens eo quòd ſeruus ad colonum ſuum nomine illum de capite ſuo aderat, & venditionem habebat, quomodo ipſe colonus ipſum comparauerat, & ipſam venditionem ibidem oſtendebat ad relegendum. Relecta epiſtola ſic ipſi viri ipſum interrogauerunt, ſi aliquid contra ipſam chartam dicere volebat, vel ſi eam agnoſcebat, aut non. Sed ipſe ſeruus ipſam chartam veram & legitimam recognouit: ſic ipſi viri tale decreuerunt iudicium, vt ipſe ille ipſum ad ſeruitium recipere deberet, quod ita & fecit, & per manus vicarij per iuſſionem inluſtris viri illius Comitis, & per iudicium ad ipſas perſonas præſentialiter recepit: his præſentibus. Datum ibi, ſub die illo.

## *VII. Notitia de terra euindicata.* Lind. CLXX.

NOTITIA qualiter vel quibus præſentibus, veniens venerabilis vir ille Abas de monaſterio

Digitized by Google

illo, die illo, in illo loco, ante inluſtres viros magnificos illos, & illos miſſos domni & glorioſiſſimi illius Regis, vel alios quamplureis qui ſubter firmauerunt, quorum nomina ſubtus tenentur inſerta, hominem aliquem nomine illum interpellabat, repetebat ei, eo quòd illam terram quam apud hominem illum concambiauit, quæ eſt in pago illo, in grafia illa, in loco qui vocatur ille, poſt ſe malo ordine retineret iniuſtè, & ipſe homo in præſenti adſtabat, & hanc cauſam nullatenus potuit denegare, nec tradere rationes, per quas ipſam terram habere debeat. Sic ipſi homini fuit iudicatum, vt ipſam terram ante ipſos miſſos dominicos, ſecundùm ſuam legem ipſi venerabili viro illi Abati reddere vel reueſtire deberet; quod ita in præſente & fecit. Propterea iubemus vt dum hanc cauſam ſic actam vel perpetratam eſſe cognouimus, vt ipſam terram ipſe Abas habeat euindicatam, atque elidiata ſit poſtmodum ex hac re, omníque tempore ſubita cauſatio. Datum ibi ſub die illo, anno illo, regnante domno noſtro illo glorioſiſſimo Rege.

*Lind. XCVII.*

## *VIII. Ingenuitas.*

QVONIAM ſanctiſſimi HLudouici Imperatoris pietas, quam habet in Deum, ea quærere & indagare non ceſſat, quæ Domini potiſſimum congruant voluntati. Quibus quoque religionis honor & deuotio, magis ac magis de die in dies creſcat, atque proficiat: & ea quæ ad diuinum cultum

&

& officium ſanctum pertinent, decoris & honeſtatis ampliùs in diebus eius quàm priùs habuerunt accipiant, & cunctis in futurum temporibus quæ ſecundùm Deum ab eodem inuenta procuratáque ſunt proficiant, & perenni ſtabilitate à ſucceſſoribus eius, & fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ inuiolabiliter in perpetuum conſeruentur, memor ſemper eius quod dicitur, *Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & iuſtitia firmatur thronus eius*, adeò vt veriſſimè & propemodum ſpecialiter de eo dictum videbatur, *Beata terra cuius Rex ſapiens eſt.* Cui etiam illud non inconuenienter poteſt aptari, quod Dominus de Dauid perhibuit, dicens, *Inueni Dauid ſecundùm cor meum, qui faciat omnes voluntates meas.* Huiuſmodi itaque ſtudiis Rex iſte ſapiens & beatus, indeſinenter intentus, & Domini ſemper adhærens voluntati, cupiens, vt præmiſſum eſt, diuinum officium modis omnibus honeſtare, & eos qui Domino Deo ſacrificium ſuper altare ſanctum offerre debent, & corpus & ſanguinem dominicum precum mediatione conſecrare, honori habere, & ampliore gratia circumdare: Statuit vt Epiſcopi & Abates, & quicumque Eccleſiaſticis poſſeſſionibus iure prælati ſunt, ſi aliquos ex familia ad preſbyteratus ordinem promouere velint, priùs eos, permiſſu ipſius, libertate donent; & ſic tandem ad ſacerdotij gradum digniſſimè ſubuehant.

Igitur ego ille minimus ſeruorum Dei famulus Eccleſiæ Senonicæ Archiepiſcopus, tanta ſereniſſimi HLudouici Auguſti auctoritate, quæ Senonis

in arcibo Eccleſiæ Epiſcopij ſeruatur, fultus, per hunc libellum manumiſſionis, te fratrem noſtrum, quem ſeruilis conditio hactenus addictum tenuit, inter huius Eccleſiæ familiam, quia fratrum teſtimonio, inter quos enutritus es, dignus ad ſacerdotalem honorem ſuſcipiendum prædicaris, cenſeo te atque ſtatuo, ante ſacri altaris cornu, in conſpectu ſacerdotum & cleri & populi adſtantis, à præſenti die & deinceps, ab omni iugo ſeruitutis humanæ abſolutum fore, ciuémque Romanum appellari. Ita vt nulli hominum pro ſeruili conditione, quicquam debeas ſeruitij nec obſequij, nec etiam libertinitatis munus impendere, non mihi, nec ſucceſſoribus, aut actoribus, quicumque præfuerint huic Eccleſiæ, non iudiciaria præditis poteſtate; ſed ſoli Domino licentiam & facultatem habeas liberè famulandi, diéſque tuos, vitámque ipſi dicandi: vt in ipſius Eccleſia proficias ad honorem, & profectum plebis, pretioſo ſanguine Chriſti redemptæ; quatenus hanc pro modulo tuo, monitis inſtruas, orationibus iuues, exemplis informes, corporis & ſanguinis dominici conſecratione, propter cuius honorem hanc conſecutus es dignitatem, reficias, vt ſicut ab humana ſeruitute liberatus per hanc manumiſſionem eſſe cognoſceris, ita per diuinam doceas diabolicæ dominationis iugum euadere plebem, quæ tibi à proprio pontifice fuerit commiſſa. His quoque ſubnectere placuit, canonicis admoniti conſtitutionibus, vt ſi qua deinceps prædia, vel mancipia tui nominis titulo comparaueris, hoc obſeruari

ſtudeas, quod in eiſdem decretum eſſe cognoſcitur. Et ſi fortè, quod abſit, à tuo propoſito exorbitaueris, preſbyteratus gradum canonico iudicio amittere cogaris. Hanc ingenuitatem manu propria ſubſcripſi, & qui ſubſcriberent rogaui.

## *IX. Mandatum.*

*Lind.* CXXCII.

LEGIBVS inſtitutum eſt, & conſuetudine per tempora confirmatum, vt quicumque aduocatum inſtruere velit, mandato legaliter dato, atque ſolenniter confirmato, eum inſtruere debeat, vt omnes cauſas quas adgredi vel repellere debet, proſequi & defendere inoffenſè valeat. Igitur ego ille ſanctæ illius Eccleſiæ vocatus Epiſcopus, iniungo, mando, & per has litteras delego tibi illi fideli meo, de rebus ſancti illius, ſitis in pago illo, in locis nuncupatis ſic, cum adiacentiis, vel aſpicientibus ad eas, locis aliis, per omne ius inueſtigare, inquirere, proſequi, & admallare debeas per mallos, vicos, caſtella, oppida, & ciuitates, necnon etiam ſi neceſſitas incubuerit, in palatio, ante vicarios, Comites, miſſos dominicos, Comites palatij, ſiue ante omnes iudices quibus hoc officium delegatum eſt, vt cauſationes & lites definire & terminare iuſtè & rationabiliter debeant; & quicquid legibus cum iuſtitia, vnde proſecutus fueris & definieris, ſcito apud me ratum & acceptum, atque inconuulſum manſurum. Quod mandatum in te conlatum, vt firmum fixúmque permaneat, manu propria ſubterfirmaui, & qui adfirmare deberent rogaui.

Lind. XXXIII.

## X. *Tracturia pro itinere peragendo.*

DOMINIS ſanctis & Apoſtolicis ſedibus, allocatis, Epiſcopis, Abatibus, vel Abatiſſis, & omnibus in Chriſto patribus: Ducibus, Comitibus, Vigariis, Centenariis, & Decanis, vel omnibus in Chriſto credentibus, & Deum timentibus, Ego in Dei nomine ille, ac ſi indignus peccator, vltimus omnium ſeruorum Dei ſeruus, Epiſcopus videlicet, ſiue Abas de ciuitate illa, vel de monaſterio illo, vbi pretioſus ille martyr ſeu confeſſor Chriſti humatus in corpore requieſcit, ſalutem vobis perennem in Domino deſtinare curauimus. Cognoſcatis ſiquidem, domni & ſancti patres, ſeu & ſorores in Chriſto, quia innoteſcimus vobis eo quòd peregrinus iſte, nomen ille, ex genere illo, ad nos venit, & nobis innotuit, atque conſilium quæſiuit, de hoc videlicet facto quod inſtigante aduerſario, peccatis facientibus, proprium filium ſuum, ſiue nepotem nomine illum interfecit: Et nos pro hac cauſa ſecundùm conſuetudinem, vel canonicam inſtitutionem diiudicauimus, vt in lege peregrinorum ipſe præfatus vir annis tot in peregrinatione *permanere* deberet. Propterea cognoſcatis, ſanctiſſimi patres, has litteras, vt quando ad ſanctitatem veſtram venerint, meliùs ei credatis: Et quòd nullatenus pro alia cauſa ambulare dinoſcitur, niſi ſicut ſuperiùs diximus, pro peccatis ſuis redimendis, vt vos eum nullo modo teneatis, niſi tantum quando ad vôs

venerit, manſionem ei & focum, panem & aquam, largire dignemini. Et poſtea ſine detentione liceat ei ad loca ſanctorum feſtinare. Sic exinde agite pro amore Dei & reuerentia ſancti Petri, ſanctiſſimi patres, vt vos pius Dominus in illa beata ſeu immortali vita remunerare dignetur, quia in ipſo peregrino Chriſtum pauiſtis ſeu ſuſcepiſtis, conſiderantes videlicet quod ipſe Dominus dixit, *Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me, Quod vni ex minimis iſtis feciſtis, mihi feciſtis*. Quid plura ad ſapientes: ſufficit ſemel loqui. Commendamus nos obnixè in veſtris ſacris precibus, vt nobis commendari dignemini in Chriſto feliciter, ſanctiſſimi patres, vt ad æternam angelorum digni habeamini manſionem perpetuam.

## *XI. Ceſſio ad eccleſiam à nouo ædificatam.*

REGNANTE Domino Ieſu Chriſto in perpetuum, ego ille Epiſcopus. Omnibus non habetur incognitum, qualiter ego auxiliante Domino, in pago, in villa cuius vocabulum eſt, ibi baſilicam ſancti .... atque ſancti Stephani, vel in honore cæterorum ſanctorum, quorum ibidem reliquiæ quieſcunt, conſtruxi, atque KL. Iunij dedicari curaui, conſentientibus etiam confratribus, tam canonicis, quàm & monachis, vel cæteris hominibus, qui præſentes fuerunt, vt villæ quarum vocabula ſunt, Cadiliaco, Tanculfouilla, Fagido & Barbitione villare, vt ibidem aſpicere deberent, ad miſ-

ſas venire, & ad baptiſmum, vel prædicationem, & vt decimas ſuas ad memoratam baſilicam dare deberent. Propterea pro firmitatis ſtudio hanc conſenſionem ſcribere rogauimus, vt temporibus noſtris atque ſucceſſorum noſtrorum hæc noſtra conſenſio firma & ſtabilis valeat permanere: & ſciant omnes tam præſentes quàm & abſentes ſeu ſucceſſores noſtri, quia dedimus in memoratam illam Cadiliacum duos manſos ad ipſa luminaria prouidenda, vel vnde preſbyter, qui ibidem officio fungi videtur, viuere debeat: & addimus ad hoc inſuper de terra arabili ........ & de vinea aripennem vnum, & dimidium: vt æuo tempore in eleimoſynam noſtram, ſeu ſucceſſorum noſtrorum ita valeat perdurare. Actum fuit hoc ſub die memorato KL. Iunij, in anno VIII. Chriſto propitio imperij domni Karoli sereniſſimi Auguſti, & anno XLIII. regni eius in Francia, atque XXXV. in Italia, Indictione prima in Dei nomine feliciter, Amen. His præſentibus qui adfuerunt.

Lind. CXXCV.

## *XII. Littera commendatitia.*

SANCTO & Deo amabili Magnoni dono Dei Archiepiſcopo ex Senonica vrbe. Ego enim in Dei nomine Ebroinus dono Dei Archiepiſcopus ex Biturige vrbe, in Domino Ieſu ſalutes optamus vobis in perpetuum. De cætero notum facimus ſanctitati veſtræ, quia iſte præſens preſbyter, nomen Dodobertus parochianus noſter, in noſtra diœceſi

natus, & ſacras litteras edoctus ſit, eúmque ad ordinem ſacrum promoueri iuſſimus. Poſtea verò petiit nobis licentiam, vt in veſtra parochia apud hominem aliquem, nomen Hercambaldum, manere voluiſſet. Nos verò petitionem illius non denegauimus, niſi licentiam illi dediſſemus, quia ſcimus quòd de bene liberis ortus ſit. Vnde has litteras commendatitias more Eccleſiaſtico factas ad ſanctitatem veſtram miſimus, vt ſcire valeat Deo digna charitas veſtra, cum nec fuga lapſum, nec ſua malitia à nobis eiectum, ſed noſtra voluntate deſtinatum. Et vt certiùs credatis, Græca elementa quæ octogenarium quadringenteſimum & primum numerum exprimunt inprimitus adneximus. Π. Petri quoque nominis primam litteram ſumptam in medio adſcribere rogauimus. Nihilominus etiam paruitatis noſtræ nominis primam litteram HE. magnitudinis veſtræ ſecundam litteram A. iſtius fratris nominis tertiam litteram Δ. ciuitatis noſtræ quartam Υ. & indictione quarta adiunximus. Addidimus nonagenarium & nonum numerum, id eſt Φ. & Θ. & inſequenter impreſſione ſigilli noſtri ſubter confirmauimus, & manu propria eam roborauimus, & clericis noſtris roborari iuſſimus. Actum in anno x. imperij domni noſtri Caroli, & anno XLIII. regni eius in Dei nomine feliciter. Amen.

In nomine Π & Υ & A. Reuerentiſſimo ſancto & Deo amabili illi Archiepiſcopo Senonicæ vrbis. Ego enim in Dei nomine ille Cenomanicæ ciuitatis Epiſcopus in Domino Ieſu Chriſto opto vobis

ſalutem in perpetuum. De cætero notum facimus ſanctitati veſtræ, quia iſtum præſentem preſbyterum &c. *quæ ad verbum eadem ſunt cum ſuperiori, ideóque hîc repetita noluimus.*

In Dei nomine ſanctiſſimo ac reuerentiſſimo fratri illi Epiſcopo, ille illius vrbis Epiſcopus, in Domino ſempiternam ſalutem. Cognoſcat fraternitas, ſeu charitas veſtra, quia iſte præſens preſbyter nomine ille, in parochia, & in Eccleſia noſtra ſacris litteris educatus fuit, & ab infantia fuit apud nos ſeu prædeceſſores noſtros bonum habens teſtimonium bonámque continentiam, & innocentem vitam deducens. Vnde placuit illi modò, vt ad aliam Eccleſiam ſe conuerteret, volens ſibi quærere ſeniorem, qui ſe de rebus temporalibus adiuuet, & cui ille ſecundùm miniſterium, quod ſibi iniunctum eſt, obſequium præbeat. Vnde veſtram fraternitatem compertam facimus, vt cuicumque placuerit eum ſuſcipere, abſque vlla ambiguitate hoc faciat: ſciens illum & boni eſſe teſtimonij, & à nobis ſibi ab Eccleſia, quæ nobis ad regendum conceſſa eſt, migrandi licentiam accepiſſe. Et vt hæ litteræ firmiorem obtineant dignitatem, meliúſque eis fides adhibeatur, manu noſtra eas ſubter firmauimus.

*Lind. XCV.*

## *XIII. Ingenuitas.*

DVM omnipotens Deus nos præcepit in hoc ſæculo ſanum corpus habere, oportet nobis pro ſalute animæ noſtræ frequentiùs cogitare debere,

bere, vt aliquantulum de peccatis noſtris minuere mereamur. Itaque ego ille in Dei nomine pro animæ noſtræ remedio, vel pro meis peccatis minuendis, vt in futurum Dominus veniam mihi præſtare dignetur, ſeruum iuris mei nomine illum, relaxaui ingenuum. Ea verò ratione, vt à die præſente ſis bene ingenuus, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſes procreatus, vel natus. Peculiare verò ſi quid habes, aut inanteà Chriſto propitio laborare potueris, ceſſum habeas. Et nulli heredum, ac proheredum meorum nullum impendas ſeruitium, niſi ſoli Deo, cui omnia ſubiecta ſunt. Teſtamentum etiam faciendi, defenſionem, vel mundeburdem Eccleſiarum, aut bonorum hominum, vbicumque eligere volueris licentiam habeas ad conquirendum. Si quis verò, quod nec fieri credimus, ſi ego ipſe, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet oppoſita perſona, quæ contra hanc ingenuitatem, quam ego pleniſſima voluntate mea, pro amore Domini noſtri Ieſu Chriſti, & pro meis peccatis fieri, & adfirmare rogaui, venire conauerit, inferat tibi, vnà cum ſocio fiſco auri vncias tantas, & præſens ingenuitas omni tempore firma permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

## *XIV. Venditio.*

DOMINO inluſtri illi, ille. Ratio & conſuetudo expoſcit, vt inter emptorem & venditorem ſcriptura confirmet. Ita vt nec diſtrahendi, ſeu

vlla repetitio, nec comparandi qualibet videatur eſſe formido. Idcirco nulli cogentis imperio, nec à iudiciaria poteſtate coactus, ſed mea propria & ſpontanea voluntate, & arbitrio, accepto vero pretio, conſtat me vendidiſſe, vel tradidiſſe, & ita vendidi, vel de præſente tradidi, hoc eſt res proprietatis meæ in pago illo, quæ dicuntur illæ. Id eſt tam manſis, domibus, ædificiis, totum & ad integrum re inexquiſita. Et accepi à te pretium pro hoc, quod mihi bene complacuit, hoc eſt tam in argento quàm in fabricato valente ſolidos tantos. Et ſuperſcriptas res per hanc venditionem publicè tibi à die præſente tradidi ad poſſidendum, vt quicquid exinde à die præſente facere volueris, liberam & firmiſſimam in omnibus habeas poteſtatem faciendi. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe, aut vllus de meis heredibus, vel quælibet vlla oppoſita perſona, quæ contra venditionem iſtam venire conauerit, & à me vel heredibus meis non fuerit defenſatum, tunc inferat tibi, vnà cum ſocio fiſco, duplum tantum, quantum à te accepi, & quantum ipſæ res immelioratæ valuerint; & præſens venditio omni tempore firma permaneat.

*Lind. CXLV.*

## *XV. Cautio.*

DOMINO fratri illi, ille. Ad petitionem meam mihi non denegaſti, niſi vt in ſumma neceſſitate mea argenti, vel ........ tuum valentem ſolidos tantos in manu mea ad præſtitum beneficium mihi

præſtitiſti. Et ego pro hoc talem cautionem in te fieri, & adfirmare rogaui, vt vſque ad annos tantos, in quaque hebdomada diebus tantis, opera tua, qualia mihi iniunxeris, & ratio præſtat, facere debeam. Quod ſi minimè fecero, aut negligens, aut tardus exinde apparuero, aut ante ipſum placitum me immutare præſumpſero: tunc ſpondeo me per huius vinculum cautionis, vbi & vbi me inuenire potueris, ſine vlla iudicis interpellatione pro dupli ſatisfactione me retineri debitorem. Sic quomodo ipſi anni tranſacti fuerint, debito tuo tibi reddito, cautionem meam per manus recipiam, ſtipulatione, &c.

## *XVI. Obnoxiatio.*

DOMINO fratri illi, ille. Omnibus non habetur incognitum, qualiter grauis neceſſitas & infirmitas peſſima me oppreſſerunt, & minimè habeo vnde viuere, vel veſtiri debeam. Propterea ad petitionem meam mihi non denegaſti, niſi vt in ſumma neceſſitate mea argentum vel .... acto tuum valens ſolidos tot, in manu mea mihi dediſti, & ego minimè habeo vnde ipſos ſolidos tuos tibi reddere debeam. Propterea obnoxiationem de capite ingenuitatis meæ in te fieri, & adfirmare rogaui: vt quicquid de mancipio tuo, originali veſtro, facitis, tam vendendi, commutandi & diſciplinam imponendi, ita & de me ab hodierna die liberam, & firmiſſimam in omnibus poteſtatem faciendi habeas. Si quis verò, quod nec fieri credo, ſi ego ipſe,

aut vllus de heredibus meis, vel quælibet oppoſita perſona, quæ contra obnoxiationem iſtam venire conauerit, inferat tibi, vnà cum ſocio fiſco auri vncias tantas, & præſens obnoxiatio firma permaneat, cum ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

Lind. CXL.

## XVII. *Commutatio de terris.*

INTER quos charitas inlibata permanſerit, pars pari ſuo opportuna & congrua beneficia non denegat. Ideo auxiliante Domino noſtro placuit, atque conuenit inter illum, & illum, de commutandis terris eorum, vt pro communi opportunitate inter ſe commutare deberent, quod ita & fecerunt. Dedit ille de parte ſua ad partem ipſius illius, terram proprietatis ſuæ, in pago illo, in loco qui dicitur ille, habet in longo ..... tantos, & in lato ..... tantos, ſubiungit de vno latere terræ lui, de vno fronte terræ illius, ex alio verò fronte terræ illius infra ipſam terminationem, & menſuram ad integrum. Econtrà ad vicem dedit ille de parte ſua ad partem ipſius lui terram proprietatis ſuæ, in pago illo, in loco qui dicitur ille, habet in longo ..... tantos, & in lato ...... tantos, ſubiungit de vno latere terræ lui, de alio latere terræ illius, infra ipſam terminationem, & menſuram ad integrum. Ita vt ab hodierna die vnuſquiſque contra parem ſuum quod accepit habeat, teneat, atque poſſideat, vel quicquid exinde à die præſente facere voluerit, liberam & firmiſſimam in omnibus habeat poteſtatem faciendi. Si quis verò, quod nec fieri credo, ſi

ego ipſe, aut aliquis de heredibus meis, vel quælibet vlla oppoſita perſona quæ contra hanc commutationem pars contra parem ſuum venire conauerit, inferat pars pari ſuo, iſta tota ſeruata, vnà cum ſocio fiſco auri vncias tantas : & præſentes commutationes duæ vno tenore conſcriptæ, omni tempore firmæ & inuiolatæ permaneant.

## *XVIII. Charta agnationis.*

*Lind. XXCVI.*

FOEMINÆ illi, ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter te per voluntatem tuam ſeruus iuris mei, nomine ille, ad coniugium ſociauit vxorem : vnde te vel procreationem tuam in ſeruitio inclinare potueram. Sed mihi præpatuit voluntas pleniſſima, vt talem epiſtolam donationis in te fieri & adfirmare rogarem : vt ſi aliqua procreatio filiorum, aut filiarum ex te nata, vel procreata fuerit, ſub integra ingenuitate, cum omni peculiari eorum valeant Chriſto propitio laborare, ceſſum habeat, & nulli heredum ac proheredum meorum nullum impendat ſeruitium, nec hominium, vel patronatus obſequium, niſi ſoli Deo cui omnia ſubiecta ſunt. Teſtamentum etiam faciendi, defenſionem verò vel mundeburdem, Eccleſiarum aut bonorum hominum vbicumque eligere voluerit, licentiam habeat ad conquirendum. Si quis verò, quod nec fieri credo, ſi ego ipſe, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet vlla oppoſita perſona, quæ contra hanc epiſtolam agnationis ve-



Digitized by Google

nire conauerit, inferat ei cui litem intulerit, iſta tota ſeruata, vnà cum ſocio fiſco, auri vncias tantas, & præſens agnatio omni tempore firma permaneat.

Lind. CLIII.

## *XIX. Traditoria de terra.*

VENIENS homo aliquis, nomine ille, in pago illo, in loco qui dicitur ille, ante bonos homines, qui ſubterfirmauerunt, terram illam, id eſt tam manſis, &c. totum & ad integrum, quam ante hos dies homo aliquis nomine ille, per venditionis titulum, accepto verò pretio viſus fuit vendidiſſe: ſed ante ipſos bonos homines, ad integrum, vt quicquid prædicta venditione ei vendidit, per manus, partibus ipſius lui, vel herbam, vel terram viſus fuit tradidiſſe, & per ſuam fiſtucam contra ipſum illum exinde exitum feciſſe, vt quicquid ipſe ille de ipſa terra à die præſente facere voluerit, liberam & firmiſſimam in omnibus habeat poteſtatem faciendi.

Lind. CLIV.

## *XX. Traditoria de Manſo vel terra.*

NOTITIA, qualiter & quibus præſentibus, veniens homo aliquis, nomine ille miſſus inluſtris viri illius, ſuper fluuium illum, in loco qui dicitur ille, ad illum manſum, vel terram, quam ille homo ante hos dies, ad caſam ſancti illius pagenſis, per chartam ceſſionis partibus ipſius illius, per illud oſtium de ipſa caſa, per herbam vel terram,

ipſum manſum, vel quicquid ad ipſum manſum aſpicit, ſicut in ipſa ceſſione eſt inſertum, ad partem ipſius Eccleſiæ viſus fuit tradidiſſe, vel conſignaſſe. His præſentibus.

## XXI. *Notitia de ſeruo.*

*Lind.* CLXI.

NOTITIA qualiter & quibus præſentibus, veniens homo aliquis nomine ille, in pago illo, in loco qui dicitur ille, vel in quocumque loco ante bonos homines, qui ſubterfirmauerunt, dato ſuo pretio ad hominem negotiantem, ſolidos tantos, ſeruum ſuum nomine illum viſus eſt comparaſſe. Et ipſe negotians ipſum ſeruum ſuperiùs nominatum, per manus partibus ipſius lui viſus eſt tradidiſſe, nec fraude, ſed in publico: vt quicquid exinde à die præſente facere voluerit, liberam & firmiſſimam in omnibus habeat poteſtatem faciendi.

## XXII. *Notitia de iactiuis.*

NOTITIA qualiter & quibus præſentibus, veniens homo aliquis, nomine ille, in pago illo, in loco qui dicitur ille, in mallo publico, ante virum illum Comitem, vel reliquos quamplures bonos homines qui ſubterfirmauerunt, repetebat ei, dum diceret, eo quòd hominem aliquem nomine illum, ante ipſum Comitem adrhamitum habuiſſet: ad placitum venit, ipſe ille placitum

ſuum cuſtodiebat, & nec ipſe ille ad id placitum venit, nec miſſum in vicem ſuam direxit, qui vllam ſoniam nuntiaret: & placitum ſuum neglexit, & iactiuus exinde remanſit. His præſentibus.

Lind. CXXII.

## XXIII. Securitas.

NON minima, ſed maxima vertitur diſcordia inter illos & illos. Venientes ante illum & illum, repetiuit ipſe ille aduerſus ipſum lui, eo quòd genitorem ſuum, aut germanum ſuum illum malo ordine interfeciſſet. Interrogatum fuit ab ipſis viris ipſi lui, ſi hæc cauſa acta vel perpetrata fuiſſet aut non, ſed ipſe in præſenti dicere deberet. Sed ipſe ille minimè hanc cauſam potuit denegare. Sic ab ipſis viris fuit iudicatum, vt illam leudem, vt lex erat, ſoluere deberet: quod ita in præſenti & fecit. Et ego hanc ſecuritatem in ipſo illo fieri & adfirmare rogaui, vt nullo vnquam tempore, de iam dicta morte, nec de ipſa leude, nec ego ipſe, nec vllus de heredibus meis, nec quiſlibet vllas calumnias, nec repetitiones agere, nec repetere non debeamus. Quod quando attentauerimus, nullum obtineat effectum, & inſuper inferamus tibi, vnà cum ſocio fiſco auri vncias tantas: & præſens ſecuritas omni tempore firma permaneat.

## XXIV. Charta denarialis ante Regem.

ILLE Rex Francorum vir inluſter. Et quia veniens ille ante nos vel procerum noſtrorum præſentiam,

ſentiam, &c. *iiſdem planè verbis cum Marculſi c. 22. lib. 1.*

## *XXV. Mandatum.* *Lind. CLXXXI.*

DOMINO magnifico fratri illi, ille. Omnibus non habetur incognitum, qualiter me ſenectus adgrauat, & infirmitas domat, & cauſas meas minimè valeo proſequere, vel admallare: Ideo precor & ſupplico charitati tuæ, vt in vicem meam omnes cauſas meas, tam in pago, quàm & in palatio, vel in quibuſcumque pagis vel territoriis, vbicumque mihi oportet, apud quemlibet hominem, tam ad admallandum, quàm ad reſponſum dandum proſequere facias. Et quicquid exinde egeris, geſſeriſve, apud me in omnibus, & ex omnibus ratum, & aptum, atque tranſactum, in omnibus definitum eſſe cognoſcas. Quia plus amo te quàm me, plus te quàm heredes meos. Et vt hoc mandatum poſt te firmiùs retineas, & taliter obtineat firmitatem, quaſi geſtibus fuiſſet obligatum, manu propria ſubter decreui adfirmare, & qui ſubſcriberent in præſenti rogaui.

## *XXVI. Ceſſio ad Eccleſiam.*

DOMINÆ, ſanctæ ac reuerentiſſimæ Eccleſiæ ſancti illius, quæ eſt conſtructa in pago illo, in loco qui dicitur ille, Ego in Dei nomine ille, pro meis peccatis minuendis, vt in futurum Domi-

nus veniam mihi præſtare dignetur, cedo ad lumen, vel ſacrificium ad ipſam caſam Dei, vel ipſam domum Dei, ceſſúmque in perpetuum eſſe volo, & de iure meo in ius, & dominationem ipſius Eccleſiæ tranſcribo, atque transfundo, hoc eſt res proprietatis meæ in pago illo, in loco qui dicitur ille, id eſt tam manſis, domibus, ædificiis totum & ad integrum re inexquiſita. Ita vt ab hodierna die, ipſa caſa Dei ad altare Domini proferendo, vel ad ipſam domum Dei condirigendo, ipſas res habere debeat. Et ſi mihi placuit inſerendum, vt nullus pontifex, aut quiſlibet rector, ſi de ipſa caſa Dei, de ipſo lumine vel ſacrificio ipſas res abſtrahere conauerit, aut in beneficium dare præſumpſerit, tunc ipſæ res ad me, vel heredes meos perueniant. Si quis verò, quod nec fieri credo, ſi ego ipſe, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet oppoſita perſona, quæ contra hanc ceſſionem iſtam, quam ego pleniſſima voluntate mea pro amore Domini noſtri Ieſu Chriſti, fieri & adfirmare rogaui, venire conauerit, inferat tibi, iſta tota ſeruata, vnà cum ſocio fiſco auri vncias tantas: & præſens ceſſio omni tempore firma permaneat.

## *XXVII. Precaria.*

DOMINÆ ſanctæ ac reuerentiſſimæ Eccleſiæ pagenſi, his nominibus, quæ eſt conſtructa in pago illo, in loco qui dicitur ille; ego in Dei nomine ille. Omnibus non habetur incognitum, qua-

liter res proprietatis meæ in pago illo, quibus vocabula ſunt illa & illa, in iam dictis locis, id eſt tam manſis, &c. omnia & ex omnibus per meam ceſſionem, ad lumen vel ſacrificium ad ipſam caſam Dei, à die præſente delegaui; poſtea ad petitionem meam mihi non denegaſti, niſi vt ipſas res quamdiu aduiuo, mihi ad vſandum vel condirigendum præſtare debeatis. Quod taliter feciſtis; ſic taliter vt tempore vitæ meæ ipſas res habere & vſare vel condirigere debeam. Et poſt meum quoque diſceſſum, cum omni re immeliorata, agentes ipſius Eccleſiæ, abſque expectata traditione in eorum reuocent dominationem, vel poteſtatem. Propterea talem precariam ad ipſam caſam Dei fieri, & adfirmare rogaui, vt ipſas res nec vendere, nec donare, nec commutare, nec vllis modis, vlliſque ingeniis de ipſa caſa Dei abſtrahere, nec minuere pontificium non habeam: nec mea poſſeſſio vllum præiudicium vobis, nec ad ipſam caſam Dei agere, nec generare non debeat, nec ego ipſe, nec vllus de heredibus meis, nec quælibet oppoſita perſona. Quod ſi attentauerimus, nullum obtineat effectum, & inſuper inferamus partibus ipſius Eccleſiæ, vel ſuis rectoribus, vnà cum ſocio fiſco auri vncias tantas, & vt aliæ precariæ, ac ſi per quinquennium fuerit renouata iſta, per ſe obtineat firmitatem.

## *XXVIII. Præſtaria.*

IN Chriſto filio illi, ille dono Dei rector & cuſtos Eccleſiæ illius, quæ eſt conſtructa in pago illo, in loco qui dicitur ille. Omnibus non habetur incognitum, qualiter tu res proprietatis tuæ, tam infra ciuitatem, quàm & foras in ipſo pago, in loco cuius vocabulum eſt ille, & ille, in iam dictis locis omnem rem tuam per tuam ceſſionem ad ipſam caſam vel domum Dei, à die præſente delegaſti. Poſteà ad petitionem tuam tibi non denegauimus, niſi vt ipſas res ad præſtitum beneficium tibi præſtare deberemus. Quod ita & fecimus: ſic taliter, vt tempore vitæ tuæ ipſas res per noſtrum beneficium habere, vel condirigere, ſiue vſare debeas: & annis ſingulis in feſtiuitate ſancti illius, cenſum ad lumen vel ſacrificium ſolidos tantos per temetipſum ſoluere facias: & nec nos ipſi, nec vllus de ſucceſſoribus noſtris, nec quiſlibet de parte noſtra, ipſas res tempore vitæ tuæ, tibi abſtrahere, nec minuere non debeamus. Et vt has litteras firmiùs poſt te retineas, manu propria ſubter decreuimus adfirmare.

Lind.CLX. 

## *XXIX. Notitia de homine forbatudo.*

NOTITIA qualiter vel quibus præſentibus, veniens homo aliquis, nomine ille, in pago illo, in loco qui dicitur ille, in mallo publico, an-

te ipſum Comitem illum, vel alios bonos homines qui ſubterfirmauerunt, poſita manu ſua ſuper ſacrum altarium ſancti illius ſic iuratus dixit: Hîc iuro per hunc locum ſanctum, & Deum altiſſimum, & virtutes ſancti illius, quòd homo aliquis nomine ille, ita factus, cum armis ſuis ſuper me venit, & colpus ſuper me miſit, & ſic mihi Dominus directum dedit, ego ipſum de armis meis percuſſi, & tales colpus ei dedi, pro quibus ipſe mortuus eſt, & quod feci ſuper me fecit, & ego hodie ipſum facio infra damnum & forbatudum infra noctes XLII. ſicut lex eſt & noſtra conſuetudo, apud tres aloarius, & XII. conlaudantes iurauerunt, & linguas eorum legibus direxerunt.

*Lind. CLXXVI.*

## *XXX. Indiculus regalis.*

ILLE Rex Francorum vir inluſter, * magnifico fratri illi Comiti. Cognoſcas quòd iſte præſens ille miſſa petitione ſuggeſſit, eo quòd homo aliquis nomine ille, res ſuas in veſtro miniſterio ad ſanctum illum delegaſſet, & dicit quòd ille, vel alij homines ipſas res contendunt malo ordine. Propterea omnino te rogamus, vt ſi veritas eſt, integram iuſtitiam, ſine vlla moratione ei facias exinde. Et ſi ante te minimè definitum fuerit, tunc ipſos homines, qui hoc contendunt malo ordine, per fideiuſſores poſitos, ſuper noctes tantas, poſtquam has litteras recipis, ante nos facias aduenire. Taliter ages, ſi gratiam noſtram velis habere.

* *Greg. Turonenſ. lib. 10. cap. 9.* Coniunctis ſacerdotibus & viris magnificis. *confer cum lib. 9. cap.* 20. cum Sacerdotibus atque proceribus. *idem lib. 6. cap.* 45. erant autem cum ea viri magnifici. Bobo Dux *&c.*

Lind. x.

## *XXXI. Item alius indiculus.*

ILLE Rex Francorum vir inluſter illi Comiti, ſeu iunioribus atque ſucceſſoribus veſtris, ſeu miſſis noſtris diſcurrentibus. Cognoſcatis qualiter in noſtra eleemoſyna tali iſti præſenti, dum & ipſe ſenex eſſe videtur, taliter ei conceſſimus, vt de omni hoſte vel omnibus bannis, ſeu & arribannis ſit conſeruatus, vt neque vos, neque iuniores atque ſucceſſores veſtri ipſum pro hoc inquietare, nec* diſmanare non præſumatis, nec facere* dimittatis. Sed liceat ei cum Dei & noſtra gratia, quieto ordine ad propria viuere, vel reſidere. Et vt certiùs credatis manu noſtra ſubterfirmauimus, & de anulo noſtro ſigillauimus.

* Lind. mannire
* Lind. permittatis.

Lind. CLXIII.

## *XXXII. Notitia de colonitio.*

NOTITIA qualiter vel quibus præſentibus, veniens homo aliquis nomine illo, in pago illo, in mallo publico ante virum inluſtrem Comitem, vel reliquos quamplures bonos homines qui ſubterfirmauerunt, hominem aliquem nomine illum interpellabat, repetebat ei eo quòd genitor ſuus, aut genitrix ſua illa coloni ſui fuiſſent, & ipſe ille ſuus colonus eſſe debebat, & malo ordine de ipſo colonatico ſe abſtrahebat; & negligens erat. Interrogatum fuit ab ipſis viris ipſi, ſi ipſe ille colonus ipſius lui eſſe debebat, aut non, & in præſenti ei dicere deberet. Et ipſe ille nullatenus potuit dicere nec

adponere, nec vllam rationem tradere, per quam ipſe de ipſo colonatico ſe abſtrahere potuiſſet: & in præſenti pro colono ipſius lui ſe recredidit, vel recognouit. Sic ab ipſis viris fuit iudicatum, vt ipſe ille ipſum illum pro colono habere debeat. Et ſi iam dictus Comes ipſum illum per manus, partibus lui viſus eſt reddidiſſe. His præſentibus.

## *XXXIII. Notitia ſacramentalis.*

*Lind.* CLXXIII.

NOTITIA qualiter & quibus præſentibus, veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in baſilica ſancti illius, vbi plurima ſacramenta percurrere videntur, ante virum magnificum illum, vel reliquos quamplures bonos homines, qui ſubterfirmauerunt, poſita manu ſua ſuper ſacroſanctum altare ſancti illius, ſic iuratus dixit: Hîc iuro per hunc locum ſanctum, & Deum altiſſimum, & virtutem ſancti illius, vnde me homo ille in mallo publico mallabat, quòd ego terram ſuam, aut ad coniugem ſuam illam, in pago illo, in loco qui dicitur ille, de eorum poteſtate per fortiam nunquam priſi, aut peruaſi, ſed de iſta parte triginta & vno anno ferè ampliùs ſemper exinde fui veſtitus, & poſt me diuiſi, & per legem, & iuſtitiam plus obtineat me habere, quàm ipſi lui, aut coniugi ſuæ reddere, & quod mihi iudicatum fuit in nullo me debere, niſi iſtud & vnicum ſacramentum, per hunc locum ſanctum, & Deum altiſſimum & virtutes ſancti illius. Inſequenter verò poſt ipſum tres

aloariæ & XII. conlaudantes iurauerunt, & de linguis eorum legibus dixerunt.

Lind. CLXXIV.

## XXXIV. *Notitia de herbis maleficis.*

NOTITIA qualiter & quibus præſentibus, veniens fœmina aliqua, nomine illa, in pago illo, in mallo publico, in baſilica ſancti illius, ante illos & illos, & alios quamplures bonos homines, qui ſubterfirmauerunt, poſita manu ſua ſuper ſacroſanctum altare ſancti illius, ſic iurata dixit: Hîc iuro per hunc locum ſanctum, & Deum altiſſimum, & virtutes ſancti illius, vnde me ille ante virum magnificum illum, vel alios bonos homines mallauit, quòd ego herbas maleficas temperaſſem, vel bibere ei dediſſem, per quod ipſe infirmaſſet, aut vitam ſuam perdere debuiſſet, ego herbas maleficas, nec potiones malas nunquam temperaui, nec bibere dedi, per quod ipſe infirmus, vel inſanus fuiſſet, aut vitam ſuam perdere debuiſſet, & aliud de iſta cauſa in nullo debeo, niſi iſtud vnicum & idoneum ſacramentum, per hunc locum ſanctum, & Deum altiſſimum & virtutes ſancti illius. Inſequenter verò poſt ipſam tantæ iurauerunt, & de linguis eorum legibus dixerunt.

## XXXV. *Ceſſio.*

DVLCISSIMO atque in omnibus amantiſſimo filio meo illi, ille. Ammonuit me amor & dulcitudo

dulcitudo tua, & ex alia parte mihi non ceſſas deſeruire, & in bonum impendis effectum. Propterea mihi præpatuit pleniſſima voluntas, vt aliquid de rebus propriis meis, extra conſortium germanorum tuorum, tibi concedere deberem. Quod ita & feci: propterea cedo tibi poſt meum quoque diſceſſum de hac luce, à die præſente, ceſſúmque in perpetuum eſſe volo, & de iure meo in ius & dominationem tuam tranſcribo atque transfundo: hoc eſt ſeruum iuris mei, nomine illum, vel aliam rem, terris, &c. Ita vt ab hodierno die habeas, teneas atque poſſideas, vel quicquid à die præſente facere volueris, liberam & firmiſſimam in omnibus habeas poteſtatem faciendi. Si ego ipſe, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet oppoſita perſona, quæ contra hanc ceſſionem venire conauerit, inferat tibi vnà cum ſocio fiſco auri vncias tantas: & præſens ceſſio omni tempore firma permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum.

## XXXVI. *Euacuatoria.* *Lind.* CXLIX

FRATRI illi, ille. Omnibus non habetur incognitum, quia ego ad petitionem tuam ſolidos tantos ad præſtitum beneficium in manu tua tibi præſtiti, & tu pro hoc talem epiſtolam cautionis in me adfirmaſti, vt vſque ad annos tantos, in quaque hebdomada diebus tantis opera mea facere deberes, quod ita & feciſti, ad placitum ipſum debitum mihi reddere deberes; quod ita & feciſti, &



Digitized by Google

ego ipſam cautionem minimè inuenire poſſum. Propterea talem epiſtolam euacuatoriam in te fieri & adfirmare rogaui, vt ſi ipſa cautio vllo vnquam tempore inuenta, aut reperta fuerit, nullum obtineat effectum, ſed euacuata & inanis permaneat. Et nec ego ipſe, nec vllus de heredibus meis, vel quiſlibet de parte mea ipſum debitum ſuperiùs nominatum, nec per ipſam cautionem, nec nullis modis vllo vnquam tempore tibi ex hoc nullas calumnias, nec repetitiones agere, nec repetere non debeamus. Quod ſi attentauerimus, iſta tota ſeruata, vnà cum ſocio fiſco, auri vncijs tantis ſimus multandi; & præſens euacuatoria omni tempore firma permaneat.

## *XXXVII. Libellus dotis.*

DVM omnipotens Dominus conceſſit iugale conſortium, vt vnuſquiſque nubat iuxta conſuetudinem anteriorum Chriſtianorum: & iterum legimus, quòd ipſe Dominus noſter cum diſcipulis ſuis ad nuptias inuitatus fuiſſet, & quos Deus coniunxit homo non ſeparet: Quod bonum felix, fauſtúmque ſit. Donat itaque ille honeſtæ puellæ ſponſæ ſuæ, nomine illo, quam ſi Chriſto placuerit, in coniugium ſociare vxorem cupio, donatúmque in perpetuum eſſe volo, & de iure meo in ius & dominationem ipſius puellæ tranſcribo atque transfundo, hoc eſt res proprietatis meæ in pago illo, in loco qui dicitur ille, tam manſis, domibus, ædificiis,

totum & ad integrum re inexquiſita, ſeu mancipia ſtantia, his nominibus ille & ille, ſeu caballos tantos, boues tantos, vaccas cum vitulis tantas, oues, capita tanta ...... tantas, lectarias condignas ad lectos, fabricaturia, aurum, argentum in ſolidos tantos, vtenſilia verò tam ærea quàm ferrea, ſeu & linea, quicquid domo rationabiliter continetur, omnia ſuperiùs nominata, cùm dies feliciſſimus nuptiarum aduenerit, dulciſſima ſponſa mea illa, à die præſente habeas, teneas atque poſſideas, vel quicquid exinde à die præſente facere volueris, liberam & firmiſſimam in omnibus habeas poteſtatem faciendi. Si quis verò, quod nec fieri credo, ſi ego ipſe aut vllus de heredibus meis, vel quælibet vlla oppoſita perſona, quæ contra hunc libellum dotis venire conauerit, inferat tibi, vnà cum ſocio fiſco, auri vncias tantas: & præſens libellus dotis firmus permaneat.

## XXXVIII. *Indiculus Regalis.* *Lind.* CLIX.

ILLE Rex Francorum vir inluſter. Cùm nos in Dei nomine, palatio noſtro, ad vniuerſorum cauſas audiendas, vel recta iudicia terminanda, vnà cum proceribus noſtris reſideremus, ibique veniens homo aliquis nomine ille, ſuggeſſit eo quòd apud noſtrum ſignaculum, hominem aliquem, nomine illum, mannitum habuiſſet, & ſuper noctes tantas ante nos debuiſſet venire in rationes, pro eo quod dixit, quòd res ſuas poſt ſe malo ordine tenebat

iniuſtè. Ad quod placitum veniens ipſe ille per triduum, ſeu ampliùs placitum ſuum cuſtodiuit; & nec ipſe ille ad id placitum venit, nec miſſum in vicem ſuam direxerit, qui vllam ſoniam nuntiaret. Proinde nos taliter vnà cum fidelibus noſtris, vel Comite palatij noſtri illo, viſi fuimus iudicaſſe, vt dum ipſe ille per triduum, ſeu amplius placitum ſuum legitimè cuſtodiuit, & nec ipſe ille ad illud placitum venit, nec miſſum in vice ſua direxit, qui vllam ſoniam nuntiaret, & placitum ſuum neglexit, & iectiuus exinde remanſit. Propterea iubemus, vt quicquid lex loci veſtri de tali cauſa debuerit, vobis diſtringentibus, ipſe ille partibus ipſius lui hominis componere atque emendare ſtudeat.

Lind. LXIX.

## XXXIX. *Æqualentia vel pactum.*

AVXILIANTE Domino noſtro Ieſu Chriſto, placuit atque conuenit inter illum & germanum ſuum illum de alode quæ fuit genitoris ſui, vt inter ſe æqualentia diuidere, vel exæquare deberent; quod ita & fecerunt. Accepit ille de parte ſua manſum in pago illo, in loco qui dicitur ille, cum omni deſuper poſito, ſeu vineis, oleis, campis, totum & ad integrum re inexquiſita. Econtra ad vicem accepit ille de parte ſua manſum in pago illo, in loco qui dicitur ille, manſum illum vbi accola commanet, id eſt tam manſis, vineis, oleis, totum & ad integrum re inexquiſita, etiam aurum, argentum, drapalia, æramen, peculium, præſidium vtriuſque ſe-

xus, mobile & immobile inter ſe æqualentia viſi fuerunt diuiſiſſe: & pars contra parem ſuum inuicem tradidit, & per eorum fiſtucam pars contra parem ſuum ſe exinde exutos fecerunt. Ita vt ab hodierna die vnuſquiſque quod accepit habeat, teneat, atque poſſideat, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam & firmiſſimam in omnibus habeat poteſtatem faciendi. Si quis verò, &c.

## *XL. Donatio ad caſam Dei.*

*Lind. XXI.*

DOMINO verè ſanctọ, ac reuerentiſſimo monaſterio illi, quod eſt conſtructum in honore ſanctæ Mariæ ſemper virginis, genitricis Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel cæterorum dominorum ſuorum, quorum reliquiæ ibi conditæ ſunt: & inluſtri Deo ſacratæ Abatiſſæ illi, vnà cum turba plurimarum ancillarum Dei, ad laudem Chriſto canendam, cui cuſtos præeſſe videtur, ego in Dei nomine fœmina aliqua, nomine illa, dono ad præfatum monaſterium à die præſente, donatúmque in perpetuum eſſe volo, & de iure meo in ius & dominationem ipſius monaſterij, vel ſuis rectoribus, trado atque transfundo ad poſſidendum, pro eo quòd in ipſo monaſterio ſub religione, & ſancta conuerſatione habitare debeam, hoc eſt res meas in pago illo in loco nuncupante ſic, & in pago illo, in grafia illa, ſuper fluuium illum, quantumcumque à die præſente in iam dictis locis viſa ſum tenere, vel poſſidere, quod manente coniugio apud iugalem



Digitized by Google

meum illum viſa ſum conquiſiſſe, vel in meam portionem recepi, vel quantumcumque de filij mei illius luctuoſa hereditate mihi obuenit, ſicut dixi, quantumcumque in his locis à die præſente meæ poſſeſſionis & dominationis eſt, totum & ad integrum ad ipſum monaſterium, à die præſente de iure meo in ius ipſius monaſterij, & ſuis rectoribus trado, atque transfundo ad poſſidendum, hoc eſt tam terris, manſis, vnà cum ſuperpoſitis, domibus, ædificiis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, cultis & incultis, adiacentiiſque, aquis, aquarumve decurſibus, vnà cum mancipiis tantis, his nominibus, ſicut dixi re inexquiſita portionem meam ad integrum publicè trado atque transfundo ad poſſidendum: Vt quicquid ab hac die Abates vel rectores ipſius monaſterij ad profectum ipſius exinde facere voluerint, liberam & firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem faciendi. Si quis verò, &c.

## *XLI. Precaria.*

DOMINI virtute, atque oſtenſione crucis patibuli miraculorum remuneratione fulgenti baſilicæ, quæ in honore ſanctæ Mariæ, & ſancti Petri, & ſancti Pauli principis Apoſtolorum, Gaico monaſterio conſtructo in pago Waſtinenſi, & inluſtri Abatiſſæ illi, quæ inibi cuſtos præeſſe videtur, vnà cum turba plurima ancillarum Dei ibidem conſiſtentium, ego illa fœmina. Dum non habetur incognitum, ſed pluribus eſt manifeſtum,

quòd ego res proprietatis meæ, in loco qui dicitur ille, per epiſtolam donationis ad ipſum monaſterium veſtrum delegaui. Propterea expetiui à vobis, & petitionem meam non denegaſti, vt ipſas res quamdiu aduiuo, ſub vſu beneficij veſtri tenere, & vſare debeam, & alicubi ipſas res alienandi pontificium non habeam, & poſt meum quoque diſceſſum, cum re immeliorata ad ipſum monaſterium, abſque vlla expectata traditione, vos vel rectores ipſius monaſterij in eorum faciant reuocare poteſtatem & dominationem: vt in poſtmodum mea poſſeſſio aliquod præiudicium ex hoc generare non debeat. Propterea hanc precariam vobis, vel ipſi monaſterio veſtro emittendam decreui, vt neque ego, neque vllus de heredibus meis, quamuis per longinqua ſpatia ipſas res ad vſandum habuerim, agere & repetere non debeamus. Quod ſi quis fecerit, inferat vobis, & partibus ipſius monaſterij ſuiſque rectoribus, auri libram vnam, argenti pondo duo: & præſens precaria firma permaneat, & vt aliæ precariæ de quinquennio in quinquennium renouantur, iſtam verò non ſit neceſſe renouandi, ſed pèr ſemetipſam, omnique tempore obtineat firmitatem, cum ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

## *XLII. Præſtaria.*

DVLCISSIMÆ fœminæ illi, ego illa Abatiſſa. Dum non eſt incognitum, qualiter tu ante hos dies rem proprietatis tuæ, in pago illo, in loco qui

dicitur ille, ad monaſterium ſanctæ Mariæ adfirmaſti, vnde precariam à nobis, vel ab ipſo monaſterio adpetiſti. Propterea has litteras in te adfirmauimus, vt dum aduiuis vſualiter ipſam rem tenere, & dominare debeas: & alicubi ipſam alienandi pontificium non habeas. Et ſi hoc conaueris facere, ipſam rem à die præſente perdas. Et vt has litteras firmiùs obtineas, manu noſtra ſubterfirmauimus, cum ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

Lind. XXIV.

## *XLIII. Traditoria de terra.*

NOTITIA qualiter & quibus præſentibus, veniens homo aliquis aduocatus ſancti illius de monaſterio illo, ad res illas, in pago illo, in loco cui vocabulum eſt ille, quas ante hos dies fœmina aliqua, nomine illa, per ſua inſtrumenta ad ipſum monaſterium viſa fuit delegare cum omni integritate, ſicut ex ipſa donatione conſtat, quæ portio ſua eſt ad integrum à die præſente: miſſus ipſius fœminæ ille ipſi miſſo monaſterij, nomine illi, per ipſum hoſtium de ipſa caſa per terram vel herbam, ſicut lex eſt, ad partem ſancti illius, viſus eſt tradidiſſe, & per ſuam fiſtucam ipſum miſſum, vel ipſam fœminam de ipſis rebus ſe exutos ex omnibus eſſe dixiſſe.

## *XLIV. Emunitas ſanctorum.*

ILLE Rex Francorum, vir inluſter. Quotieſcumque petitiones ſacerdotum, aut ancillarum Dei ad

ad effectum perducimus, regiam conſuetudinem exercemus, & nobis ad mercedem, vel ad ſtabilitatem regni noſtri in Dei nomine permanere confidimus. Ideóque dominis, viris ſanctis venerabilibus Apoſtolicis in Chriſto patribus, omnibus Epiſcopis, vel omnibus Abatibus, ſeu inluſtribus, atque magnificis viris, Ducibus, Comitibus, Vigariis, Centenariis, ſeu hominibus vaſſis noſtris, vel omnibus miſſis noſtris diſcurrentibus. Cognoſcatis quòd inluſtris Abatiſſa illa de monaſterio illo, in pago illo, in loco qui dicitur ille, in honore ſancti illius conſtructo, vnà cum monachis, vel Dei ancillis, quæ ad laudem Chriſto canendam ſub religionis norma conuerſari videntur, clementiæ regni noſtri ſuggeſtionem intulit, eo quòd glorioſus domnus & genitor noſter ille quondam Rex, per ſuam præceptionem ſua manu roboratam talem emunitatem, ad ipſam caſam Dei, ſeu monaſterium illud, vel ipſam Abatiſſam habuiſſet conceſſum atque indultum: Vt nullus Epiſcopus, aut Archidiaconus, eo loci niſi orationis, aut prædicationis lucrandæ gratia accedat: & vt nullus iudex publicus, vel quiſlibet iudiciaria poteſtate accinctus, in curtibus vel villis ipſius monaſterij, nullum debuiſſet habere introitum, nec ad cauſas audiendas, nec freda exigenda, nec ad fideiuſſores tollendos, nec manſiones, aut paratas requirendas, nec nullas retributiones exactandas, & quod fiſcus noſter exinde exhibere poterat, nullatenus ex hac re requiratur. Vnde & confirmationes anteriorum Regum parentúmque

noſtrorum nobis in præſenti protulit relegendas, & petiit celſitudinem noſtram, vt circa ipſum monaſterium, noſtra hoc deberet auctoritas generaliter confirmare. Cui nos hoc beneficium gratanti animo pro mercedis noſtræ augmento non ſolùm confirmaſſe, ſed etiam in nouo ſub emunitatis nomine conceſſiſſe. Denuo per hoc præceptum, ſpecialiùs decernimus ordinandum, atque omnino iubemus, quod in perpetuum abſque vllis obſtaculis, & refragationibus volumus eſſe manſurum, præcipientes, vt ſicut conſtat in ſupradictis titulis ſcriptum eſſe, vt illud monaſterium maneat abſque vllo introitu Epiſcopi, aut archidiaconi niſi orationem, aut prædicationem lucrando, & vt nullus iudex publicus in curtes, vel villas ipſius monaſterij nullum debeat habere introitum; nec ad cauſas audiendas, nec freda exigenda, nec fideiuſſores tollendos, nec manſiones vel paratas, nec vllas retributiones exactandas, & quod fiſcus noſter exinde exhibere poterat, nullatenus ex hac re requiratur, niſi vt diximus pro mercedis noſtræ augmento, ſicut ab anteceſſoribus Regibus parentibus noſtris, ſeu & domno & glorioſo genitore noſtro illo quondam Rege, moderno tempore fuit conceſſum atque indultum, ita per noſtra oracula pleniùs confirmamus, quod in perpetuum volumus eſſe manſurum. Et vt hæc præceptio firmior habeatur, & per tempora meliùs conſeruetur, manu noſtra ſignaculis ſubter decreuimus roborare, & de anulo noſtro ſubterſigillauimus.

Digitized by Google

## *XLV. Indiculus Regalis.*

Lind XI.

KAROLVS Dei gratia Rex Francorum, tam præſentibus quàm futuris, domnis ſanctis & Apoſtolicis, ac venerabilibus in Chriſto * fratribus: Ducibus, Comitibus, Domeſticis, Vicariis, Centenariis, vel omnibus agentibus noſtris, & iunioribus & ſucceſſoribus * noſtris, vel omnibus amicis noſtris, ſeu & * hominibus, & miſſis noſtris diſcurrentibus. Cognoſcat magnitudo, ſeu almitas veſtra, quòd nos iſti fideli noſtro, merito ſuo compellente conceſſimus, vbicumque infra regnum Deo propitio noſtrum, homines ſui ad negotium exigendum aduenerint, nullus quiſlibet de iudiciaria poteſtate veſtra, nec miſſus noſter nulla telonea, nec nullas venditas, nec rodaticum, nec foraticum, nec pontaticum, & ſicut dixi nullus quælibet telonea, nec venditas eius, in nullo exactare non præſumatis; ſed vt diximus, in quoſcumque portus ciuitatis, ſeu mercada nullo contradicente ſuus venditor, vel commercius quodlibet negotium poteſtatem habeat vendendi, quia nos taliter ei habemus conceſſum. In reliquo verò de parte noſtra, vel veſtra, ex noſtra indulgentia viſi fuimus conceſſiſſe, atque indulſiſſe, ſeu & in omnibus confirmaſſe. Et vt hæc præceptio noſtra firmior appareat, & per tempora conſeruetur, manu propria ſubtus eam decreuimus adfirmare.

* Lind. Patribus
* Lind. eorum
* Lind. omnibus

Lind. CVI.

## XLVI. Relatum quod dicitur apennis.

MOs nobilium Romanorum adſueuit, & ratio iuris depoſcit, vt ſi cuiuſcumque domus igne crementur, is per ſeriem ſcripturarum chartulam relationis quæ dicitur apennis recipiat. Quamobrem cùm quadam die inluſter ille Comes, ad multorum cauſas audiendum, vel recta iudicia terminandum, vnà cum pluribus perſonis reſiderent: Ibique veniens homo aliquis nomine ille ſuggeſſit & intulit, eo quòd ante hos dies, caſu faciente, caſa ſua, cum omni mobili, vel intra domum compendio, ſeu & inſtrumentis chartarum, ibidem igne cremata eſſent. Et quia ille iudex vel vicini pagenſes ipſius ad præſens ita dixerunt, & teſtimoniauerunt, quòd ad hoc videndum acceſſerant, ſic verò & actum aderat: Sic ſupradictus ille Comes vel reliqui Franci, chartulam relationis quæ dicitur ei dare decreuerunt, vt quicquid ex ceſſione parentum, aut ex contractu habebat, tam per venditiones, donationes, ceſſiones, iudicia, obnoxiationes, commutationes, ſeu quod per cæteras ſcripturas ad eum peruenit, deinceps permaneat in ſuo iure & dominatione abſque refragatione.

Lind. LXII.

## XLVII. Hereditoria.

DVLCISSIMÆ filiæ meæ illi, ille. Dum non eſt incognitum, ſed per populum deuulgatum, & patefactum, quòd ego in ancilla mea no-

mine illa te generaui, & poſtea ante domnum illum Regem, iactante denario, ſecundùm legem Salicam te ingenuam dimiſi, & tu minimè in hereditate mea ſociari poteras. Propterea ego hanc chartulam hereditoriam in te fieri, & adfirmare rogaui, vt ſi Dominus iuſſerit, quòd mihi in hoc ſæculo ſuperſtes appareas, de omnibus rebus meis, tam quod ex alode parentum, quàm ex meo contractu mihi obuenit, in hereditate ſuccedas, tam terris, manſis, domibus, ædificiis, mancipiis, * accolabus, merito accolanarum, vineis, olicis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, in quibuſcumque pagis, aut territoriis, ſeu agris vel omnibus locis, vbi habere videor: etiam peculium, præſidium vtriuſque generis & ſexus, aurum, argentum, drapalia, mobile & immobile, quicquid dici aut nominari poteſt quantumcumque moriens de meo dereliquero, in omnium rerum mearum hereditate apud germanos tuos, filios meos ſuccedas, & æqualentia inter vos exinde diuidere, vel exæquare faciatis: & quòd ad partem tuam exinde recipis, quicquid exinde facere volueris, liberam & firmiſſimam in omnibus habeas poteſtatem faciendi. Si quis verò, &c.

*Lind.* litis, libertis,

## *XLVIII. Redemptionale.*

*Lind.* XCIX.

DILECTISSIMO mihi, bene merito illi, ille. Omnibus non habetur incognitum, ſed patefactum, quòd tu quotidie in bonis partibus fideliter mihi deſeruire non ceſſas, & pro reſpectu vel

V iij

ſeruitio tuo, & pro fidelitate tua, quam circa partes meas impendere non deſiſtis, mihi præpatuit pleniſſima & integra voluntas, propter nomen Domini, vt de ſeruitio tuo temetipſum, vel omne peculiare tuum redimere deberes. Quod ita & feciſti: & dediſti mihi pro hoc pretium, quod mihi bene complacuit, tam in argento, quàm in amicto valente ſolidos tantos. Propterea hanc chartulam redemptionalem in te fieri, & adfirmare rogaui, vt taliter ſis ingenuus, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſes procreatus vel natus, cum omni peculiari tuo, & nec mihi, nec vlli heredum meorum nullum impendas ſeruitium, nec hominium, nec libertaticum, nec vllum obſequium, nec patronaticum: ſed eas, pergas partem quam volueris, liberámque & firmiſſimam in omnibus habeas poteſtatem: & neque ſeruitij, nec libertatici, aut vllius obſequij nomine, nec ego ipſe, nec vllus de heredibus meis, nec quælibet oppoſita perſona, tibi exinde nullas calumnias, nec fatigationes, nec repetitiones agere, nec generare, nec repetere non debeamus. Quod qui tentauerit, & à me vel heredibus meis defenſatum non fuerit, inferamus tibi vnà cum ſocio fiſco auri vncias tantas: & præſens redemptionale omni tempore firmum permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

## *XLIX. Hereditoria.*

DVLCISSIMÆ atque in omnibus amantiſſimæ filiæ meæ illi, ego vir magnificus ille.

Omnibus non habetur incognitum, quòd ſicut lex Salica continet, de rebus meis, de eo quod mihi ex alode parentum meorum obuenit, apud germanos tuos, filios meos minimè in hereditate ſuccedere poteras. Propterea mihi præpatuit pleniſſima & integra voluntas, vt hanc epiſtolam hereditoriam in te fieri, & adfirmare rogarem, vt ſi mihi in hoc ſæculo ſuperſtes apparueris, in omnes res meas, tam quod ex alode parentum meorum, quàm ex meo contractu mihi obuenit, in pago illo, in loco qui dicitur ille, & in quibuſcumque pagis, aut territoriis, vbicumque habere videor, tam manſis, domibus, ædificiis, vineis, oleis, ſyluis, campis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, quicquid dici aut nominari poteſt, quantumcumque de meo proprio moriens dereliquero, in omnium rerum mearum hereditate apud germanos tuos, filios meos ſuccedas, & æqualentia inter vos exinde diuidere, vel exæquare faciatis. Et quod ad partem tuam exinde recipis, quicquid exinde facere volueris, liberam & firmiſſimam in omnibus habeas poteſtatem faciendi. Si quis verò, &c.

## L. *Cautio de vinea.* *Lind. CXLVII.*

DOMINO fratri illi, ille. Ad petitionem meam mihi non denegaſti, niſi vt in ſumma neceſſitate mea argentum, vel amictum valentem ſolidos tantos in manu mea ad præſtitum beneficium mihi præſtitiſti: Propterea oppignero tibi vineam

proprietatis meæ in pago illo, in loco qui dicitur ille, quæ continet aripennos tantos, ſubiungit de ambobus lateribus, & ambobus frontibus terræ lui, infra ipſam terminationem, & menſuram ad integrum; & vſque ad annos tantos fructum, quem ibidem Deus dederit, ad partem tuam habere debeas, & ipſam vineam condirigere facias: & quomodo cum ipſis fructibus tantos annos tranſactos habueris, & debitum tuum tibi reddidero, cautionem meam per manus recipiam, ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

Lind. CXXIII.

## *LI. Securitas.*

NON minima, ſed maxima vertitur diſcordia inter illum, & illum. Venientes in loco illo, ante bonos homines, repetebat ipſe ille in cauſa ſua, vel coniugis ſuæ illius, aduerſus ipſum lui, dum diceret, eo quòd ipſe genua ſua impinxerit, & ſuper filiam eorum, nomine illam ceſſiſſet, & ipſam ibidem occidit, ſed ipſe ille hanc cauſam minimè potuit denegare. Exinde taliter ab ipſis bonis hominibus fuit iudicatum, vt illam leudem, vt lex erat, ipſi lui ſoluere deberet: quod ita in præſenti fecit, & ſeruum ſuum nomine illum, vel aliam raupam ipſe ille pro illa leude, ipſi lui, vel coniugi ſuæ illi, in quod eis bene complacuit, dedit. Proptereà iam dictus ille, & coniux ſua illa hanc ſecuritatem in ipſo illo fieri, & adfirmare rogauerunt, vt nullo vnquam tempore de iam dicta cauſa, nec illa de morte, nec de

de ipſa leude, nullas calumnias, nec repetitiones, nec fatigationes, nec nos, nec vllus de heredibus noſtris, nec qualibet oppoſita perſona agere, nec generare, nec repetere non debeamus. Quod qui attentauerit, & à nobis vel heredibus noſtris defenſatum non fuerit, inferamus tibi vnà cum ſocio fiſco auri vncias tantas, argenti pondo tan. & præſens ſecuritas omni tempore firma permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum illo.

## *LII. Donatio ad filios.* Lind. LX.

LEx & conſuetudo expoſcit, vt quæcumque perſona naturales filios habuerit, & alios plures non habuerit, ſi eos in ſua voluerit inſtituere hereditate, qualiter voluerit, & ſuo penitùs arbitrio faciendi hoc quod voluerit, liberam habeat poteſtatem. Ideóque ego ille, dum non eſt incognitum, vt fœminam aliquam bene ingenuam ad coniugium ſociaui vxorem, ſed talis cauſa, vel tempora me oppreſſerunt, vt chartulam libelli dotis ad eam, ſicut lex declarat, minimè conceſſit facere, vnde ipſi filij mei ſecundùm legem naturales appellantur, & filios in ea generaui, quibus baptiſmo nomen impoſuimus illos & illas. Propterea volo, vt prædicti filij mei omne corpus facultatis meæ, in pago illo, in locis denominatis illis, in legitimam ſucceſſionem debeatis adire & adprehendere, hoc eſt tam manſis, &c. vnà cum ſuperpoſitis domibus, ædificiis, vtriuſque generis & ſexus peculiis,

mancipiis ibidem commanentibus, tam ibidem, quàm & aliunde tranſlatis, ſicut dixi, quod noſtra eſt poſſeſſio, & quod ſucceſſione parentum nobis obuenit, tam de alode, quàm de comparato vel de quolibet adtractu ad nos noſcitur perueniſſe, & à die præſente noſtra eſt poſſeſſio, vel dominatio, cum omni iure & merito, omni re inexquiſita quam quidem moriens dereliquero, in veſtram debeatis reuocare poteſtatem, & dominationem, & faciatis exinde iure proprietario quod volueritis: nullúſque vos de omni hereditate mea repudiare non debeat, nec facere poſſit, ſtipulatione ſubnixa.

Lind. LXIII.

## *LIII. Mandatum.*

DVLCISSIMO amico meo illi, ego ille. Rogo atque iniungo charitati tuæ, vt eas ad vicem meam ad ciuitatem illam, ad illum defenſorem, & illum profeſſorem, vel curiam publicam ipſius ciuitatis, & hanc epiſtolam, quam ego in filios meos illos, vt totius hereditatis meæ legitimæ ſucceſſioni adhæreant, & legitimi filij mei ſint, ſicut in ipſius epiſtolæ textu continetur, conſcribere, ea geſtis municipalibus, vt mos & lex eſt, alligare, atque firmare facias; ad proſecutionem celebratam, quod te rogo mihi reſcribere pigrè non graueris.

Lind. LXIV.

## *LIV. Geſta.*

IN nomine Domini. Anno illo domini noſtri illius Regis, menſe illo, geſta habita apud lauda-

bilem virum illum defenſorem , & illum profeſſorem, vel curiam publicam illius ciuitatis , ille ait. Quæſo vos, optime defenſor, vt mihi codices publicos patere iubeatis , quia habeo quædam proſequi , & quæ geſtorum alligatione cupio roborari. Memorati defenſor & ordo curiæ dixerunt : Patent tibi codices publici, proſequere quæ optas. Ille dixit, Amicus meus ille mihi iniunxit per ſuum mandatum ſolenniter roboratum , ad laudabilitatem veſtram accedere debere , & hanc epiſtolam , quam ipſe, ſicut lex declarat, in prædictos filios ſuos, pro eo quod in bene ingenua fœmina illa ipſos generauit , & tamen chartulam libelli dotis ei ſecundùm legem non adfirmauit , propterea iam dicti filij ſecundùm legem naturales appellantur, ita antedicto patri eorum complacuit, vt ipſos ſecundùm legem Romanam, in ipſa ciuitate, ante curiam publicam, debeat in legitima totius hereditatis ſuæ inſtituere hereditate , ita & fecit , dum inprolis fuerit, nec legitimos infantes habuerit, ipſe in legitimam hereditatem, vt legitimos filios, eos in omnes cauſas recepit; vt prædicta epiſtola iuxta morem & conſuetudinem geſtis municipalibus alligari, atque firmari debeat: ſuprà ſcriptus defenſor, vnà cum ſuis curialibus inſtituerunt, & ſignaculis ſubterfirmauerunt. Et hæc geſta quomodo fuerunt conſcripta , manu eorum roborata, ei viſi ſunt tradidiſſe, ſtipulatione ſubnixa. Actum.

## *LV. Epiſtola.*

MAGNIFICO amico meo illi, ego ille. Cognoſcas iuxta iniunctionem tuam, vt per tuum mandatum rogaſti, me ad illam ciuitatem, ad illum defenſorem vel curiam publicam ipſius ciuitatis acceſſiſſe, & hanc chartulam, qua infantes tuos quòd naturales eſſent, in legitimam hereditatem ſecundùm legem inſtituiſti, ſicut in ipſa continetur, geſtis municipalibus, iuxta morem & conſuetudinem alligaſſe atque firmaſſe cognoſcas, & perſecutione celebrata, quod me rogaſti, reſcribere vel proſequi pigrum non fuit.

*Lind. XCVIII.*

## *LVI. Geſta manumiſſionis.*

QVOD ſecundùm legem Romanam actum eſt nullatenus reuocetur. Itaque ſub die illo, anno illo regni domini noſtri illius Regis, indictione illa, ille vir venerabilis ille diaconus teſtatur eis qui tabulis ſubſcriptis manumittere in Eccleſia illa, vindictaque liberare famulum illum ſuum bene ſibi meritum cupiunt, ſecundùm conſtitutionem bonæ memoriæ Conſtantini faciant, legíſque qua dicitur, vt omnes qui ſub oculis Epiſcoporum, preſbyterorum, ſeu diaconorum in Eccleſia manumittuntur, ad ciuitatem pertinere Romanam, & ab Eccleſia defenſantur.* *Deſunt hîc quædam videlicet quæ ad geſta manumiſſionis pertinent*, ea tamen conditione, vt eat vbique, quam voluerit partem pergat, tanquam ſi ab

ingenuis parentibus fuiſſet natus, vel procreatus, & nulli heredum ac proheredum eorum minimè quicquam debeat ſeruitutis, nec libertinitatis gratia, nec patronatus obſequij, ſed ſicut dixi, ſub integra & legitima ingenuitate debeat permanere ingenuus atque ſecurus, & ſemper ad ciuitatem pertineat Romanam: teſtamentum etiam faciendi liberam in omnibus habeat poteſtatem.

## *LVII. Traditoria.*

NOTITIA traditionalis, qualiter & quibus præſentibus venit homo aliquis nomine ille, ad illum manſum, quem ante hos dies per chartulam venditionis ad filium ſuum adfirmauit, per herbam & terram viſus fuit tradidiſſe, vel conſignaſſe, & exitum inde feciſſe. His præſentibus.

## *LVIII. Obnoxiatio.* *Lind. CXXXVII*

DOMINO meo ſemper, ego enim ille. Dum non eſt incognitum, qualiter inſtigante parte aduerſa, mihi contigit, quod ego caballum ad hominem aliquem nomine illum * ſubduxi, vnde & pro furto victus apparui, & vitæ periculum exinde incurrere potueram, & ego non habeo vnde ipſum facinus, vel furtum emendare, vel ſatisfacere debeam, propterea expetij vos, & habuit pietas & dignatio veſtra, &c. *plura in MS. non erant.*

* *Lind.* in texaga



Digitized by Google

# SVPERIORVM FORMVLARVM CAPITVLA.

I. *NOTITIA de colono euindicato.*
II. *Charta ſacramentalis.*
III. *Notitia de ſeruo.*
IV. *Iudicium euindicatum de colono.*
V. *Notitia de colona euindicata.*
VI. *Notitia de ſeruo quem colonus comparat.*
VII. *Notitia de terra euindicata.*
VIII. *Ingenuitas.*
IX. *Mandatum.*
X. *Tracturia pro itinere peragendo.*
XI. *Ceſſio ad Eccleſiam a nouo adifi-catam.*
XII. *Littera commendatitia ſeu Formata.*
XIII. *Ingenuitas.*
XIV. *Venditio.*
XV. *Cautio.*
XVI. *Obnoxiatio.*
XVII. *Commutatio de terris.*
XVIII. *Charta agnationis.*
XIX. *Traditoria de terra.*
XX. *Traditoria de manſo, vel vinea.*
XXI. *Notitia de ſeruo.*
XXII. *Notitia de lactiuis.*
XXIII. *Securitas.*
XXIV. *Charta denarialis.*
XXV. *Mandatum.*
XXVI. *Ceſſio ad Eccleſiam.*
XXVII. *Precaria.*
XXVIII. *Preſtaria.*
XXIX. *Notitia de homine forbatudo.*
XXX. *Indiculus Regalis.*
XXXI. *Item alius indiculus.*
XXXII. *Notitia de colonitio.*
XXXIII. *Notitia ſacramentalis.*
XXXIV. *Notitia de herbis maleficis.*
XXXV. *Ceſſio.*
XXXVI. *Euacuatoria.*
XXXVII. *Libellus dotis.*
XXXVIII. *Indiculus Regalis.*
XXXIX. *Æqualentia vel pactum.*
XL. *Donatio ad caſam Dei.*
XLI. *Precaria.*
XLII. *Preſtaria.*
XLIII. *Traditoria de terra.*
XLIV. *Emunitas ſanctorum.*
XLV. *Indiculus Regalis.*
XLVI. *Relatum quod.*
XLVII. *Hereditoria.*
XLVIII. *Redemptionale.*
XLIX. *Hereditoria.*
L. *Cautio de vinea.*
LI. *Securitas.*
LII. *Donatio ad filios.*
LIII. *Mandatum.*
LIV. *Geſta.*
LV. *Epiſtola.*
LVI. *Geſta manumiſſionis.*
LVII. *Traditoria.*
LVIII. *Obnoxiatio.*

Digitized by Google

# FORMVLÆ
## VETERES
### SECVNDVM LEGEM ROMANAM.

Digitized by Google

# INCIPIVNT CAPITVLA.

I. *Donatio Eccleſiæ.*
II. *Mandatum.*
III. *Geſta.*
IV. *Ceßio.*
V. *Venditio.*
VI. *Obligatio.*
VII. *Precaria.*
VIII. *Item venditio.*
IX. *Venditio de ſeruo.*
X. *Venditio de ſemetipſo, qualiter homo liber venundetur.*
XI. *Epiſtola collectionis.*
XII. *Ingenuitas.*
XIII. *Cautio.*
XIV. *Donatio in ſponſa facta.*
XV. *Traditio.*
XVI. *Charta in puellam facta ab eo qui ipſam inuitam traxerit.*
XVII. *Donatio inter virum & vxorem.*
XVIII. *Item alio modo.*
XIX. *Libellus repudij.*
XX. *Mandatum qualiter maritus negotium vxoris proſequatur.*
XXI. *Charta qualiter pater filium, vel nepotem de rebus ſuis meliorare poteſt.*
XXII. *Epiſtola qualiter nepotes in loco filiorum inſtituuntur ab auo.*



Digitized by Google

XXIII. *Epiſtola qualiter extraneus homo in loco filij adoptetur.*
XXIV. *Epiſtola qualiter pupilli recipiantur.*
XXV. *Pactum inter parentes.*
XXVI. *Commutatio.*
XXVII. *Confirmatio legis.*
XXVIII. *Item Apennis.*
XXIX. *Editio legibus comprehenſa.*
XXX. *Relatio cum iudicio.*
XXXI. *Breue ſacramenti.*
XXXII. *Si quando maſculus & fœmina pariter raptum conſenſerint, infra quinquennium litigetur.*
XXXIII. *Iudicium euindicatum.*
XXXIV. *Epiſtola Abatis.*
XXXV. *Donatio ad Eccleſiam poſt obitum.*
XXXVI. *Ceſsio à die præſente.*
XXXVII. *Venditio ad Eccleſiam.*
XXXVIII. *Epiſtola Abatis.*
XXXIX. *Securitas de homicidio.*
XL. *Iudicium, iuxta quod cauſa continet.*
XLI. *Breue ſacramenti, ſecundùm ipſum iudicium.*
XLII. *Notitia de alode euindicato.*
XLIII. *Venditio de caſa vel area infra ciuitatem.*
XLIV. *Qui ſe in alterius poteſtate commendat.*
XLV. *Euacuatoria.*
XLVI. *De cauſis commendatis.*

Expliciunt capitula.

Digitized by Google

# FORMVLÆ VETERES

## SECVNDVM LEGEM ROMANAM.

### I. *Donatio Eccleſiæ.*

MVNDI terminum adpropinquantem ruinis crebreſcentibus, iam certa ſigna manifeſtant. Idcirco ego in Dei nomine ille, conſiderans grauitudinem peccatorum meorum, & reminiſcens bonitatem Dei dicentem, Date eleemoſynam & omnia munda fient vobis.

### *Item alio modo.*

SI aliquid de rebus noſtris, locis ſanctorum, vel in ſubſtantia pauperum conferimus, hoc nobis procul dubio in æterna beatitudine retribui confi-



Digitized by Google

Lind. XIV. dimus. * Ego quidem de tanta miſericordia, & pietate Domini confiſus, per hanc epiſtolam donationis, dono donatúmque in perpetuum eſſe volo ad Baſilicam S. Martini, vbi ipſe pretioſo corpore requieſcit, vel omni congregationi ibidem conſiſtenti, cui venerabilis vir ille Abas præeſſe videtur, villam iuris mei nuncupantem illam, ſitam illo, in condita illa, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmve decurſibus, mobilibus & immobilibus cum omnibus appenditiis, ſuiſque adiacentiis, ſicut à me præſenti tempore videtur eſſe poſſeſſum, totum & ad integrum de iure meo, in veſtrum vel S. Martini, iure proprietario trado, atque transfundo. Ea verò ratione, vt quamdiu aduixero, ſub vſu beneficij veſtri, abſque vllo præiudicio, vel diminutione aliqua prædictas res tenere & vſurpare debeam: & poſt meum quoque diſceſſum, quicquid in iam dicta villa, vel in finibus ſuis additum, adtractum, emelioratum, repertúmque fuerit, & tranſitus meus ibidem dereliquerit, cum omni ſuprapoſito, rectores ipſius Eccleſiæ, agentéſque illius, abſque vllius expectata traditione, vel iudicum conſignatione, in noſtra eleemoſyna, vel ſubſtantia monachorum ibidem vitam degentium, Chriſto protegente, tanquam ſi ad præſens, abſque vſu noſtro eorum fuiſſet obſecuta poſſeſſio, in eorum faciant reuocare poteſtatem vel dominationem. Ita vt quicquid exinde pro opportunitate monaſterij facere decreuerint, liberam & firmiſſimam

in omnibus habeant poteſtatem. Et ſi fuerit vlla quælibet perſona, quæ præter iſtum alterum inſtrumentum exinde præſentauerit, aut anterius, aut poſterius, quod nos nec fecimus, nec facere rogauimus, nullum ſortiatur effectum, niſi vacuum & inane permaneat. Auctorem verò criminis, vel falſarium iudiciaria poteſtas condemnet. Et ſi fuerit, aut ego ipſe, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet perſona, quæ contra hanc donationem aliquid refragare, vel calumniam generare præſumpſerit, illud quod repetit non vindicet, & inſuper contra cui litem intulerit ſol. quingentos componat, & hæc donatio cum ſtipulatione ſubnixa inlibata permaneat.

## *II. Mandatum.*

Lind. CLXXIX.

MAGNIFICO fratri illi, ego ille, filius illius, rogo, ſupplico, atque tuæ charitati iniungo, vt ad vicem meam ciuitatem illam adeas, & donationem illam, quam ego partibus illius de locis noſtris, nuncupantibus illis, ſitis in pago illo, per mea legitima inſtrumenta, geſtis municipalibus cum curia publica, & defenſore facias alligare, vel proſequere, & de ipſa proſecutione me reddas certiorem. Et quicquid exinde egeris, geſſeriſve, ratum à me in omnibus eſſe cognoſcas. Quod mandatum, vt pleniorem obtineat vigorem, manu propria ſubter firmaui, & bonorum virorum manibus roborandum decreui.

## III. Geſta.

CVM conuentus, Turonus ciuitate adfuiſſet, adſtante venerabili viro illo defenſore, vnà cum honoratis principalibus ſuis, venerabilis vir ille dixit, Rogo te venerabilis vir ille defenſor, vt mihi codices publicos patere iubeatis, quia inluſter vir ille per hoc mandatum ad me ſperauit, vt donationem illam, quam de rebus ſuis proprietariis, de locis nuncupantibus illis, ſitis in pago illo, partibus illius per ſua legitima inſtrumenta confirmauit, geſtis municipalibus cum curia publica, & defenſore proſequi, & alligare deberem. Ecce ipſam donationem iubete iam recitari. Venerabilis ille defenſor, & ordo curiæ dixerunt: Codices publici te patefaciant; & ille amanuenſis hanc donationem accipiat, vel recitetur. Qui ſtatim accipiens, per ordinem eam recitauit. Iam dictus proſecutor dixit: Et quia petitiones meas laudabilitas veſtra, per ordinem implere dignata eſt, rogo vt publica monumenta ſuſcipiat. Et patefactis codicibus, geſta cum à vobis fuerint ſubſcripta, mihi nobilitas veſtra, vt mos eſt, tradi præcipiat. Venerabilis vir ille defenſor, & ordo curiæ dixerunt: Geſta cùm à nobis fuerint ſubſcripta, & à venerabili viro illo amanuenſe edita, tibi tradantur ex more, vt faciliùs quod ſuperiùs inſertum eſt diuturno tempore maneat inconuulſum.

Digitized by Google

## *IV. Ceſſio.*

Lind. CLI.

LATORES legum ſanxerunt, vt quicquid vnuſquiſque alteri ceſſerit, profiteatur ſe tantùm rem ceſſiſſe, vel concedere, & ſola voluntas illius, aut ſcriptura, aut teſtibus comprobata pro omni firmitate ſufficiat. Igitur ego in Dei nomine ille, fideli noſtro illi: cedo tibi, à die præſente ceſſúmque in perpetuo eſſe volo, hoc eſt villam iuris noſtri nuncupantem illam, ſitam in pago illo, in condita illa, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, mobilibus & immobilibus cum omnibus appenditiis, ſuiſque adiacentiis, cum omni ſupraposito, vel quicquid in iam dicto loco à die præſente tenere & poſſidere videor. Ita vt quicquid exinde facere volueris, iure proprietario, liberam & firmiſſimam in omnibus habeas poteſtatem, quia malo hoc te habere quàm me, plus me quàm cæteros heredes meos. Et ſi fuerit, aut ego ipſe, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet perſona, quæ contra hanc ceſſionem aliquid refragare, vel calumniam generare præſumpſerit, illud quod repetit non vindicet, & inſuper contra cui litem intulerit ſol. tantos componat. Et hæc ceſſio meis, vel bonorum hominum manibus roborata, cum ſtipulatione ſubnixa, diuturno tempore maneat inconuulſa.

Digitized by Google

## *V. Venditio.*

MAGNIFICO fratri illi, ego ille. Conſtat me tibi vendidiſſe, & ita vendidi, rem proprietatis meæ, ſitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, mobilibus & immobilibus, totum & ad integrum cum omnibus appenditiis ſuis, vel omni ſuprapoſito, ſicut à me præſenti tempore videtur eſſe poſſeſſum, de iure meo in tua trado poteſtate, vel dominatione: vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit, illis præſentibus qui ſubtus tenentur inſerti, valens ſolidos tantos. Ita vt ab hodierna die quicquid exinde facere volueris, liberam habeas poteſtatem. Et ſi fuerit, aut ego ipſe, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet perſona, quæ contra hanc venditionem aliquam calumniam, vel repetitionem generare præſumpſerit, illud quod repetit non vindicet, & inſuper contra cui litem intulerit ſolidos tantos componat, & hæc venditio firma permaneat.

## *VI. Obligatio.*

DOMINO venerabili illi, Ego in Dei nomine ille. Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter veſtro accepto pretio, rem proprietatis

tatis meæ ſitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni integritate, vel quicquid à me præſenti tempore inibi fuit poſſeſſum, vobis per venditionis titulum diſtraxi. Sed poſtea mea fuit petitio, & veſtra decreuit voluntas, vt mihi ipſam rem vſufructuario ordine conſeruare iuberetis: quod ita & feciſtis. Et ego pro huius merito beneficij, obligo vobis rem proprietatis meæ, ſitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni integritate, vel quicquid ibidem præſenti tempore à me videtur eſſe poſſeſſum. Ea verò ratione, vt quandiu in caput aduixero, vtriſque partibus ſub veſtro prætextu tenere & vſurpare debeam, & mihi exinde non liceat aliubi nec vendere, nec donare, nec in nullo modo diſtrahere, nec ipſos vſus in alterius manus transferre. Sed poſt meum quoque diſceſſum, abſque vllius expectata traditione, vel iudicum conſignatione, abſque diminutione rerum, vel mancipiorum, cum omni ſuprapoſito, vel quicquid ad ipſa loca aſpicere, vel pertinere videtur, vos heredéſque veſtri, vel cui à vobis permiſſum fuerit, in eorum faciant reuocare poteſtatem vel dominationem: Et ſi fuerit aut ego ipſe, aut vllus de heredibus meis, vel qualibet perſona, quæ contra has obligationes aliquam calumniam, vel repetitionem, aut contemptum generare præſumpſerit, illud quod repetit non vindicet, & inſuper contra cui litem intulerit ſolidos cc. componat. Et hæ obligationes vno tenore conſcriptæ firmæ permaneant.

## VII. Precaria.

DOMINO venerabili illi rectori Eccleſiæ illius, vel omni congregationi ibidem conſiſtenti. Ego enim ille, ad meam petitionem veſtra decreuit voluntas, vt mihi villam veſtram, ſitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni merito ad ſe pertinente vel aſpiciente, vſufructuario ordine mihi conſeruare iuberetis: quod ita & feciſtis. Ea verò ratione vt mihi exinde non liceat aliubi, nec vendere, nec donare, nec in nullo modo diſtrahere; ſed ſub veſtro prætextu, quatenus veſtrum decretum manſerit hoc tenere & vſurpare faciam. Vnde cenſui me annis ſingulis ad feſtiuitatem ipſius ſancti, partibus veſtris reddere argentum tantum. Et poſt meum quoque diſceſſum ſupraſcriptam rem, cum omni integritate & ſoliditate ſua, quicquid ibidem aſpicere vel pertinere videtur, cum omni ſuprapoſito vel quicquid ibidem tranſitus meus dereliquerit, abſque vllius expectata traditione, vel iudicum conſignatione, aut heredum meorum repetitione, vos agentéſque ipſius Eccleſiæ in eorum faciant reuocare poteſtatem, vel dominationem. Et ſi fuerit aut ego ipſe, aut vllus de heredibus meis, vel qualibet perſona, quæ contra hanc precariam aliquam calumniam vel repetitionem, aut contemptum generare præſumpſerit, illud quod repetit non vindicet, & inſuper contra cui litem intulerit, ſolidos c.

componat. Et hæc precaria, quamuis per diuerſorum annorum curricula à me fuiſſet poſſeſſa, nullum præiudicium vobis præparetur, ſed ita firma permaneat, quaſi per quinquennium fuerit renouata, cum ſtipulatione ſubnixa, omnique tempore inuiolata permaneat.

## *VIII. Item venditio.*

MAGNIFICO fratri ego ille. Conſtat me tibi vendidiſſe, & ita vendidi infra terminum ſancti illius, in loco nuncupante illo, campum, vel vineam, iuris mei, habentem aripennos tantos. Eſt quidem de vno latere & fronte terra illius, de alio latere & fronte terra illius: vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit valens ſol. tantos, ita vt ab hodierna die quicquid de ſupradicta re facere volueris liberam habeas poteſtatem, ſaluo iure ipſius ſancti. Et ſi fuerit, aut ego ipſe, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet perſona, quæ contra hanc venditionem aliquam calumniam, vel repetitionem generare præſumpſerit, contra cui litem intulerit ſol. XV. componat, & hæc venditio firma permaneat.

## *IX. Venditio de ſeruo.*

MAGNIFICO fratri illi, ego ille. Conſtat me tibi vendidiſſe, & ita vendidi ſeruum iuris mei nomine illum, non furem, non fugitiuum,

ſed ſano corpore boniſque moribus conſtructum. Vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit valens ſol. tantos. Ita vt ab hodierna die, quicquid de ſupradicto ſeruo facere volueris, liberam habeas poteſtatem. Et ſi fuerit, aut ego ipſe, aut vllus de heredibus meis, vel quælibet perſona quæ contra hanc venditionem aliquam calumniam vel repetitionem generare præſumpſerit, contra cui litem intulerit ſol. LX. componat, & hæc venditio firma permaneat.

Lind. CLIV. *X. Venditio de ſemetipſo, qualiter homo liber venundetur.*

DOMINO ſemper meo illi, ego ille. Placuit mihi vt ſtatum ingenuitatis meæ in veſtrum deberem obnoxiare ſeruitium: quod ita & feci. Vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit ſol. tantos, ita vt ab hodierna die, quicquid de me ſeruo tuo, ſicut & de reliquis mancipiis tuis facere volueris, à die præſente liberam habeas poteſtatem. Et quod fieri non credo, ſi fuerit vlla quælibet perſona, quæ contra hanc venditionem, quam ego mea ſpontanea voluntate fieri rogaui, aut qui contra eam aliquid agere, vel calumniam generare conauerit, illud quod repetit non vindicet, & contra cui litem intulerit, auri libram vnam, argenti pondo quinque coactus exſoluat, & hæc venditio firma permaneat.

## XI. *Epiſtola collectionis.*

Lind. CXXXVIII.

NOs quoque in Dei nomine matricularij ſancti illius, dum matutinis horis ad oſtia ipſius Eccleſiæ obſeruanda conueniſſemus, ibique infantulum ſanguinolentum, periculo mortis imminentem, pannis inuolutum inuenimus, & ipſum per triduum, ſeu ampliùs apud plures homines inquiſiuimus, quis ſuum eſſe diceret, & non inuenimus: cui nomen ipſum impoſuimus. Sed poſtea pietate interueniente, & Domini miſericordia opitulante ipſum infantulum homini aliquo, nomine illo ad nutriendum dedimus, vt ſi Deo præſule conualuerit, ipſum in ſuis ſeruitiis ac ſolatiis ſecundùm legis ordinem retineat. Pro quo pretium accepimus, in quod nobis bene complacuit, valens ſol. tantos. Et vt præſens epiſtola firmior ſit, manibus propriis eam ſubterfirmauimus, & bonis hominibus roborandam decreuimus, ſecundùm ſententiam illam, quæ data eſt ex corpore Theodoſiani libri quinti, * dicentem: *Si quis infantem à ſanguine emerit, ſi nutritum dominus, vel pater eum recipere voluerit, aut eiuſdem meriti mancipium, aut pretium nutritor quantum valuerit conſequatur.*

Tit 8. Anianus ad l. vnic. Cod. Th. de his qui ſanguinol.

## XII. *Ingenuitas.*

Lind. XCI.

QVi debitum ſibi nexum relaxat ſeruitium, in futuro apud Dominum ſibi retribui con-

fidat. Igitur ego in Dei nomine ille pro remedio animæ meæ, vel æterna retributione, ſeruum iuris mei nomine illum ingenuum eſſe præcipio, & in ſacroſancta Eccleſia beatiſſimi ſancti illius, ſub præſentia ſacerdotum ibidem conſiſtentium, ante cornu altaris ab omni vinculo ſeruitutis eum abſoluo, ita vt deinceps, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſet natus, vel procreatus, eat, pergat partem quam maluerit, & ſicut alij ciues Romani vitam ducat ingenuam. Et ſi aliqua procreatio filiorum vel filiarum ex ipſo orta fuerit, ſimiliter viuat ingenua, & nulli heredum meorum, nec cuicumque alij perſonæ quicquam debeat ſeruitutis, nec libertinitatis obſequium, niſi ſoli Deo cui omnia ſubiecta ſunt, vel pro cuius amore ipſum deuotus obtuli: patrocinium & defenſionem cuicumque ſe elegerit, in omnibus illius perfruatur arbitrio. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, ſi fuerit aliquis ex heredibus meis, vel qualibet perſona, quæ contra hanc ingenuitatem venire, aut eam refragare præſumpſerit, illud quod repetit non vindicet, & inſuper contra cui litem intulerit ſol. LX. componat: & præſens ingenuitas meis, vel bonorum hominum manibus roborata cum ſtipulatione ſubnixa, omníque tempore maneat inconuulſa.

Lind. CXLVI.

## *XIII. Cautio.*

MAGNIFICO fratri illi, ego ille. Ad meam petitionem veſtra decreuit voluntas, vt mihi

beneficium de rebus veſtris illis inter annos tantos facere deberetis: quod ita & feciſtis. Et ego pro huius merito beneficij oppignero vobis locellum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, ſitum in pago illo, cum omni ſua integritate vel ſoliditate. Ea verò ratione vt quomodo iam dicti anni adimpleti fuerint, & fructus ipſius terræ per quinque annos tantùm exinde collegeris, ego ſupradictum debitum tum tibi deſoluam, & res meas, vnà cum cautione mea manibus tuis recipiam. Et ſi negligens aut tardus exinde apparuero, ſupraſcriptum debitum tuum in duplum, partibus tuis ſim redditurus.

## *XIV. Donatio in ſponſa facta.*

LEx & conſuetudo expoſcit, vt quicquid inter ſponſum, & ſponſam de futuris nuptiis fuerit definitum, vel largitum, aut ex conſenſu parentum, aut ipſorum, ſi ſui iuris ſunt, ſcripturarum ſolennitate firmetur. Idcirco ego in Dei nomine ille, dum multis habetur percognitum, quod ego te illam, vnà cum conſenſu parentum, vel amicorum noſtrorum tua ſpontanea voluntate ſponſaui, mihi placuit, vt aliquid de rebus meis per hunc titulum libelli dotis ante dies nuptiarum tibi confirmare deberem, quod ita & feci. Ergo dono tibi donatumque eſſe volo, locellum, rem proprietatis meæ nuncupantem illum, ſitum in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmve de-

curſibus, mobilibus & immobilibus, cum omni ſuprapoſito ſuiſque adiacentiis, tam de alode quàm de comparato, ſeu de quolibet adtractu, totum & ad integrum, ſicut à me præſenti tempore videtur eſſe poſſeſſum, & in fabricaturis aurum tantum, argentum tantum, veſtimenta. Hæc omnia ſuperiùs iam dicta, per hunc titulum libelli dotis diebus nuptiarum, tibi ſum impleturus vel traditurus, ita vt dum aduixeris ſecundùm legis ordinem teneas, atque poſſideas, noſtriſque qui ex nobis procreati fuerint filiis, vel filiabus derelinquas. Si quis verò, ſi ego ipſe aut vlla quælibet perſona fuerit, quæ contra hanc donationem aliquid agere, vel calumniam generare præſumpſerit, illud quod repetit non vindicet, & inſuper contra cui litem intulerit ſol. c. componat: Et hæc donatio meis, vel bonorum hominum manibus roborata, cum ſtipulatione ſubnixa firma permaneat.

Lind. XXCVI.

## *XV. Traditio ad ſponſam.*

DVM multis habetur percognitum, qualiter ego ille puellam aliquam, nomine illam, vnà cum conſenſu parentum, vel amicorum noſtrorum legibus ſponſaui, & aliquid de rebus meis ei donare ante dies nuptiarum diſpoſui, ideo placuit mihi, vt de ipſis rebus, miſſo ipſius puellæ, nomine illo, traditionem vel introductionem locorum ſecundùm legem Romanam, facere deberem, quod ita & feci. Ergo trado ei & tradidiſſe me conſtat, locellum

lum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, ſitum in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, *vel cætera quæ ſequuntur*, aurum, argentum, veſtimenta. Hæc omnia ſuperiùs iam dicta ad vicem ſponſæ meæ tibi trado, ita vt tempore nuptiarum ad iam dictæ ſponſæ deueniat poteſtatem; ita vt ſecundùm legis ordinem teneat, atque poſſideat. Et ſi contra hanc traditionem aliquid refragauero, partibus ipſius puellæ ſol. tantos componam. Et hæc traditio firma permaneat.

## *XVI. Charta in puellam facta ab eo qui illam inuitam traxerit.* *Lind. XXCIII.*

VIVENTIBVS patribus inter filios familias ſine voluntate eorum matrimonia non legitimè copulantur, ſed contracta non ſoluuntur. Idcirco ego in Dei nomine ille, dulciſſima coniux mea illa, dum & te ſine voluntate parentum tuorum rapto ſcelere in meo ſociaui coniugio, vnde vitæ periculum incurrere debui, ſed interuenientibus ſacerdotibus, vel bonis hominibus vitam obtinui. Ideo placuit mihi vt per hanc epiſtolam compoſitionalem, aut ſi conuenit ceſſionem, aliquid de rebus meis tibi confirmare deberem, quod ita & feci. Hoc eſt locellum nuncupantem illum, ſitum in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, mobilibus & immobilibus, cum omni ſuprapoſito ſuiſque adiacentiis, vel omni in-

*Anianus ad Paul. ſent. lib. 2. tit. 24.*

tegritate, quicquid inibi præſenti tempore mea videtur eſſe poſſeſſio, de iure meo in tua trado poteſtate, vel dominatione. Ita vt quicquid exinde à die præſente facere volueris, liberam ac firmiſſimam in omnibus habeas poteſtatem. Et ſi fuerit, aut ego ipſe, aut vlla quælibet perſona, quæ contra hanc epiſtolam refragationem aliquam, aut calumniam generare præſumpſerit, illud quod repetit non vindicet, & inſuper contra cui litem intulerit ſol. tantos componat, & hæc epiſtola firma permaneat.

## *XVII. Donatio inter virum & vxorem quæ geſtis ſit alligata.*

QVICQVID enim inter coniugatos de propria facultate, ob amorem dilectionis inuicem condonare placuerit, ſcripturarum neceſſe eſt titulis alligari, ne in poſterum ab heredibus eorum poſſit conuelli, quia ſecundùm legem, ſi manente coniugio vir vxori, vel vxor marito aliquid donauerit, ſi is cui donatum eſt prior mortuus fuerit, apud donatorem ea quæ donata fuerant remanebunt. Igitur ego in Dei nomine ille, dulciſſima coniux mea illa, ſi priùs mortuus fuero quàm tu, dono tibi per hanc epiſtolam donationis, donatúmque in perpetuum eſſe volo, tres partes de omni re facultatis meæ, quantumcumque in pago illo, in villis nuncupantibus illis habere viſus ſum. Hoc eſt tam terris, ædificiis, accolabus,

mancipiis, libertis, vineis, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, mobilibus & immobilibus, aurum tantum, argentum tantum, æramentum in ſol. tantos; Hæc omnia cum omnibus appenditiis, ſuiſque adiacentiis, vel cum omni ſuprapoſito, tibi dono atque transfundo: quartam verò legitimis heredibus meis reſeruo, quia malo hoc habere te quàm me, plus te quàm cæteros heredes meos. Similiter ego in Dei nomine illa dulciſſimo iugali meo illi, ſi prior mortua fuero, quàm tu, dono tibi per hanc epiſtolam donationis, *ſequitur ſupradictus textus.* Si quis verò, quod fieri non credimus, ſi fuerit vllus de heredibus noſtris, vel quælibet perſona, quæ contra has epiſtolas vno tenore conſcriptas, quas inter nos fieri rogauimus, aliquid agere, vel refragare conauerit, illud quod repetit non vindicet: & inſuper contra cui litem intulerit ſol. tantos coactus exſoluat. Et hæ epiſtolæ contulitionis, cum ſtipulatione Aquiliana, noſtris vel bonorum hominum manibus roboratæ, firmæ permaneant.

## *XVIII. Item alio modo.*

IGITVR ego in Dei nomine ille, dulciſſimæ coniugi meæ illi, dono tibi per hanc epiſtolam contulitionis, donatúmque eſſe volo locellum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, ſitum in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis,

aquarumve decurſibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus appenditiis ſuis, vel omni ſuprapoſito, quicquid inibi præſenti tempore mea videtur eſſe poſſeſſio. Ea verò ratione, vt ſi tu mihi ſuperſtes fueris, vſufructuario ordine, hæc omnia abſque repetitione heredum meorum tenere & poſſidere debeas. Et poſt tuum quoque diſceſſum, cum omni re meliorata, vel ſuprapoſito, ad legitimos filios noſtros, qui ex nobis procreati fuerint reuertantur. Similiter ego in Dei nomine illa dulciſſimo iugali meo. *Loquitur ſupradictum textum.* Et illud inter nos inſerere placuit, vt ſi fuerit vllus de heredibus noſtris, vel quælibet perſona quæ contra has duas contulitiones, vno tenore conſcriptas, aliquid agere, vel refragare præſumpſerit, illud quod repetit non vindicet, & inſuper contra cui litem intulerit, ſol. tantos componat: & hæ contulitiones noſtris, vel bonorum hominum manibus roboratæ, cum ſtipulatione ſubnixa firmæ permaneant.

*Lind.* XXCIV.

## *XIX. Libellus repudij.*

*Anianus ad l. 1. Cod. Th. de repud.*

CERTIS rebus & probatis cauſis, inter maritum & vxorem repudiandi locus patet. Idcirco quia inter illum & coniugem ſuam illam non caritas ſecundùm Deum, ſed diſcordia regnat, & illorum nulla eſt voluntas pariter conuerſandi, placuit vtriſque voluntatibus, vt ſe à conſortio coniugali ſeparare deberent: quod ita & fecerunt. Propterea has epiſtolas, vno tenore conſcriptas, in-

ter ſe fieri & adfirmare decreuerunt: Vt quicquid vnuſquiſque ex ipſis de ſemetipſo facere voluerit, abſque repetitione ſocij ſui, liberam habeat poteſtatem, & nullam requiſitionem neque ipſius in caput, neque vlla quælibet perſona, exinde habere pertimeſcat. Quod qui contra parem ſuum, vel contra alium quemcumque hominem, vllam repetitionem exinde facere conauerit, partibus illius contra cui litem intulerit ſol. tantos componat, & ſua repetitio nullum obtineat effectum; ſed vnus quis ex ipſis, per hunc libellum repudij eorum manibus roboratum, omnique tempore, quieti valeant reſidere.

## *XX. Mandatum qualiter maritus negotium vxoris proſequatur.* Lind. CLXXX.

DVM & humana prodit vtilitas, & lex Romana expoſcit, vt quicumque vxoris ſuæ negotium fuerit proſecutus, quamuis maritus ſit, nihil aliud agat, niſi quod ei agendum per mandatum illa commiſerit. Igitur ego in Dei nomine illa, filia illius, tibi dulciſſimo iugali meo illi. Dum me ſimplicitas dominatur, quod minimè res vel cauſas meas valeo exercere, te in omnibus rebus vel cauſis meis, inſtituo dominum, procuratorem & auctorem: ita vt quicquid exinde egeris, geſſeriſve ratum, vel definitum à me in omnibus eſſe cognoſcas, quia malo hoc habere te, quàm me, plus te quàm cæteros heredes meos. Et adhuc mihi inſerere

placuit, vt hoc mandatum ad ciuitatem illam, cum curia publica, vt mos eſt, geſtis municipalibus facias alligari. Et noſtra voluntas æuis temporibus firmiùs perduret, manu propria ſubterfirmaui, & bonorum virorum roborandum decreui.

## *XXI. Charta qualiter pater filium, vel nepotem de rebus ſuis meliorare poteſt.*

QVICQVID pater vnumquemque ex filiis vel nepotibus habere voluerit, hoc ſibi ſecundùm legis ordinem, ſine conſortis repetitione defendat: nec præſumat aliquis contra voluntatem patris agere. Igitur ego in Dei nomine ille, dulciſſimo filio vel nepoti meo illi. Cedo tibi, ceſſúmque in perpetuum eſſe volo, & de meo iure in tuam trado dominationem, abſque conſortio fratrum tuorum, vel filiorum meorum villam in loco nuncupante illo, cum terris, domibus, accolabus, mancipiis, libertinis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmve decurſibus, mobilibus & immobilibus, cum omni ſuprapoſito, ſuiſque adiacentiis, vel quicquid inibi præſenti tempore mea videtur eſſe poſſeſſio, totum & ad integrum, à die præſente tibi volo eſſe conceſſum atque indultum; ita vt quicquid exinde facere volueris, liberam & firmiſſimam in omnibus habeas poteſtatem. Si quis verò, &c.

*XXII. Epiſtola qualiter nepotes in loco filiorum inſtituuntur ab auo.* *Lind. LIV.*

QVICQVID filiis, vel nepotibus de facultate patris cognoſcitur ordinaſſe voluntatem eius, in omnibus lex Romana conſtringit adimplere. Ideóque ego in Dei nomine ille, dulciſſimis nepotibus meis illis. Dum peccatis meis facientibus, filia mea genitrix veſtra tempus naturæ ſuæ compleuit, & ego penſans conſanguinitatis cauſam, dum & per legem cum filiis meis, auunculis veſtris, in alode meo ad integrum minimè ſuccedere poteratis, ideo per hanc epiſtolam firmitatis volo, vt in omni alode meo, poſt meum diſceſſum, ſi mihi ſuperſtites fueritis, quicquid moriens dereliquero, ſicut ſupradicta genitrix veſtra, ſi mihi ſuperſtes fuiſſet, ita & vos cum auunculis veſtris ſuccedere faciatis. Ea verò ratione, vt quicquid tempore nuptiarum ei tradidi, vel dedi, hoc in partem veſtram recipiatis, & ſi amplius inſuper de rebus noſtris obuenerit, tunc cum filiis meis matris veſtræ portionem recipiatis: ita vt quicquid exinde facere volueritis liberam habeatis poteſtatem. Si quis verò fuerit, *& reliqua.*

*XXIII. Epiſtola qualiter extraneus homo in locum filij adoptetur.* *Lind. LIX.*

EGO enim in Dei nomine ille. Dum peccatis meis facientibus orbatus ſum à filiis, mihi pla-

cuit, vt illum vnà cum conſenſu patris ſui, in ciuitate illa, cum curia publica, de poteſtate patris naturalis diſcedentem & in meam poteſtatem venientem in loco filiorum adoptarem : quod ita & feci. Ea verò ratione, vt quandiu aduixero fideliter mihi præſtet ſolatium, vel adiutorium, & omnes res meas diligenter excolat; & poſt obitum quoque meum, ſicut à me genitus fuiſſet, ita in omni hereditate mea per hanc epiſtolam adoptionis ſit ſucceſſurus; vel quicquid de ſupradictis rebus meis, quantumcumque moriens dereliquero, facere voluerit, iure proprietario, abſque repetitione heredum meorum, liberam & firmiſſimam in omnibus habeat poteſtatem. Et illud mihi inſerere placuit, vt ſi fuerit vllus ex heredibus meis, vel quælibet perſona, quæ contra hanc epiſtolam adoptionis, aliquid contra te, aut contra eum, cui tu ipſas res dereliqueris, calumniator, aut repetitor acceſſerit, illud quod repetit non vindicet, & inſuper contra cui litem intulerit ſol. tantos componat; & hæc adoptio geſtis alligata, firma permaneat.

*Lind. LXXIV.*

## *XXIV. Epiſtola qualiter tutores publicè recipiantur.*

*Anianus ad l. vnic. C. Th. qui petant tut.*

LEx Romana conſtringit, vt qui tutores noluerint eſſe paruulorum, ſi fortè ceſſerit luctuoſa hereditas, ab ipſa habeantur extranei. Propterea ego in Dei nomine ille, Iudex prouinciæ illius; Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter

liter parentes iſtius præſentis orfanuli, nomine illo, ab hac luce diſceſſerunt, & teſtamentarium tutorem ei non dimiſerunt, & minimè ſuas procurare poteſt neceſſitates; ideo vnà cum conſenſu primatum ciuitatis, conuenit nobis, vt iſtius patruo, vnà cum omnibus bonis ſuis, facto conſcripto rerum inuentarum, ei ſub officium tutoris commendare deberemus: quod ita & fecimus. Ea verò ratione, vt per nullam occaſionem ſupradicti pupilli hereditas, quicquid in pago illo, in villis nuncupantibus illis videtur habere, non minuatur: ſed ipſas res, vel mancipia, atque omnem ſuam ſubſtantiam diligenter excolat, & ipſum pupillum exinde nutrire, vel miniſtrare faciat. Et ſi Deo propitio in perfectam venerit ætatem, omnia ei ſecundùm legis ordinem cum integritate ſeruata reddantur. Vnde conuenit nobis, vt duas epiſtolas vno tenore conſcriptas, exinde conſcribere, vel adfirmare deberemus: quod ita & fecimus. Vnam quidem iam dictus patruus ſuus ſecum retineat, alteram verò aliquis homo, nomine ille, de manu noſtra, vel iam dicti pupilli, ſuſcipiat, vt futuris temporibus, Deo auxiliante, ſub teſtificatione bonorum virorum, qui ſubter tenentur inſerti, per ipſam cum omni integritate omnia ſua exigere debeat.

## *XXV. Pactum inter parentes.*

*Lind. LXVIII.*

CHARITATIS ſtudium & dilectionis affectus inter propinquos decet, vt quicquid de rebus

eorum inter ſe diuiſerint, ſcripturarum ſerie alligetur, ſecundùm Romanam legem ordinantem, vt quicumque in ætate perfecta pactionem, vel definitionem per ſcripturam fecerit, & hoc quod fecit implere neglexerit, aut contra eam ire præſumpſerit, infamis vocetur, & ipſam cauſam agere non permittatur, atque pœnam ſtatutam cogatur exſoluere. Igitur placuit atque conuenit inter illum, & germanum ſuum illum, vt hereditatem paternam atque maternam inter ſe diuidere, vel exæquare deberent, quod ita & fecerunt. Accepit itaque ille in portione ſua villas nuncupantes illas, ſitas in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, *vel cætera quæ ſequuntur.* Similiter contrà, accepit ille, in compenſationem portionis ſuæ, villas nuncupantes illas, ſitas in pago illo, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, *vel cætera quæ ſequuntur.* Hæc quidem omnia vnanimiter conſentientes, pars parti tradidiſſe, vel conſignaſſe cognoſcite, ita vt quicquid poſt hunc diem vnuſquiſque de hoc quod accepit facere voluerit, abſque noſtris repetitionibus liberam & firmiſſimam in omnibus habeat poteſtatem. Et ſi aliquando aliquis ex nobis, aut heredibus noſtris contra has epiſtolas aliquid agere, vel refragare præſumpſerit, eius repetitio nullum obtineat effectum, & inſuper contra cui litem intulerit ſol. tantos componat, & præſens pactio vel definitio, cum ſtipulatione ſubnixa firma permaneat.

*Anianus ad l. 6. C. Th. de pactis.*

## *XXVI. Commutatio.*

INTER quos charitas inlibata permanſerit, à parte parti beneficia opportuna præſtantur. Ideóque placuit atque conuenit, inter inluſtrem virum illum, & illum, vt loca aliqua inter ſe commutare deberent, quod ita & fecerunt. Dedit igitur vir inluſter ille, partibus illius, locellum nuncupantem illum, ſitum in pago illo, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertinis, vineis, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus appenditiis ſuiſque adiacentiis, vel omni ſuprapoſito, totum & ad integrum, de iure meo, ſicut præſenti tempore à me videtur eſſe poſſeſſum, in tuam trado poteſtatem, vel dominationem. Similiter in compenſationem huius meriti, dedit iam dictus ille, partibus illius, alium locellum nuncupantem illum, ſitum in pago illo, *vel cætera quæ ſequuntur*: ita vt ab hac die, vnus quis de hoc quod accepit facere voluerit, iure proprietario, liberam & firmiſſimam in omnibus habeat poteſtatem. Et illud inter nos inſerere placuit, vt ſi vllus ex nobis, heredibus ſucceſſoribúſque noſtris fuerit, qui hoc immutare, vel refragare tentauerit, rem quam accepit amittat, & inſuper contra cui litem intulerit ſol. tantos componat, & ſua repetitio nullum obtineat effectum. Et hæ commutationes vno tenore conſcriptæ omnique tempore maneant inconuulſæ.

## *XXVII. Confirmatio Regis, vel inſpecta iſta, cuiuſcumque principis, in eo qui ab hoſtibus eſt deprædatus, vel ab igne concrematus.*

MERITO largitate Regis, & munere ſubleuantur, qui ab hoſtibus vel incendio paſſi ſunt damna, vel violentiam. Igitur fidelis noſter ille, clementiæ regni noſtri ſuggeſſit, eo quòd ante hos annos exercitus noſter, aut illius Regis, vel per negligentiam alicuius hominis in loco nuncupante illo, domus ſuæ, vel res quamplures vnà cum inſtrumentis chartarum, tam quod Regio munere perceperat, quàm & de diuerſis partibus per venditiones, donationes, ceſſiones, commutationes, adtraxerat, vel quicquid in pago illo, vel locis nuncupantibus illis poſſederat, incendio fuiſſet crematum: vnde relationem ſub teſtificatione bonorum hominum cognouimus recenſendam, omnes res ſuas, vel inſtrumenta chartarum, perîſſe, vel ſibi ſicut nobis ſuggeſſit, damna ſuſtinuiſſe. Præcipientes ergo iubemus, vt quicquid memoratus ille, ſicut vſque nunc tam de terris, domibus, accolabus, mancipiis, libertinis, vineis, pratis, ſyluis, aquis, aquarumve decurſibus, vel reliquis quibuſcumque beneficiis, vſque ad præſens cum æquitatis ordine quietus poſſedit, & ita deinceps in iure & dominatione eius permaneat. Et per hoc præceptum, pleniùs in Dei nomine circa eum ſuffultum, atque confirmatum, abſque vllius inquietudine, teneat &

poſſideat, ſuiſque poſteris, aut cuicumque voluerit ad poſſidendum derelinquat. Quam verò auctoritatem propria manu ſubter roborare decreuimus.

## XXVIII. *Item apennis.*

*Lind. CVII.*

CONSVETVDINE huius loci, vel etiam legis terrenæ iuſtitiæ, conſtat eſſe proſpectum, vt quicumque ab incendiis, vel hoſtibus, ſeu à latronibus fuerit perpeſſus diſpendium, oportet hoc caſu in foro publico vel ciuitate, cum curia publica & defenſore, vel reliquis ciuibus publicare. Idcirco non habetur percognitum, qualiter homo nomine ille, per timorem illius qui Turonus ciuitatem anno præſente hoſtiliter venit, & multa mala ibidem perpetrauit, inſtrumenta ſua de locis denominatis illis, vel de diuerſis facultatibus ſuis, ſubtus terram in villa illa miſit, & ibidem computruerunt & perierunt. Propterea ei neceſſe fuit, vt vnà cum notitia pagenſium, qui hoc cognitum bene habebant, Turonus ciuitate apennem exinde deberent adfirmare; vt quantumcumque per ipſa inſtrumenta, tam in terris, quàm in mancipiis, ſeu & reliquis rebus, ſicut vſque nunc quieto ordine tenuit & poſſedit, ita & admodum liceat inanteà ipſas res quietè tenere & poſſidere, & cui voluerit, Chriſto auxiliante, derelinquere. Vnde conuenit, vt duæ epiſtolæ, vno tenore conſcriptæ, exinde fieri vel adfirmari deberent, vt vna in foro publico in ipſa ciuitate ſit adfixa, aliam verò ipſe ſecum pro cautela

& temporibus futuris apud ſe retineat, vt ſi ei inanteà neceſſe fuerit, in præſentia Regis, aut principis loci ſit proferenda.

Lind. CXVII.

## XXIX. *Editio legibus comprehenſa.*

LEx Romana pro vtilitate humani generis expoſcit, vt ſi quando cuiuſcumque iniuſta appellatio comprobatur, ſumptus quos poſt appellationem aduerſarium ſuum accuſator compulit ſuſtinere, non in ſimplum ei, ſed in quadruplum ab accuſatore cogatur reſtitui. Igitur ego in Dei nomine ille, dum non eſt incognitum, qualiter apud te homo ille, nomine illo, in rationes publicas, ante illuſtrem virum illum, vel reliquos viros, qui ſubter tenentur inſerti, Turonus ciuitatem adſteti, de aliquibus locellis, nuncupantibus illis, ſitis in pago illo, qui mihi per legitimam ſucceſſionem ſunt debiti, & tu præſenti ordine, malo ordine eos poſſidere videris. Vnde apud me in reſponſum introire noluiſti, niſi, ſicut lex edocet, tibi inſcriptionem de ſumptibus & expenſis confirmaſſem. Ideo placuit mihi, vt hanc editionem in te adfirmare deberem, quod ita & feci: vt ſi apud me de ipſis rebus in rationes, vel in iudicium introieris, & ipſa cauſa inter nos legibus definita fuerit, & mea iniuſta fuerit accuſatio comprobata, de eadem cauſatione, omníque tempore quietus reſideas, & ſumptus, vel expenſas ſuperiùs nominatas, quas pro neceſſitatibus tuis me compellente viſus es expendiſſe,

ſecundùm legis ordinem, tranſacto litis tempore partibus tuis cogar reſtitui. Et pro rei totius firmitate hanc editionem manu propria ſubterfirmaui, & bonorum virorum roborandam decreui. *Et ſi de homicidio accuſatio proceſſerit, ſecundùm hanc ſententiam inſcriptio celebretur.* Quicumque alium de homicidij crimine periculoſa, vel capitali obiectione pulſauerit, non priùs à iudicibus audiatur, quàm ſe ſimilem pœnam quam reo intendit conſcripſerit ſubiturum. Et ſi ſeruum alienum accuſandum eſſe crediderit, ſe ſimili inſcriptione conſtringat in futurum, vt ſupplicia innocentium ſeruorum, aut pœna capitis ſui, aut facultatum amiſſione compenſet.

## XXX. *Relatio cum iudicio.*

*Lind.* CXIX.

AVCTORITATE legis præceptum eſt, vt in toto litis termino requiratur, per quem orta eſt contentio. Et ſi quis ad rapinam faciendam adgreditur, aut iter agentem inſidiauerit, aut domum alterius nocturnus ſpoliauerit, mors animæ ipſius ne requiratur. Igitur ego in Dei nomine, ille Iudex, veniens in loco nuncupante illo, ſub die illo, vnà cum bonis hominibus, ad locum acceſſionis, vbi aliquis homo nomine ille quondam interfectus iacebat, requirens pro qua re ibidem interfectus fuiſſet: ſed venientes homines ibidem commanentes, qui in initio litis ibidem fuerunt, vel qui ad ipſos vccos cucurrerunt, quando iamdictus homo

Digitized by Google

ibidem interfectus fuit, taliter teſtimonium præbuerunt: Vt dum aliquis homo, nomine ille, ſolenniter ambulabat, ſic iam dictus ille quondam, ipſum adſalliuit, vel ei inſidiauit, & res ſuas ei contradixit, atque violenter ſuper ipſum euaginato gladio venit: vnde liuores vel capulaturæ, atque colaphi manifeſti apparent. Ideò etenim, dum ſic veritas comprobatur, iam dictus ille, adprehenſam manum vel arma prædicti iudicis, ſicut mos eſt, apud homines XII. manu ſua tertia decima, diſtractus vel coniuratus dixit, quòd dum ipſe ſolenniter ambulabat, iam dictus ille quondam, eam malo ordine adſalliuit, & euaginato gladio ſuper eum venit, & ſuper ipſum liuores vel capulationes miſit, & res ſuas illas ei diripere voluit, & poſtquam iſtos præſentes liuores recepit neceſſitate compulſus, ipſum plagauit, per quem mortuus iacet: & in ſua orta contentione, vel in ſua mouita, atque per ſuas culpas ibidem interfectus fuit: Et ſic eſt veritas, abſque vlla fraude, vel conludio, & in ſua culpa ſecundùm legem ipſum forbatudum fecit. Proinde opportunum fuit ipſi illi, vt hanc notitiam ad inſtar relationis, exinde accipere deberet: quod ita & fecit. Sed poſtea taliter in iam dicto loco ipſi illi iudicatum fuit, vt in noctes XL. apud homines XXXVI. manu ſua trigeſima ſeptima, in Eccleſia illa, in loco nuncupante illo, coniurare debeat apud homines viſores & cognitores; eo quòd ille quondam malo ordine ſuper eum veniſſet, & res ſuas ei contendiſſet, vel primitus ipſum plagaſſet,

vel

vel liuoraſſet, & ipſum in via adſalliſſet, vel inſidiaſſet, & in ſua mouita vel in ſua culpa ibidem interfectus fuiſſet. Et ſi hoc facere poterit de ipſa morte quietus valeat reſidere.

## *XXXI. Breue ſacramenti.* Lind CXX.

BREVE ſacramenti, qualiter ingreſſus eſt ille in loco nuncupante illo, in Eccleſia illa, ſub præſentia illius iudicis vel bonorum virorum, qui ſubter tenentur inſerti, ad placitum ſuum cuſtodiendum. Vnde retroactis diebus quadraginta, relationem de morte illius, per iudicium bonorum virorum accepit, iuratus dixit: per hunc locum ſanctum & Dei reuerentiam, dum ego ſolenniter inibi ambulabam, iam dictus ille quondam in loco nuncupante illo, me malo ordine adſalliuit, vel liuorauit, & colaphos ſuper me poſuit, & ad rapinam, vel ad inſidiam ſuper me faciendam adſtetit, & res meas mihi malo ordine diripere, vel tollere tentauit. Et ego in ſua orta contentione, vel in ſua mouita atque per ſuam culpam in ipſo loco ipſum interfeci, per reuerentiam iſtius ſancti & Dei altiſſimi; Similiter teſtes ſibi ſimiles viſores & cognitores, ſecundùm quod ei iudicatum fuit, poſt ipſum iurauerunt, vt quicquid iam dictus ille de hac cauſa iurauit, verum & idoneum ſacramentum dedit. Ij ſunt qui hoc ſacramentum exceperunt, manibúſque eorum ſubterfirmauerunt.

Lind. XXCI.

## *XXXII. Si quando maſculus & fœmina pariter raptum conſenſerint, infra quinquennium litigetur.*

NOTITIA, ſub quorum præſentia, vbi veniens ille ante illum, vel eos qui ſubter tenentur inſerti, ibique accuſabat aliquem hominem, nomine illum, eo quòd aliquam fœminam nomine illam, iam anno expleto ſine diffinitione parentum, vel ſine eius clamore, aut vociferatione eam volentem rapuiſſet, atque in coniugio ſibi malo ordine contra legem & iuſtitiam ſociaſſet: qui iam dictus ille, & præfata illa hoc denegare non potuerunt: ſed in omnibus taliter fuerunt profeſſi, quod ambo pariter conſentientes, ſic apud eoſdem actum vel perpetratum fuerat. Tunc ipſi viri qui ibidem aderant, tale dederunt iudicium, vt ſecundùm legem Romanam, pro hac culpa ambo pariter vitæ periculum incurriſſent, vel ſententiam mortis ob hoc ſcelus excepiſſent. Sed interuenientibus bonis hominibus, taliter eis conuenit, vt iam dicti homines pro redemptione vitæ eorum, vadios ſuos iam dicto illi vnuſquiſque pro ſolidis tantis dare deberent, quod ita & fecerunt, & ad hoc placitum inſtitutum, quod eueniet tunc temporis, hoc debeant deſoluere. Vnde & fideiuſſorem pro ipſis ſolidis, aliquem hominem illum obligauerunt. Propterea neceſſe fuit ipſis, vt hanc notitiam exinde accipere deberent: quod ita & fecerunt, vt ſi ne-

ceſſitas euenerit, omnibus ſit manifeſtum, qualiter ſupradicti homines infra quinquennium ab hoc ſcelere conuicti, vel comprobati apparuerunt.

*XXXIII. Iudicium euindicatum.*

ILLE Rex vir inluſter, illi Comiti. Veniens ille in noſtra, vel procerum noſtrorum præſentia, ſuggeſſit, eo quòd aliquis homo nomine ille pagenſis veſter, eum in via malo ordine adſalliſſet, & res ſuas ei tuliſſet, vel grauiter ipſum liuoraſſet: & ob hoc vobis per noſtram ordinationem iuſſimus, vt datis fideiuſſoribus XL. illis ex hoc in noſtra præſentia debuiſſent adſtare rationantes: ſed memoratus quidem ille per triduum ſuum cuſtodiuit placitum, & iam dictum illum ſecundùm legem adiectiuit, vel ſolſatiuit, qui nec ecſonia nuntiauit, nec ſuum placitum adimpleuit. Propterea omnino tibi iubemus dum tales vobis datos habuit fideiuſſores, & placitum ſuum nullatenus cuſtodiuit, vt quicquid lex loci veſtri de tali cauſa edocet, vobis diſtringentibus, memoratus ille partibus illius componere, & ſatisfacere non recuſet.

*XXXIV. Epiſtola Abatis vel rectoris Eccleſiæ.*

IN Dei nomine ille quamquam peccator Aba, dilecto amico noſtro illi. Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter tu rem proprietatis tuæ illam accepta pecunia de theſauro ipſius ſancti per ven-

ditionis titulum diſtraxiſti. Vnde & precariam nobis ex hoc emiſiſti, & cenſiſti te dare, in luminaribus ad feſtiuitatem ipſius Sancti, hoc eſt tantum. Ideo vnà cum conſenſu fratrum noſtrorum, hanc epiſtolam tibi emittendam decreuimus: Vt ipſum locum cum omni integritate, vnà cum Dei gratia, & noſtra voluntate, abſque præiudicio Sancti illius, diebus vitæ tuæ vſualiter tibi liceat tenere. Et poſt tuum quoque diſceſſum ipſe locus cum omni integritate, vel re meliorata, vel ſuprapoſito, partibus noſtris, vel ipſius Baſilicæ reuertatur: quam epiſtolam manu propria ſubterfirmauimus.

## *XXXV. Donatio ad Eccleſiam poſt obitum.*

LVCRVM maximum credimus animarum, ſi dum vnuſquiſque corporeis motibus terram inhabitat, pro amore cogitet domus æternæ, vel amore temporalium rerum ſperandarum ſibi cumulet munimina diuitiarum, aut certè ſi id quod remanendo perire poterat in ſæculo, in alimoniis pauperum, vel locis ſanctorum diſtribuatur Dei. Quamobrem ego in Dei nomine ille, pertractaui tam de Dei parte, quàm & reuerentia Sancti illius, ciuitatis illius, vbi ipſe pretioſus domnus in corpore requieſcit, ſeu pro animæ meæ remedio ad ſacroſanctam Baſilicam Sancti domni illius, eiúſque congregationem, vbi ille Aba, vel rector præeſſe videtur, dono donatúmque in perpetuum eſſe volo, hoc eſt villam rem proprietatis meæ, nuncu-

pantem illam, ſitam in pago illo, ſuper fluuium illum, in condita illa, cum omnibus adiacentiis, vel appenditiis ſuis quantumcumque ad ipſam villam aſpicere, vel pertinere videtur, vel quantumcumque inibi præſenti tempore mea videtur eſſe poſſeſſio, totum & ad integrum per hanc donationem tibi trado, atque transfundo, eo videlicet modo, vt dum ego in caput aduiuo, ipſam villam cum omni integritate vſualiter, ſub prætextu ipſius Baſilicæ tenere & vſurpare faciam. Poſt meum quoque diſceſſum, ipſam villam cum omni integritate, vel ſupraposito, hoc eſt cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmve decurſibus, mobilibus & immobilibus, pecuniis, peculiis vtriuſque ſexus, præſidiis, vel omni ſupellectile, vel quod ibidem inanteà addere, adtrahere, comparare, aut emeliorare potuero, & tranſitus meus ibidem dereliquerit, pars ipſius Baſilicæ, & eius rectores, abſque vllius expectata traditione, vel iudicum conſignatione, in eorum vel ipſius Baſilicæ faciant reuocare poteſtatem vel dominationem, & ad ipſam ſanctam Baſilicam proficiat in augmentum, quia malo hoc poſt meum diſceſſum ipſam Baſilicam habere, quàm cæteros heredes meos. Si quis verò.

## *XXXVI. Ceßio à die præſente.*

DVM fragilitas ſeu caſus humani generis pertimeſcit vltimum vitæ terminum, ſubita

tranſpoſitione ventura, oportet vt non inueniat vnumquemque imparatum, nec ſine aliquo boni operis fructu migrantem de ſæculo: ſed dum in ſuo iure & poteſtate quiſque conſiſtit præparet ſibi viam ſalutis, per quam ad æternam beatitudinem valeat peruenire. Idcirco ego in Dei nomine ille, pertractans tam de Dei parte, quàm & reuerentia Sancti illius, ſeu animæ meæ remedio, cedo ad ſacroſanctam Eccleſiam Sancti illius, quæ eſt conſtructa infra vrbem illam, in honore Sancti illius, vbi ille Aba & Rector præeſſe videtur, non occultè, ſed publicè, non priuatim, ſed palàm, ceſſúmque in perpetuum eſſe volo iure legitimo, & de iure meo in ius, & dominationem ipſius Eccleſiæ trado atque transfundo. Hoc eſt locum rem proprietatis meæ illum, ſitum in pago illo, in condita illa, cum omni integritate, vel adiacentiis ſuis, hoc eſt cum terris, manſis, caſis, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmve decurſibus, farinariis, mobilibus & immobilibus, pecuniis, peculiis vtriuſque ſexus, præſidiis, vel omni ſupellectile, quantumcumque ibidem præſenti tempore mea videtur eſſe poſſeſſio, totum & ad integrum rem quæſitam & inquiſitam, per hanc ceſſionem à die præſente ad ipſam ſanctam caſam delego & confirmo. Ita vt ab hodierna die quicquid exinde pars ipſius Eccleſiæ, eiúſque Rectores de ipſa re facere voluerint, liberam & firmiſſimam in omnibus habeant poteſtatem faciendi, quia ipſam ſanctam Eccleſiam plus id habere volo, quàm me vel

cæteros heredes meos. In ceſſionibus verò licèt pœna non inſeratur, mihi tamen pro rei totius firmitate placuit inſerendum, vt ſi ego aut vllus de heredibus meis, *& reliqua.*

## *XXXVII. Venditio ad Eccleſiam.*

DOMINO venerabili & in Chriſto patri illi, Abati de Baſilica Sancti illius, in ciuitate illa, vbi ipſe pretioſus dominus in corpore requieſcit, vel omni congregationi ibidem conſiſtenti; Ego enim in Dei nomine ille. Conſtat me vobis, vel partibus ipſius Baſilicæ vendidiſſe, & ita vendidi, hoc eſt locum rem proprietatis meæ, ſitum in pago illo, ſuper fluuium illum, in condita illa, in villa illa, cum omni integritate vel adiacentiis, quicquid ad ipſum locum aſpicere vel pertinere videtur, vel quantumcumque præſenti tempore mea videtur eſſe poſſeſſio, hoc eſt tam terris, manſis, caſis, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, ſyluis, pratis, paſcuis, aquis, aquarúmve decurſibus, libertinis, miniſterialibus, mobilibus & immobilibus, pecuniis, peculiis vtriuſque ſexus, vel omni ſupellectili totum & ad integrum, rem quæſitam & inquiſitam, quicquid dici aut nominari poteſt, vel quicquid ibidem præſenti tempore mea videtur eſſe poſſeſſio, per hanc venditionem à die præſente trado atque transfundo. Vnde accepi à vobis pretium pro iam dicto loco, de theſauro ipſius Sancti, in quod mihi complacuit, vel ampli-

Digitized by Google

ficatum fuit, hoc eſt tantum, quod pretium in manus meas accepi: & ipſum locum cum omni integritate, ſicut dixi, per hanc venditionem vobis, vel ad ipſam ſanctam caſam tradidi perpetualiter ad poſſidendum, ita vt ab hodierna die, quicquid exinde vos, aut ſucceſſores veſtri, vel pars ipſius Baſilicæ facere volueritis, liberam & firmiſſimam in omnibus habeatis poteſtatem faciendi. Si quis verò.

## *XXXVIII. Epiſtola Abatis vel Rectoris ipſius Eccleſiæ.*

IN Dei nomine ille Aba, in Chriſto nobis dilecto illi. Ad tuam petitionem noſtra decreuit voluntas, vt tibi res noſtras, vel Sancti illius in pago illo beneficiare vſufructuario ordine deberemus: quod ita & fecimus. Et tu pro huius merito beneficij obligaſti nobis res tuas tam de alode quàm & de comparato, ſeu de quolibet, ſic denominatas, in pago illo, in condita illa, quas præſenti tempore tenere & poſſidere videris: hoc eſt cum terris, vel omnia & in omnibus. Ea verò ratione vt tibi ex ipſis rebus quas nobis obligaſti, & illis quas tibi vſufructuario ordine beneficiauimus, non liceat aliubi, nec vendere, nec donare, nec alienare, nec in nullo modo diſtrahere, nec in naufragium ponere, ſed ſub noſtro, vel Sancti illius prætextu tibi liceat tenere & poſſidere. Et poſt tuum quoque diſceſſum abſque diminutione rerum vel mancipiorum, cum omni re

re emeliorata, vel ſupraposito quicquid in iam dictis rebus inuentum repertúmque fuerit, in noſtram vel ipſius Sancti abſque vllius expectata traditione, vel iudicum conſignatione faciamus reuocare poteſtatem vel dominationem. Vnde cenſiſti te nobis annis ſingulis, ad feſtiuitatem Sancti illius, in luminaribus ipſius Sancti, vel pro mercedis tuæ augmento, argentum ſolidos tantos. Et ſi de ipſo cenſo negligens apparueris, fidem exinde facias, & ipſas res perdere non debeas. Quam epiſtolam manu propria ſubterfirmauimus.

## *XXXIX. Securitas de homicidio.*

FRATRI illi, Ego enim ille. Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter tu ante hos dies inſtigante aduerſario germanum meum vel quemlibet parentem interfeciſti. Vnde & poſtea ex hoc comprobatus apparuiſti, & ante me apud illum iudicem, exinde in rationes fuiſti, & pro integra compoſitione pro iam dicto parente meo, pro ipſa morte, ſicut mihi bene complacuit, argentum ſolidos tantos dediſti: Ideo hanc epiſtolam ſecuritatis tibi ex hoc emittendam decreui, vt neque à me, neque ab heredibus meis, neque à qualibet oppoſita vel emiſſa perſona, nullam calumniam neque repetitionem de iam dicto homicidio habere non pertimeſcas, neque tu, neque vllus de parte tua qui tecum commorantur, ſed ducti atque ſecuri in omnibus, exinde valeatis reſidere.

Si quis verò, ſi fuerit aut ego ipſe, aut vllus de heredibus meis, ſeu quælibet perſona, quæ contra hanc ſecuritatem venire, aut agere vel refragare tentauerit, & à me vel ab heredibus meis defenſatum non fuerit, ſociante fiſco qui litem intulerit ſol. tantos componat, & ſua repetitio nullum obtineat effectum, ſed ſit inter nos vel ab heredibus noſtris ex hac re omnique tempore calcanda cauſatio; Et hæc ſecuritas meis, vel bonorum hominum manibus roborata, cum ſtipulatione inſerta, diuturno tempore maneat inconuulſa.

## *XL. Iudicium iuxta quod cauſa continet.*

VENIENS ille, die illo, menſe illo, dies tantos, in loco nuncupante illo, ante venerabilem virum illum, ſuóſque auditores, vel reliquos viros, qui ibidem aderant, vel ſubterfirmauerunt, ibique interpellabat aliquem hominem nomine illum, dum diceret eo quòd hereditatem ſuam in loco nuncupante illo, quæ ei erat debita, poſt ſe retineret, vel ei malo ordine contradiceret iniuſtè. Interrogatus ille ante ipſos viros, taliter dedit in reſponſis, quòd ipſam hereditatem, quam ipſe contra eum repetebat, genitor ſuus vel quilibet parens, ipſam ei moriens dereliquerat, & de annis XXX. inter ipſum & parentes ſuos, qui ipſam ei dereliquerant ipſam tenuiſſet, & ſecundùm legem ei ſit debita. Dum ſic intenderent ſic ipſi viri memorato homini decreuerunt iudicium, vt in

noctes tantas, quod euenit die illo, apud homines tantos, ſua manu tanta in Baſilica Sancti illius, in loco nuncupante illo, taliter debeat coniurare, quòd ipſam hereditatem, quam ipſe homo contra ipſum repetebat, per annos xxx. inter ipſum & memoratos parentes ſuos, qui ipſam hereditatem morientes ei dereliquerant, ſemper ipſam tenuiſſent, & per ipſos annos xxx. ſecundùm legem plus ſit ipſa hereditas ei habendi debita, quam ipſi homini reddendi: ſi hoc ad illud placitum coniurare potuerit, ipſam hereditatem, abſque repetitione ipſius hominis, omni tempore habeat elitigatam, atque euindicatam; ſin autem non potuerit, hoc legibus emendare ſtudeat. His præſentibus actum fuit.

## *XLI. Breue ſacramenti ſecundùm ipſum iudicium.*

BREVE ſacramentorum, qualiter ingreſſus eſt ille, die illo, in loco nuncupante illo, in Baſilica Sancti illius, iuxta quod iudicium ſuum loquitur, apud homines tantos ſua manu tanta, poſitis manibus ſuper ſanctum altare iuratus dixit: Per hunc locum ſanctum, & reuerentiam iſtius Sancti, quia vnde me ille interpellauit, quaſi hereditatem ſuam, quæ ei eſſet debita, in loco nuncupante illo, poſt me retinerem, vel ei malo ordine contradicerem iniuſtè, ipſam hereditatem parentes mei mihi morientes dereliquerunt, & inter me vel

ipſos parentes meos de annis XXX. ſemper exinde veſtiti fuimus, & ſecundùm legem plus eſt mihi debita habendi quàm ipſi homini reddenda, per Deum & reuerentiam iſtius Sancti iuro. Similiter venientes teſtes ſui, per ſingula iurati dixerunt, quicquid iſte de hac cauſa iurauit, verum & idoneum ſacramentum exinde iurauit. Hij ſunt qui ſubterfirmauerunt.

## *XLII. Notitia de alode vindicato.*

NOTITIA, qualiter vel in quorum præſentia, veniens ille, die illo, in loco nuncupante illo, ante illum iudicem, vel reliquos viros, qui ibidem aderant, vel ſubterfirmauerunt; Ibique interpellabat aliquem hominem, nomine illum, eo quòd alodem quæ fuerat genitoris ſui nomine illius, in loco nuncupante illo, poſt ſe malo ordine retineret, vel ei contradiceret iniuſtè. Interrogatus ipſe homo ab ipſis viris, ſi ſic erat veritas, an non: ſed ipſe iudicium, vel breue ſacramentorum, ibidem ante ipſos viros protulit ad relegendum, qualiter cum ipſo homine, ante hos dies, exinde ante illum iudicem in rationes fuerat, & qualiter ipſam alodem contra ipſum hominem, vel contra germanos ſuos elitigatam, atque euindicatam legibus habebat. Relecto ipſo iudicio, vel ipſo breui ſacramentorum, ſic ipſi viri ipſum hominem interrogauerunt, ſi aliquid contra ipſum iudicium, vel contra ipſum breuem opponere volebat. Sed ipſe

taliter dixit, quòd nihil habebat quod contra ipſum opponere deberet, & ſe in omnibus recognouit, quòd contra legem ipſum hominem calumniabat, & ſe exinde omni tempore taciturum eſſe ſpopondit. Propterea opportunum fuit ipſi, vt hanc notitiam ex hoc accipere deberet: quod ita & fecit, his præſentibus actum fuit.

## *XLIII. Venditio de area vel de caſa infra ciuitatem.* *Lind. CXXIX.*

MAGNIFICO fratri illi, Ego enim ille. Conſtat me tibi vendidiſſe, & ita vendidi, hoc eſt caſam meam cum ipſa area, vbi poſita eſt, infra ciuitatem vel burgum illum, in ratione illius, in loco illo, quem ego data mea pecunia de aliquo homine nomine illo comparaui. Habet ipſa caſa in atriamento membra in gyro tanta, de lateribus vel frontibus caſæ vel terræ illorum & illorum. Vnde accepi à te pretium in quod mihi bene complacuit, hoc eſt tantum: quod pretium in manu mea accepi, & ipſam caſam vel aream per hanc venditionem tibi tradidi à die præſente perpetualiter ad poſſidendum. Ita vt ab hodierna die quicquid exinde facere volueris liberam & firmiſſimam in omnibus habeas poteſtatem faciendi, ſaluo iure ipſius terræ.



Digitized by Google

## XLIV. *Qui ſe in alterius poteſtate commendat.*

DOMINO magnifico illi, Ego enim ille. Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter ego minimè habeo, vnde me paſcere vel veſtire debeam, ideo petij pietati veſtræ, & mihi decreuit voluntas, vt me tam de victu quàm de veſtimento, iuxta quod vobis ſeruire & promereri potuero, adiuuare, vel conſolare debeas. Et dum ego in caput aduixero, ingenuili ordine, tibi ſeruitium vel obſequium impendere debeam, & me de veſtra poteſtate, vel mundeburde, tempore vitæ meæ poteſtatem non habeam ſubtrahendi, niſi ſub veſtra poteſtate, vel defenſione diebus vitæ meæ debeam permanere. Vnde conuenit, vt ſi vnus ex nobis de his conuenientiis ſe emutare voluerit, ſol. tantos pari ſuo componat, & ipſa conuenientia firma permaneat. Vnde conuenit, vt duas epiſtolas vno tenore conſcriptas ex hoc inter ſe facere vel adfirmare deberent, quod ita & fecerunt.

*Lind. CXLVIII.*

## XLV. *Euacuatoria.*

DOMINO magnifico fratri illi, Ego enim ille. Dum & omnibus non habetur incognitum, qualiter ante hos annos ſol. noſtros, numero tantum, ad beneficium accepiſti, vt ipſos ſolidos tantos tu nobis reddere deberes. Quod ita & feciſti. Sed dum illam cautionem, quam nobis emiſeras, ad præ-

ſens non habeo, ideo hanc epiſtolam euacuatoriam fecimus, vt de ipſis ſolidis tantis omni tempore ductus & ſecurus reſideas. Et ſi ipſa cautio apparuerit, vel à nobis vel ab heredibus noſtris vllo quoque tempore oſtenſa fuerit, nullum ſortiatur effectum, ſed vacua & inanis permaneat.

## *XLVI. De cauſis commendatis.*

MAGNIFICO fratri illi, Ego enim ille. Rogo, ſupplico, atque publiciter tuæ charitati iniungo, vt omnes cauſas meas, tam in pago quàm & in palatio, aut ante iudices, vel vbicumque mihi neceſſitas euenerit, ipſas cauſas meas ad meam vicem proſequi, & admallare facias, & de ipſa proſecutione me reddas certiorem. Et quicquid exinde egeris, geſſeriſve ratum & bene acceptum à me in omnibus eſſe cognoſcas. Quod mandatum vt pleniorem obtineat firmitatem manu propria ſubterfirmaui, & bonos viros adfirmare rogaui.

Digitized by Google

# FORMVLÆ QVÆDAM VARIÆ ET INCERTI AVCTORIS.

*Ex Vet. Cod.*

## INCIPIVNT CHARTÆ REGALES ſiue Parenſales.

### *I. Ingenuitas.*

OPORTET enim vnumquemque hominem, dum in hac vita viuit, pro animæ ſuæ remedio cogitare. Idcirco ego in Dei nomine ille, recogitans pro Dei intuitu, vel pro animæ meæ redemptione, vt ab impiorum conſortio erui mereamur, dimitto ergo à die præſente vernaculum iuris mei nomine illum, ingenuum: in ea verò ratione, vt ingenuus permaneat, tanquam ſi de bene ingenuis parentibus fuiſſet natus vel procreatus.

Peculiare

Digitized by Google

Peculiare verò ſi aliquid habet, aut inanteà laborare potuerit, in omnibus habeat conceſſum atque indultum, & mundeburdem, vel defenſionem ad Baſilicam ſancti illius ſe habere cognoſcat, non ad affligendum, ſed ad ſe defenſandum, niſi vt diximus bene ingenuus de hoc die valeat reſidere. Si quis verò, quod fieri non credo, ſi fuerit, aut ego ipſe, aut vllus de heredibus, aut vlla emiſſa perſona, quæ contra ingenuitatem iſtam venire, aut eam infrangere tentauerit, fiſco diſcutiente, ſolidos xxx. multæ componat; & quod repetit per nullum ingenium euindicare valeat: præſens ingenuitas, & merces noſtra, firma & ſtabilis permaneat, cum ſtipulatione ſubnixa. Actum in loco illo.

## *II. Venditio de ſeruo.*

Lind. CXXXII.

DOMINO magnifico fratri illi emptori, Ego in Dei nomine ille venditor. Conſtat me, non imaginario iure, nec nullo cogentis imperio, ſed proprio voluntatis meæ arbitrio, tibi vendere, quod ita & vendidi, à die præſente, vernaculum iuris mei, nomine illum, non furem, non fugitiuum, nec cadiuum, nec vllum vitium in ſe habentem; ſed in omni corpore ſcimus eum ſanum vſque ad annum & diem. Et accepi à te in pretio pro hoc, iuxta quod mihi bene complacuit, vel conuenit, ſolidos tantos, ita vt ab hac die memoratum vernaculum, ſuperiùs denominatum, quem dato pretio de me legibus comparaſti, habeas, te-

neas, atque poſſideas, & quicquid exinde facere volueris, liberè & firmiſſimè, in tua permaneat poteſtate ad faciendum. Si quis verò, quod fieri non credo, ſi fuerit, aut ego ipſe, aut vllus de heredibus meis, qui contra venditionem iſtam venire, aut eam infringere tentauerit, fiſco diſcutiente ſolidos xxx. multæ componat, & quod repetit nihil euindicet: ſed præſens, &c.

Lind. CXXX.

## III. *Venditio de terra.*

DOMINO magnifico fratri illi emptori, Ego in Dei nomine ille venditor. Conſtat me non imaginario iure, nec vllo cogentis imperio, ſed proprio voluntatis meæ arbitrio, tibi vendere, quod ita & vendidi, tibi à die præſenti bunnuaria tanta de terra arabili, in loco nuncupante illo, qui eſt in pago illo, quem de parte parentum meorum, tam & de alode quàm & de comparato ad me legibus obuenit: hoc eſt de vno latere terræ illius ſubiungit, de alio latere illi, & de vno fronte terræ illius, de alio verò fronte per viam publicam. Et accepi à te, in pretio taxato, pro hoc iuxta quod mihi bene complacuit, vel conuentum fuit, ſolidos tantos, tanto ita vt ab hac die memoratam terram ſuperiùs denominatam, quam de me legibus comparaſti, ipſam hanc habeas, teneas, poſſideas, vel quicquid exinde facere volueris, libera in omnibus Chriſto propitio in tua permaneat poteſtate ad faciendum.

## *IV. Venditio de ſeruo ad Eccleſiam.*

BREVE in vicem venditionis. Qualiter vendidit homo aliquis, nomine ille, ad Eccleſiam aliquam, nomine illam, vernaculum ſuum, nomine illum, à die præſente, non furem, non fugitiuum, non cadiuum, nec vllum vitium in ſe habentem, ſed in omni corpore ſcimus eum ſanum vſque ad annum & diem, *& ſicut ſuperiùs factum eſt.*

## *V. Donatio ad ſponſam.*

DVM Dominus ab initio conceſſit in veteri teſtamento, & præcepit vt relinquat homo patrem & matrem & adhæreat ſuæ vxori, vt ſint duo in carne vna, & quod Dominus coniunxit homo non ſeparet, Ego enim in Dei nomine ille, dulciſſimæ coniugi meæ illi. Dum & ego te per ſolidum & denarium ſecundùm legem Salicam viſus fui ſponſare, ideo in ipſa amoris dulcedine, dabo ergo tibi à die præſente, quod in perpetuum volo eſſe manſurum, rem pro portione mea in loco nuncupante illo, qui eſt in pago illo, quæ de parte parentum meorum ad me legibus obuenit, hoc eſt in ipſa portione, manſis ad commanendum, cum caſticiis ſuprapoſitis, terris arabilibus, & mancipiis, vel quicquid in ipſa portione eſt aſpectum, tibi dico eſſe donatum, atque firmatum; vt quando die fœliciſſimo nuptiarum inſimul nos Deus coniunxerit, iſta

omnia ſuperiùs conſcripta in tua permaneant dominatione ad poſſidendum. Si quis verò, &c.

## *VI. Notitia de mancipio.*

CVM reſediſſet ille Vigarius inluſtris viri illius Comitis, in illo mallo publico, vnà cum ipſis Scabinis, qui in ipſo mallo reſedebant, ad cauſas audiendas, vel recta iudicia terminanda, ibique veniens monachus ſancti illius, vel ille Abas nomine illo, de illo monaſterio, vnà cum aduocato ſancti illius, nomine illo, fœminam aliquam nomine illam interpellabat, repetebat ei dum diceret, eo quòd colona eſſet ſancti illius, de curte ſua, quæ dicitur illa, de parte auiæ ſuæ, nomine illius quondam, & ipſa illa, & de ipſo ſeruitio ſancti illius negligens aderat, ſed ipſa fœmina de præſenti adſtare videbatur, & nullatenus habuit quod dicere, nec opponere, nec tradere rationes per quas de ipſo ſeruitio ſancti illius ſe abſtrahere potuiſſet: Sic ei in præſenti fuit iudicatum, vt ipſum ſeruitium ſancti illius, vnde negligens aderat, ipſi aduocato ſancti illius reuuadiare deberet, quod ita & fecit, & ſe ad ipſum ſeruitium ſancti illius, ibi ſe in præſenti recredidit. Exinde opportunum fuit, ipſos monachos ſancti illius, vel ipſum aduocatum ſancti illius, nomine illum, talem notitiam ante ipſas perſonas, quæ in ipſo mallo reſidebant, manibúſque eorum roboratas accipere, quod ita & fecerunt, vt omni tempore ipſe aduocatus, vel caſa ſancta illa,

vel ille Abas, vel ſucceſſores ſui, ipſam fœminam ſuperiùs nominatam, vel agnationem ſuam ad opus ſancti illius habeant euindicatam, atque elitigatam. Præſentibus his quorum præſentia actum fuit. Facta notitia in loco illo publiciter.

## *VII. Notitia de homicidio.*

DVM & per plures homines ponitur in notitia, qualiter veniens homo aliquis, nomine ille, in contubernio, hominem aliquem, nomine illum, ipſum ibidem adſalliſſet, & ipſum ibidem interfeciſſet, vel occidiſſet: ſed venientes parentes & amici ipſius hominis interfecti ante inluſtrem virum illum Comitem, interpellabant ipſum hominem qui eorum parentem in contubernio adſalliſſet, vel interfeciſſet, ſed ipſe ille in præſenti adſtare videbatur, & hanc cauſam nullatenus potuit denegare, ſed taliter fuit profeſſus, quòd inſtigante inimico, ipſum hominem interfeciſſet, vel occidiſſet. Tunc taliter ei iudicauerunt, vt ipſam leudem, vel ipſum homicidium ad ipſos parentes legibus tranſſoluere deberet, quod ita & fecit: ſed poſtea in ipſo placito ei fuit iudicatum, vt ipſi parentes talem epiſtolam ſecuritatis, manu eorum vel bonorum hominum firmatam, ei fieri vel conſcribere deberent, quod ita & fecerunt, vt poſt hunc diem, nec ipſi illi, nec vllus in cauſa ipſorum, nec vlla oppoſita perſona de præfata morte illius quondam, nec de ipſo homicidio, nec de ipſa



Digitized by Google

leude nullam reclamationem, nec nullum impedimentum pontificium non habeant ad faciendum. Qui hoc facere voluerit, ipſos ſolidos per manus reddat, & ob hoc ſolidos tantos vnà cum fiſco diſcutientibus multæ componat, & qui repetit nihil euindicet.

Lind. CXXV.

## VIII. *Securitas de homicidio.*

CVM reſediſſet inluſter vir ille Comes in illo mallo publico, ad vniuerſorum cauſas audiendas, vel recta iudicia terminanda, ibique veniens homo aliquis nomine ille repetebat ei, dum diceret eo quòd ipſe ille hominem ſuum nomine illum quondam bene ingenuum in via malo ordine ipſum adſalliſſet, & ipſum ibidem interfeciſſet, vel occidiſſet, & rauba ſua, caballos, aurum & argentum, & drapalia, exinde tuliſſet, vel deportaſſet, vel leudem contra legem ibi buriſſet; ſed ipſe ille de præſenti adſtare videbatur, & hanc cauſam nullatenus potuit denegare, ſed taliter fuit profeſſus, quòd faciente inimico ipſum hominem occidiſſet, vel interfeciſſet; ſed taliter in ipſo mallo ei iudicauerunt, vt ipſum hominem, vel ipſam leudem legibus exinde tranſſoluere deberet, quod ita & fecit; ſed poſtea apud ipſum grafionem, vel apud ipſos bonos homines qui in ipſo mallo reſedebant epiſtolam ſecuritatis manu eorum firmatam accipere deberet, quod ita & fecit: vt poſt hanc diem, nec ipſi illi, nec vllus de heredibus ſuis, nec vllus

in cauſa ipſorum, & hominis interfecti quondam, nec vlla oppoſita perſona de præſenti die de ipſa morte illius, nec de ipſo homicidio, nec de ipſa leude contra ipſum illum nullam reclamationem, nec nullum impedimentum pontificium non habeat ad faciendum: & qui hoc facere præſumpſerit, duplum tantum, quantum ipſa leodis continet, & partibus cui hæc facta eſt, vnà cum ſocio fiſco coactus multæ componat, & quod repetit vindicare non valeat.

## *IX. Donatio quam pater facit filio ſuo.* Lind: LII.

DVLCISSIMO atque amantiſſimo filio meo illi, Ego in Dei nomine ille genitor tuus. Dum & ego te dulciter enutriui, & tu mihi fideliter deſeruiſti, vel tuum ſeruitium, vel beneuolentiam, circa partem noſtram habemus compertam, ideo in ipſo amore dulcedinis, vel tuo ſeruitio componente, dabo ergo tibi à die præſente quod in perpetuum volo eſſe manſurum, hoc eſt manſum ad commanendum, cum caſticia ſuperpoſita, terris arabilibus, & mancipiis, his nominibus illis & illis, vt per hanc epiſtolam donationis, vel deliberationis noſtræ, manu mea vel bonorum firmatam, vt quamdiu aduiuis tam tu ipſe quàm hereditas tua, contra tuos germanos & germanas, quieto ordine vel elitigato valeas poſſidere, vel dominare, propterea hanc epiſtolam traditionis, vel deliberationis noſtræ manu mea firmatam exinde tibi fieri,

Digitized by Google

vel conſcribere rogaui, vt de præſenti die de ipſo manſo, vel quicquid ad ipſum manſum aſpicit, & ipſa mancipia ſuperiùs denominata hoc habeas, teneas, atque poſſideas.

Lind. LXXXVII.

## X. *Conculcaturia quam Abas facit ad hominem ſuum.*

EGO in Dei nomine, ac ſi peccator, venerabilis vir, ille Abas de monaſterio ſancto illo, quod eſt in pago illo conſtructum. Dum & omnibus non eſt incognitum, qualiter filius ſerui noſtri nomine ille, quandam fœminam noſtram nomine illam, bene ingenuam, filiam illius quondam, contra voluntatem parentum ipſius fœminæ ſociauit, ſibi ad coniugium: ſed poſtea ipſis parentibus complacuit & nobis, vt talem epiſtolam conculcaturiam manu noſtra vel à fratribus noſtris firmatam, ipſi fœminæ fieri vel firmare rogaremus, vt de ipſo ſeruitio, ſi agnatio inter ipſos apparuerit, in ſeruitio publico nunquam ſint coinquinati, ſed ſub integra ingenuitate dies eorum debeant perſeuerare. Et precor atque ſupplico ad ſucceſſores noſtros, vel ad Deum timentes homines, vt benefacta noſtra iubeant conſeruari, qualiter ipſi vellent, vt in poſtmodum eorum facta debeant eſſe ſtabilia; Et per malorum hominum infeſtationem, multam in ipſa epiſtola conculcaturia fieri vel conſcribere rogauimus, vt ſi fuerit, quod Deus non permittat, extranea pars, quæ hæc facta noſtra infrangere voluerit,

luerit, imprimis iram Dei, & ſancti illius incurrat & ob hoc ſol. C. partibus ipſius cui hæc facta eſt multæ componat, & quod repetit vindicare non valeat.

*XI. Donatio quam homo facit ad filium ſuum.* Lind. LIII.

EGo in Dei nomine ille. Conſtat me in amore Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt veniam delictis meis conſequi mereamur, donaſſe, & dono donatúmque eſſe volo ad dulciſſimum filium meum nomine illum, peciam de terra arabili, in loco qui dicitur ille, qui eſt in pago illo, per locos deſignatos vel circuitus: in ea ratione vt poſt hunc diem iam dictus filiolus meus, cui epiſtola donationis iſta legibus facta fuit, ipſam terram habeat, teneat, atque poſſideat, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam in omnibus Chriſto propitio, habeat poteſtatem. Et ſi quis, &c.

*XII. Notitia de cruce euindicata.* Lind. CLXXII

DVM & omnibus non eſt incognitum, qualiter veniens homo aliquis nomine ille ante Vigarium inluſtris viri illius Comitis nomine illo, aduerſus hominem aliquem nomine illum, repetebat ei dum diceret, eo quòd terram ſuam de ſuo manſo, vel de ſua poteſtate malo ordine propriſiſſet, ſed ipſe ille de præſenti adſtare videbatur, & hanc cauſam fortiter denegauit, quòd ſuam terram

de ſuo manſo malo ordine nunquam propriſiſſet, nec poſt ſe nunquam retinuerit: ſed taliter ei fuit iudicatum, in ipſo placito, ante ipſum Vigarium, vel ante ipſos pagenſes, vt ad crucem ad iudicium Dei, pro ipſa terra in noctes XLII. in ipſo placito pro hoc deberent adſtare, quod ita & fecerunt: ſed venientes ad ipſum placitum, ſicut eis fuit iudicatum, ante ipſum Vigarium, vel ante ipſos pagenſes, ad ipſum iudicium, vel ad ipſam crucem viſi fuerunt ſtetiſſe, ſed ipſe illum hominem qui ipſam terram propriſit ad ipſum iudicium, vel ad ipſam crucem, conuicuit: ſed ipſe in ipſo placito, ad ipſam crucem viſus cadiſſe, ſed dum hæc cauſa ſic fuit inuenta, quòd ipſe ille qui ad ipſum iudicium, vel ad ipſam crucem cadiſſet, ſolidos tantos ei tranſſoluere deberet, quod ita & fecit, & de ipſa terra ipſum illum legibus reueſtire deberet, quod ita & fecit. Tunc taliter ei iudicauerunt, vt ipſe ille de præſenti die ipſam terram tam contra ipſum illum, vel heredes ſuos, quàm contra quemlibet hominem, omníque tempore habeat euindicatam atque elitigatam, vt tam ipſe ille quàm & poſteritas ſua poſt hanc diem prædictam terram, quieto ordine valeat poſſidere vel dominare, & ducti & ſecuri exinde valeant reſidere. Factum iudicium in loco illo publiciter.

Lind. CLXXV.

## XIII. *Cautio de clauibus.*

DVM & per plures homines eſt patefactum, qualiter in Dei nomine ille, veniens in pla-

cito ante illos, vel quamplures bonos homines, aduerſus hominem nomine illum, repetebat ei dum diceret, eo quòd cellaria, vel camara, & granica, quicquid in eis habuit repoſitum, hoc eſt aurum, argentum, drapalia, arma, vinum, annonam, vel vitalia ſua, per ſuas claues commendaſſet, ad cuſtodiendum vel ad ſaluandum, & ipſam rem in naufragium, vel in damnum poſuit. Sed ipſe ille de præſenti adſtabat, & hanc cauſam nullatenus potuit denegare: ſed taliter ei fuit profeſſus, quòd ipſam rem ſuperiùs denominatam, per ſuum neglectum, & per ſuum facinus fuit perdita, vel naurata. Tunc taliter ei iudicauerunt, vt ipſam rem ei tranſſoluere vel emendare deberet, ſed ipſe ille nullatenus habuit, vnde ipſam rem tranſſoluere vel emendare deberet. Sed taliter ei fuit iudicatum, vt talem cautionem de capite ſuo, manu ſua vel bonorum hominum firmata, ei fieri vel conſcribere rogaret, quod ita & fecit. Vt dum ipſam rem non habui, nec pretium vnde tranſſoluere vel emendare debuiſſem, vt quamdiu aduiuam in ſeruitio publico, quod mihi iniungitis, vobis deſeruire debeam, & ſi negligens aut tardus de ipſo ſeruitio apparuero, qualemcumque diſciplinam ad alios ſeruos tuos impendis, talem ſuper me poteſtatem habeas ad faciendum. Et ſi fuerit aut ego ipſe, aut vllus de meis heredibus, qui contra hanc cautionem venire aut reclamare, &c.

Lind. CXLI.

## XIV. Concamiatura inter duos Abates.

PLACVIT auxiliante Domino, atque conuenit, inter venerabilem virum illum, Abatem de monaſterio illo, vel congregationem monaſterij ſui, necnon & magnificum virum illum, de commutatione locorum, quam inter ſe facere deberent, quod ita & fecerunt. Per quam accepit venerabilis vir ille Aba ad opus monaſterij ſui in loco nuncupante illo, qui eſt in pago illo, hoc eſt in ipſo loco illo manſus ad commanendum, caſticiis ſuperpoſitis, terris arabilibus, vel quicquid in ipſo loco ad præſens cernitur eſſe poſſeſſio, totum & ad integrum re inexquiſita in commutatione, vel in concamio. Simili modo vir magnificus ille accepit ad opus ſuum aliam rem in loco nuncupante illo, qui eſt in pago illo, hoc eſt quod ſuperiùs diximus totum, & ad integrum re inexquiſita, in commutatione vel in concamio; Vnde duas epiſtolas pariculas, vno tenore conſcriptas, manu eorum vel bonorum hominum firmatas, inter ſe fieri, & firmare rogauerunt, vt vnuſquiſque poſt hunc diem quod à pari ſuo in commutatione, vel in concamio accepit, teneat atque poſſideat, vel quicquid.

Lind. XXXIV.

## XV. Charta tracturia.

DOMNIS ſanctis, & Apoſtolicis ac venerabilibus in Chriſto patribus, Regibus, Comiti-

bus, Epiſcopis, Abatibus, Sacerdotibus, Clericis, vel omni populo Chriſtiano; qui in Romanorum vel Longobardorum prouinciis, Deo ſeruiunt, tam in monaſteriis, quàm & in ciuitate, ſeu per pagos, vel per vicos, ego in Dei nomine ille Maior domus. Cognoſcat magnitudo ſeu & ſanctitas veſtra, quòd iſte frater noſter nomen ille, ſeruiens veſter, petiit nobis vt ad Baſilicam S. Petri patris veſtri, pro ſuis culpis, vel pro noſtra ſtabilitate, valeat ambulare ad orationem. Proptereà has litteras cum ſalutatione per ipſum ad vos direximus, vt in amore Dei, & S. Petri, ipſum ad hoſpitium recipiatis, ad benefaciendum, vel ad ſuam conſolationem, tam ad ambulandum quàm & ad intrandum, vt per vos ſaluus eat & ſaluus reuertatur, interim ſicut veſtra eſt conſuetudo bona, vel conſolationem, vel adiutorium ei impendere iubeatis, lætúmque diem iubeatis habere. Cuius poteſtas regnat in æternum, ipſe vos cuſtodiat in regno ſuo perpetuo, & ſalutamus vos omnes ſalutationes pleniſſimas.

## *XVI. Donatio quam homo donat ad ſuam parentem.*

DILECTISSIMÆ atque amabili mihi in Domino conſobrinæ meæ nomine illo, Ego in Dei nomine ille. Dum & pluribus eſt percognitum, eo quòd tu partibus meis amabilia ſeruitia impendere non deſinis, pro tua bonitate, & pro eo quòd dictum eſt, faciamus bonum ad omnes, maximè

autem ad domeſticos fidei, vel ad propinquos noſtros. Igitur dono tibi à die præſente per hanc epiſtolam donationis, quæ in perpetuum ſit manſura, & de iure meo in tua dominatione trado atque firmabo, id eſt manſum ad commanendum, in pago illo, in loco qui dicitur ille, & eſt ipſe manſus per loca deſignata de latere vno, & de fronte terræ illius, & de alio latere & fronte terræ illius; tanto ita vt ab hac die memorata conſobrina mea illa, quicquid de ipſo manſo facere voluerit, vt abſque vniuſcuiuſque repetitione, liberam in omnibus habeat poteſtatem ad faciendum.

## *XVII. Donatio ad caſam Dei.*

PRVDENS conſilium baiulat, qui pro animæ ſuæ remedio cogitat illi Dominum retribuere, & exinde habere cogitat, & de Dei miſericordia non dubitat. Idcirco nos in Dei nomine ille, & coniux mea illa. Admonet nos diuina pietas, & Chriſti miſericordia, vt aliquid de rebus noſtris pro redimenda vltione noſtrorum peccaminum, Domino offerre deberemus, vt in die iudicij miſericors Dominus, vel in aliquantulum de ſcelere noſtro nobis relaxare dignaretur, donamus compuncto corde & deuoto animo ad Baſilicam illam, quæ eſt in honore ſancti illius conſtructa, in loco illo, hoc eſt rem noſtram, in loco nuncupante illo, hoc eſt in ipſa re manſis ad commanendum, caſticiis, ſuperpoſitis, terris, arabilibus, vt poſt hunc diem ipſi

Digitized by Google

cuſtodes qui ad ipſum ſanctum locum deſeruiunt, ipſam rem ſuperiùs denominatam habeant, teneant atque poſſideant, vel quicquid exinde facere voluerint, liberam & firmiſſimam habeant poteſtatem ad faciendum. Et ſi quis.

## *XVIII. Pactum diuiſionis inter fratres.* *Lind. LXX.*

PACTVM diuiſionis inter fratres, qui ſunt ille & ille, heredes illius & illius quondam, qualiter ſe de alode eorum diuidere vel exæquare deberent, quod ita & fecerunt. Per quem accepit vir magnificus ille manſum illum, in loco nuncupante illo, qui eſt in pago illo, hoc eſt ipſe manſus circumcinctus cum arboribus & caſticiis, ſuperpoſitis, terris arabilibus, *& cætera.* Simili modo vir magnificus ille accepit ad opus ſuum, alium manſum, in loco nuncupante illo, qui eſt in pago illo, in Centena illa, hoc eſt quod ſuperiùs diximus manſum circumcinctum cum arboribus & caſticia ſuperpoſita, terris arabilibus, *& cætera*, vel quicquid pars contra parem ſuum per æqualentiam inter ſe diuiſerunt, abſque vlla repetitione, vel reclamatione, hoc habeant, teneant, poſſideant, vel quicquid exinde facere voluerint, libera in omnibus Chriſto propitio in ſua permaneat poteſtate ad faciendum. Et ſi quis verò.

Lind. XXVIII.

## XIX. Venditio ad monaſterium.

VENERABILI in Chriſto patri illi, Abati de monaſterio qui vocatur ſancti illius, quod eſt in pago illo, ſuper fluuium illum conſtructum, emptori, Ego in Dei nomine ille venditor. Conſtat me non imaginario iure, nec nullo cogentis imperio, ſed proprio voluntatis meæ arbitrio, vobis vel ad monaſterium veſtrum vendere, quod ita & vendidi vobis à die præſente, rem pro portione mea, in loco nuncupante illo, quod eſt infra pagum illum, quod de parte parentum meorum ad me legibus obuenit, hoc eſt tam manſis, caſis, caſticiis, mancipiis, ingenuis, his nominibus, vel quicquid ibidem præſens eſt mea dominatio, totum & ad integrum de iure meo in dominatione veſtra, per hanc venditionem tradidi vobis ad poſſidendum; & accepi à vobis in pretio taxato, iuxta quod nobis aptificatum vel conuentum fuit, ſolidos probos atque penſantes, numero tantos; tanto ita vt ab die memorata omnia, ſuperiùs nominata, quæ de me legibus comparaſtis, hoc habeatis, teneatis, poſſideatis, tam vos quàm & ſucceſſores veſtri liberùm & firmiſſimùm in veſtra permaneat poteſtate ad faciendum. Si quis verò.

Lind. XXIX.

## XX. Precaria.

IN Chriſto venerabili patri, & domno illi Abati de monaſterio ſancti illius, quod eſt in pago illo

illo ſuper fluuium illum conſtructum, ego in Dei nomine ille precator. Acceſſi ad vos vt rem pro portione veſtra, in loco nuncupante illo, qui eſt in pago illo, quam ego ille ante hos dies per venditionis titulum dato pretio, ſancto illi, ſeu veſtro monaſterio adfirmaui, hoc eſt in ipſa portione manſum ad commanendum, caſticiis, ſuperpoſitis, terris arabilibus, mancipiis, ingenuis, his nominibus, vineis, pratis, ſyluis, paſcuis, vel quicquid ibidem aſpicit vobis delegauimus: ſed poſtea taliter vobis ſupplicauimus, vt ipſam portionem ad vſum beneficij ad excolendum quandiu aduiuo mihi præſtare vel relaxare deberetis, quod ita & feciſtis. Propterea hanc precariam, manu mea vel bonorum hominum firmatam, vobis exinde emiſimus, vt annis ſingulis cenſum denariorum tot ad luminaria ſancti illius, & illa decima de omnibus fructibus, quicquid ſupra ipſam conlaborare potuerimus die illo, quod eueniet feſto ipſius ſancti illius pro hoc vobis dare, & adimplere faciam. Et ſi negligens aut tardus de ipſo cenſu ad illud placitum apparuero, fidem exinde vobis legibus faciam, & ipſam rem dum aduiuo per veſtrum beneficium tenere & vſufructuare faciam; in ea verò ratione, vt aliubi ipſas res nec vendere, nec donare, nec alienare, nec ad alias caſas Dei delegare, nec in naufragium ponere, nec ad proprium facere, nec heredibus meis in alode derelinquere pontificium non habeam ad faciendum, niſi poſt meum diſceſſum, vnà cum re immeliorata vel ſuperpoſita,

quicquid ibidem inuentum fuerit, abſque vllius iudicis contradictione pars monaſterij veſtri ad veſtrum faciat reuocare dominium. Si quis verò.

Lind. XXX.

## *XXI. Commendatia.*

IN Chriſto filio, Eccleſiæ illi, in Dei nomine ille Abas, de monaſterio illo ſancti illius, quod eſt in pago illo, vnà cum conſenſu fratrum noſtrorum. Dum & tua fuit petitio, & noſtra decreuit voluntas, vt duas partes darem pro portione noſtra in loco nuncupante illo, qui eſt in pago illo, quem tu ipſe ante hos dies per venditionis titulum dato pretio de theſauro ſancti illius nobis vendidiſti: ſed poſtea taliter nobis ſupplicaſti, vt ipſius portionis duas partes, in prædicto loco illo, ad vſum beneficij ad excolendum, quamdiu adiuis, tibi præſtare deberemus: quod ita & fecimus. Propterea hanc commendatiam manu noſtra firmatam tibi pro hoc dedimus, vt annis ſingulis, cenſum tantum, & illam decimam de omni fructu, quicquid ſupra ipſam terram conlaborare potueris, quod eueniet feſto ſancti illius, pro hoc dare debeas. Et ſi negligens aut tardus ad id placitum de ipſo cenſu fueris, fidem exinde pro hoc nobis facias, & ipſam rem ad viuentum tuum per noſtrum beneficium teneas, in ea tamen ratione vt ipſam rem aliubi, nec vendere, nec donare, nec alienare, nec ad alias caſas Dei delegare, nec ad proprium facere, nec heredibus tuis in alode dere-

Digitized by Google

linquere, nec in naufragium ponere, poteſtatem non habeas ad faciendum, niſi poſt tuum diſceſſum, vnà cum ipſa re immeliorata, vel ſuperpoſita, quicquid ibidem inuentum fuerit, ſine vllius iudicis conſignatione pars monaſterij noſtri elitigato ordine præſentialiter ipſam rem immelioratam in noſtrum faciat reuocare dominium, & hæc commendatia firma ſit. Facta commendatia in ipſo monaſterio ſancti illius, publiciter in anno XII. regni.

## *XXII. Indiculus precatorius ad Epiſcopum.*

DOMINO ſancto & Apoſtolica Sede colendo, in Chriſto venerabili domno & patri illi pontifici, vrbis illius, ciuitatis illius, Ego in Dei nomine ille, bene cupiens veſter, in Domino vobis dirigimus ſalutem, & precamur ſanctitatem veſtram vt pro nobis orare dignemini. Denique cognoſcatis quòd iſte homo veſter, nomine illo, ad nos confugium fecit, & dixit quòd contra vos culpas habeat commiſſas. Propterea has litteras cum ſalutatione ad vos direximus, & precamur vobis, vt vitam & immancationem, & diſciplinam corporalem ei concedere iubeatis, aliam pœnitentiam qualem ei volueritis iudicare in veſtra eſt poteſtate. Qualiter ipſe homo ſecum gaudeat, quòd noſtram ſuggeſtionem ad vos deportaſſet, & vnde nobis reconiungitis vobis remerire cupimus. Quid plura?

## *XXIII. Indiculus quem præpoſitus tranſmittit ad Abatem.*

DILIGENDO ad nos domno, & in Chriſto patri noſtro venerabili illi Abati, Ego ille ſeruiens atque præpoſitus veſter. In primis, illud precamur ſanctitatem veſtram, vt in veſtra ſancta oratione pro me eſſe non dedignemini. Denique domne, cognoſcatis de iſto ſeruitio vbi nos tranſmiſiſtis, per verbum inluſtris viri illius Comitis, ſui iuniores non exinde fecerunt quomodo eis fuit demandatum. Propterea has litteras ad vos direximus, vt de ipſo certiores ſitis, & inanteà quomodo vobis eſt vtile ſic compenſetis, vt noſtram rem non perdamus. Quid plura? ſalutamus vos vſque ad gaudium.

## *XXIV. Indiculus quem Abas tranſmittit ad hominem pagenſem.*

DVLCISSIMO noſtro, & vt credimus amico ſancti illius in Dei nomine illi, ille etſi peccator Aba, nos & noſtri, ſeruientes veſtri, in Domino vobis dirigimus ſalutes, & illud precamur Deum vt merearis agere in iſta vita quod Deo ſit beneplacitum. Precamur vos de illis veſtris homunciunculis, qui in veſtro miniſterio commanent, vel de noſtris cauſis inuicem noſtrum bonum certamen exinde mittatis, ſicut nos de veſtra charitate bene

confidimus, vt ſic exinde perportare faciatis, vſque nos inſimul coniungimus. Quid plura?

## *XXV. Indiculus quem Epiſcopus tranſmittit ad Abatem.*

SANCTORVM meritis beatificato domno atque patri, Deique cultore, & vt confidimus vero amico noſtro illi gratia Dei Abati: nos enim in Dei nomine ille quamuis peccator donum Dei Epiſcopus. Dues ſcit, veſter in omnibus proprius amicus, imprimitus ſalutationem. *Deſunt reliqua.*

## *XXVI. Cautio de infracturis.*

CONTIGIT, quòd cellarium, vel ſpicarium veſtrum infregi, & exinde annonam, vel aliam raupam in ſolidos tantos furaui, dum & vos & aduocatus veſter, exinde ante illum Comitem interpellare feciſtis, & ego hanc cauſam nullatenus potui denegare. Sic ab ipſis Racimburgiis fuit iudicatum, vt per Wadium meum, eam contra vos componere atque ſatisfacere debeam, hoc eſt ſolidos tantos vel *: ſed dum ipſos ſolidos minimè habui vnde tranſſoluere debeam ſic mihi aptificauit, vt brachium in collum poſui & per comam capitis mei coram præſentibus hominibus tradere feci, in ea ratione vt interim quòd ipſos ſolidos veſtros reddere potuero, & ſeruitium ve-

ſtrum, & operam qualemcumque vos vel iuniores veſtri iniunxeritis, facere & adimplero debeam, & ſi exinde negligens, vel iactiuus apparuero, ſpondeo me contra vos, vt talem diſciplinam ſupra dorſum meum facere iubeatis, quam ſuper reliquos ſeruos veſtros.

*FINIS FORMVLARVM.*

Digitized by Google

# TITVLI SEV CAPITVLA ſuperiorum Formularum.

I. *Ingenuitas.*
II. *Venditio de ſeruo.*
III. *Venditio de terra.*
IV. *Venditio de ſeruo ad Eccleſiam.*
V. *Donatio ad ſponſam.*
VI. *Notitia de mancipio.*
VII. *Notitia de homicidio.*
VIII. *Securitas de homicidio.*
IX. *Donatio quam pater donat filio ſuo.*
X. *Conculcatoria.*
XI. *Donatio quam homo donat ad filium ſuum.*
XII. *Notitia de cruce euindicata.*
XIII. *Cautio de clauibus.*
XIV. *Concamiatura inter duos Abates.*
XV. *Charta tracturia.*
XVI. *Donatio quam homo donat ad ſuam parentem.*
XVII. *Donatio ad caſam Dei.*
XVIII. *Pactum diuiſionis inter fratres.*
XIX. *Venditio ad monaſterium.*
XX. *Precaria.*
XXI. *Commendatia.*
XXII. *Indiculus precatorius ad Epiſcopum.*
XXIII. *Indiculus quem præpoſitus tranſmittit ad Abatem.*
XXIV. *Indiculus quem Aba tranſmittit ad hominem pagenſem.*
XXV. *Indiculus quem Epiſcopus tranſmittit ad Abatem.*
XXVI. *Cautio de infracturis.*

Digitized by Google

Digitized by Google

377

D. Part.

# LIBER
## LEGIS SALICÆ.

### GLOSSARIVM
SIVE INTERPRETATIO RERVM
ET VERBORVM OBSCVRIORVM
quæ in ea lege habentur,
AVCTIVS ET EMENDATIVS.
Ex FR. PITHOEI, I C. autographo.

*Cum Notis clariſſimi viri* HIERONYMI BIGNONII *nunc primùm editis.*



Digitized by Google

# TESTIMONIA ALIQVOT

## De Lege Salica.

### Ado Viennenſis ætate VI. anno Chriſti CCCLXXV.

VALENTINIANI & *Valentis tempore rebellantes Alemannos Franci inter Danubium & Mæotides paludes iuncti Romanis ſuperauerunt. Francos lingua Attica Valentinianus Imperator à feritate & duritia atque audacia appellari primus voluit. Qui poſt paululum cùm tributa Romanis negarent, & Romanorum impetum ferre non poſſent, egreſſi à Sicambria peruenerunt in extremas partes Rheni fluminis in Germanorum oppida: ibique aliquot annos cum Principibus ſuis Marcomiro & Sunnone reſederunt. Vbi primum Regem*



Digitized by Google

*Pharamundum ſibi poſtmodum ſtatuunt, legibúſque ſe ſubdunt, quas priores eorum Vuiſovaſtus & Vuiſogaſtus, Atrogaſtus, Salegaſtus inuenerunt.*

Ottho Friſingenſis lib. 4. cap. 32. vbi de Francorum initio agit.

*Pharamundum ſibi Regem creauere, leges quoque Vuiſogaſtaldo & Salagaſto auctoribus exhinc habere cœpere. Ab hoc Salagoſto legem quæ ex nomine eius Salica vſque hodie vocatur, inuentam dicunt. Hac nobiliſſimi Francorum qui Salici dicuntur, adhuc vtuntur.*

Hincmarus de diuortio Lotharij & Thietbergæ ad interrogat. 5.

*Tamen ſi Chriſtiani ſunt, ſciant ſe nec Romanis in die iudicij, nec Salicis, nec Gundobadis, ſed Diuinis & Apoſtolicis legibus iudicandos.*

Pragmaticum Regum Lotharij & Ludouici, qui vltimi ſtirpis Karolinæ, pro Eccleſia Pariſienſi.

*Si fortè calliditate iudicis, aut alicuius perſonæ ipſæ immunitates alicubi inruptæ fuerunt, priſcorum lege, id eſt ſolidis* DC. *mulctetur.*

Digitized by Google

Suggerius in vita Ludouici Craſſi cap. 11.

*Dominúmque illius virum nobilem Hunbaldum, aut ad exequendum juſtitiam cogere, aut jure pro iniuria caſtrum lege Salica amittere.*

Lib. 2. feudor. tit. 29. Edit. Cuiac. lib. 4. tit. 32.

*Accipere vxorem ad Morganaticam, alibi lege Salica.*

In teſtamento Sancti Euerardi Comitis, acto in Comitatu Taruiſiano, in corte noſtra muſieſtro, imperante D. Ludouico Auguſto. anno Chriſto Regni eius propitio XXIV.

*In primis volumus vt Vnroch habeat pſalterium noſtrum duplum, & Bibliothecam noſtram, & librum S. Auguſtini de Verbis Domini, & librum de lege Francorum, & Ribuariorum, & Langobaldorum, & Alamannorum, & Bauariorum, & librum rei militaris.*

Marculfus Formul. lib. 1. cap. 22.

*Per manum illius ad noſtram præſentiam iactante denario ſecundùm legem Salicam dimiſit ingenuum.*



Digitized by Google

Vett. Formulæ incerti auctoris cap. 47.

*Et poſtea ante domnum illum regem iactante denario ſecundùm legem Salicam te ingenuam dimiſi.*

Cap. 49.

*Omnibus non habetur incognitum quòd ſicut lex Salica continet, de rebus meis de eo quod mihi ex alode parentum meorum obuenit, &c.*

Vett. Formulæ Lindembrogij cap. 164. pag. 1290.

*Apud* XII. *homines bene Francos, Salicos &c.*

SALII in Notitia Imperij ſæpe.

Eginhartus de vita Karoli M.

*Poſt ſuſceptum imperiale nomen cùm aduerteret multa legibus populi deeſſe, nam Franci duas habent leges plurimis in locis valde diuerſas, cogitauit quæ deerant addere, & diſcrepantia vnire, prauáque ac perperam prolata corrigere: ſed de his nihil aliud ab eo factum eſt, quàm quòd pauca capitula & imperfecta legibus addidit. Omnium tamen nationum quæ ſub*

Digitized by Google

*eius dominatu erant, iura quæ ſcripta non erant deſcribere ac litteris mandari fecit.*

Sigonius de Regno Italiæ lib. 8. pag. 188. ad ann. Chr. MVII.

*Illud animaduerſione dignum, cùm horum etiam temporum conſuetudo ferret, vt omnes ederent qua quiſque lege viuere vellent, Romana, Longobarda, an Salica, Bonifacium Longobardam eſſe profeſſum, Mathildem verò Salicam; quod ex eorum tabulis, quæ plurimæ in Eccleſia Mutinæ aſſeruantur, cognoſcitur. Quod in patre & filio, non idem in viro & coniuge obſeruatum. vnde in eodem tabulario per hæc tempora ſic ſcriptum inuenitur.* Maria quæ profeſſa ſum lege viuere Romana, ſed nunc pro ipſo viro meo lege Longobardorum viuere videor, qui profeſſus eſt ex natione ſua lege viuere Longobardorum.

Idem lib. 11. pag. 272. ad an. Chriſti M. CXXXVII.

*Conſtans præterea doctorum hominum monumentis eſt fama, Lotharium vt ex vno iure ciuili Romano poſthac iudicia fierent lege ſanxiſſe. Ante hoc tempus Italici certè alij Longobardica, alij Salica, alij Romana lege vteban-*

Digitized by Google

*tur : in poſterum autem omnes vni iuri, vnique legi, reliquis abrogatis, nempe Romanæ obtemperarunt, iúſque ciuile publicis Italiæ in gymnaſiis maiore celebrari ſtudio, &c. primus Irnerius &c.*



Digitized by Google

# F. LINDENBRVCHIVS

## FR. PITHOEO IC. S.

REDIT ad te, V. Cl. Lex Salica, induſtria tua ante plurimos annos correcta explicatáque, neſcio quo caſu ita poſtea neglecta, vt metus eſſet ne periret. Et periiſſet ſanè egregius iſte labor tuus, niſi me adnitente ſeruatus fuiſſet: quem vel hac ſolùm de cauſa publici vſus facere volui, cùm priuatim tecum frui poſſem, vt fidem in parte aſſererem amicis, qui aurem mihi ſæpiuſculè vellunt, ac de Germaniæ legum editione admonent. Ego verò illas ad vetuſtiſſima exemplaria emendatas, vt ſcis, quin etiam paratas apud me habeo. Ac dediſſem jam, niſi alia impræſentiarum cura remoráque detinerer. qua liberatus, videbit patria, quod præfiſcinè dixerim, ecquid ſua cauſa

laborauerim. Specimen ergo hic liber erit, quo interim harum antiquitatum amatores ſe oblectare poterunt, quouſque cetera quæ reſtant, appareant. Ac te quidem patrem appellabit, me verò ſeruatorem educatorémque benemerentem. Vale. Pariſiis, Prid. Kal. April. Ann. M. DC. II.

Digitized by Google

# INCIPIT TRACTATVS LEGIS SALICÆ.

GENS *Francorum inclyta, auctore Deo condita, fortis in armis, profundáque in conſilio, firma in pacis fœdere, corpore nobilis, in columna candore & forma egregia, audax, velox, & aſpera, ad Catholicam fidem nuper conuerſa, emunis quidem ab omni hereſe, dum adhuc ritu teneretur barbarico, inſpirante Deo inquirens ſcientiæ clauim, iuxta morum ſuorum qualitatem deſiderans iuſtitiam, & cuſtodiens pietatem, dictauit Salicam legem per proceres illius gentis, qui tunc temporis eiuſdem aderant rectores. Electi de pluribus viris quatuor his nominibus, VViſogaſtus, Bodogaſtus, Sologaſtus, & VVidogaſtus, in locis cognominatis Solehaim, Bodohaim, VVidohaim, qui per tres mallos conuenientes, omnes cauſarum origines ſollicitè tractantes diſcutiendo de ſingulis, ſicut ipſa lex declarat, iudicium decreuerunt hoc modo. At vbi Deo fauente Rex Francorum Clodoueus florens & pulcher & inclytus primus recepit Catholicum baptiſmum: & deinde Childebertus &*



Digitized by Google

*Clotharius in culmen regale Deo protegente peruenere, quicquid in pacto habebatur minùs idoneum, per illos fuit lucidiùs emendatum, & ſanctiùs decretum. Viuat qui Francos diligit. Chriſtus eorum regnum cuſtodiat, Rectores eorumdem lumine ſuæ gratiæ repleat, exercitum protegat, fidei munimina tribuat, pacis gaudia, & felicitatis tempora dominantium Domino Ieſu Chriſto propiciante concedat. Hæc eſt enim gens, quæ parua dum eſſet numero, fortis robore, & valida, duriſſimum Romanorum iugum de ſuis ceruicibus excuſſit pugnando. Atque poſt agnitionem baptiſmi ſanctorum Martyrum corpora, quæ Romani vel igni concremauerunt, vel ferro truncauerunt, vel beſtiis laceranda proiecerunt, Franci reperta auro & lapidibus pretioſis ornauerunt.*

## Prologus legis Salicæ.

*Placuit atque conuenit inter Francos, & eorum proceres, vt propter ſeruandum inter ſe pacis ſtudium, omnia incrementa veterum rixarum reſecare deberent, & quia ceteris gentibus iuxta ſe poſitis fortitudinis brachio præminebant, ita etiam legum auctoritate præcellerent, vt iuxta qualitatem cauſarum, ſumeret crimi-*

Digitized by Google

*nalis actio terminum. Extiterunt igitur inter eos electi de pluribus quatuor viri his nominibus, VViſogaſtus, Bodogaſtus, Salogaſtus, & VVidogaſtus, in villis quæ vltra Rhenum ſunt Salehaim & Bedohaim & VVidohaim, qui per tres mallos conuenientes omnem cauſarum originem ſollicitè diſcutiendo tractantes de ſingulis iudicium decreuerunt hoc modo.*

## Ex Chronico manuſcripto.

*Marchomoris quoque dedit Francis id conſilium, & elegerunt Faramundum ipſius filium, & leuauerunt in Regem ſuper ſe crinitum. Tunc habere & leges cœperunt, quas eorum priores gentiles tractauerunt; his nominibus VViſogaſtus, Arogaſtus, Salegaſtus, in villis quæ vltra Rhenum ſunt, in Botagin, Salecagin, & VVidecagin.*

*Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti* DCCXCVIII. *Indictione ſexta, Dominus Carolus Rex Francorum inclytus hunc Libellum tractatus Legis Salicæ ſcribere iuſſit.*



Digitized by Google

# CAPITVLA

## LEGIS SALICÆ.


I. *De mannire.*

II. *De furtis porcorum.*

III. *De furtis animalium.*

IV. *De furtis ouium.*

V. *De furtis caprarum.*

VI. *De furtis canum.*

VII. *De furtis auium.*

VIII. *De furtis arborum.*

IX. *De furtis apium.*

X. *De damno in meſſe vel in qualibet clauſura.*

XI. *De ſeruis vel mancipiis furatis.*

XII. *De furtis ingenuorum vel infracturis.*

XIII. *De furtis ſeruorum.*

XIV. *De ingenuis hominibus, qui ingenuas mulieres rapiunt.*

XV. *De eo qui hominem ingenuum expoliauerit.*

XVI. *De eo qui villam alienam adſalierit.*

XVII. *De eo qui mortuum hominem expoliauerit.*

XVIII. *De incendiis.*

XIX. *De vulneribus.*

XX. *De eo qui hominem innocentem & abſentem ad regem accuſauerit.*

XXI. *De maleficiis.*

XXII. *De eo qui mulieri ingenuæ manum ſtrinxerit.*

XXIII. *De eo qui nauem ſine permiſſu domini mouerit, aut furauerit.*
XXIV. *De furtis in molino commiſſis.*
XXV. *De caballo ſine permiſſu domini ſui aſcenſo.*
XXVI. *De his qui pueros vel puellas occiderint vel totonderint.*
XXVII. *De adulteriis ancillarum.*
XXVIII. *De libertis dimiſſis.*
XXIX. *De furtis diuerſis.*
XXX. *De locationibus.*
XXXI. *De debilitatibus.*
XXXII. *De conuiciis.*
XXXIII. *De via lacinia.*
XXXIV. *De eo qui hominem ingenuum ſine cauſa ligauerit.*
XXXV. *De venationibus.*
XXXVI. *De ſepibus.*
XXXVII. *De homicidiis ſeruorum vel ancillarum.*
XXXVIII. *De quadrupedibus ſi hominem occiderint.*
XXXIX. *De veſtigio minando.*
XL. *De caballis furatis.*
XLI. *De his, qui aliena mancipia ſollicitauerint.*
XLII. *De ſeruo qui de furto fuerit interpellatus.*
XLIII. *De homicidiis ingenuorum.*
XLIV. *De homicidiis à contubernio factis.*
XLV. *De homicidiis in conuiuio factis.*
XLVI. *De Reippus.*
XLVII. *De eo, qui villam alienam occupauerit, vel ſi duodecim menſibus eam tenuerit.*
XLVIII *De Aſatomie.*

Digitized by Google

XLIX. *De ſiltortis, hoc eſt, qualiter homo furatas res interciare debet.*
L. *De falſo teſtimonio.*
LI. *De teſtibus adhibendis.*
LII. *De eo qui fidem factam alteri reddere noluerit.*
LIII. *De eo qui Grafionem ad res alienas tollendas iniuſtè inuitauerit.*
LIV. *De re præſtata.*
LV. *De manu ab æneo redimenda.*
LVI. *De eo qui Grafionem occiderit.*
LVII. *De corporibus expoliatis.*
LVIII. *De incendio vel expoliatione Eccleſiæ, ſiue homicidiis clericorum.*
LIX. *De eo, qui ad mallum venire contempſerit.*
LX. *De rachimburgiis, qui ſecundùm legem non iudicant.*
LXI. *De Chrenechruda.*
LXII. *De Alode.*
LXIII. *De eo qui ſe de parentela tollere vult.*
LXIV. *De charoena.*
LXV. *De compoſitione homicidij.*
LXVI *De homine in hoſte occiſo.*
LXVII. *De eo qui alterum hereburgium clamauerit.*
LXVIII. *De caballo excorticato.*
LXIX. *De eo qui hominem de bargo vel de furca dimiſerit.*
LXX. *De eo qui filiam alienam quæſierit & ſe retraxerit.*
LXXI. *De terra condemnata.*

LIBER

# LIBER LEGIS SALICÆ.

## TIT. I.

*De mannire.*

1. SI quis ad mallum legibus dominicis mannitus fuerit, & non venerit: ſi eum ſunnis non detinuerit, DC. denariis, qui faciunt ſolidos XV. culpabilis iudicetur.

2. Ille verò qui alium mannit, ſi non venerit, & eum ſunnis non detinuerit, ei quem manniuit, ſimiliter DC. den. qui faciunt ſol. XV. componat.

3. Ille autem qui alium mannit, cum teſtibus ad domum illius ambulet, & ſic eum manniat, aut vxorem illius, vel cuicunque de familia illius denunciet, vt ei faciat notum, quomodo ſit ab illo mannitus.

4. Nam ſi in iuſſione regis fuerit occupatus, manniri non poteſt.



Digitized by Google

5. Si verò infra pagum in ſua ratione fuerit, poteſt manniri ſicut ſuperiùs dictum eſt.

*II. De furtis porcorum.*

1. SI quis porcellum lactantem furauerit de hranne prima aut de mediana, & inde fuerit conuictus, cxx. den. qui faciunt ſol. iij. culp. iud. excepto capitali, & dilatura.

2. Si verò in tertia hranne furauerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis porcellum de ſude furauerit, quæ clauem habet, ıdccc. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iudic. exc. cap. & dil.

4. Si quis porcellum in campo inter porcos ipſo porcario cuſtodiente furauerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. excepto cap. & dil.

5. Si quis porcellum furauerit, qui ſine matre viuere poteſt, xl. den. qui faciunt ſolidum i. culp. iud. exc. cap. & dilat.

6. Si quis ſcrouam ſubbattit in furto, hoc eſt porcellos à matre ſubtrahit, cclxxx. den. qui faciunt ſol. vij. culp. iud. excep. cap. & dil.

7. Si quis ſcrouam cum porcellis furauerit, dcc. den. qui faciunt ſol. xvij. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

8. Si quis porcellum anniculum furauerit, cxx. den. qui faciunt ſol. iij. culp. iud. exc. cap. & dilat.

9. Si quis porcum bimum furauerit, dc. den. qui

faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

10. Si quis tertuſſum porcellum furauerit vſque ad anniculatum, cxx. den. qui faciunt ſol. iij. culp. iud. excep. cap. & dil.

11. Si quis verò porcum poſt anniculatum furauerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

12. Si quis verrum furauerit, dcc. den. qui faciunt ſol. xvij. S. culp. iud. exc. capit. & dil.

13. Si quis ſcrouam ducariam furauerit, dcc. den. qui faciunt ſol. xvij. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

14. Si quis maialem ſacriuum, qui dicitur votiuus, furauerit, & hoc cum teſtibus ille, qui eum perdidit, potuerit adprobare, quòd ſacriuus fuiſſet, dcc. den. qui faciunt ſol. xvij. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

15. Si quis maialem non ſacriuum furauerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

16. Si quis tres porcos vel ampliùs vſque ad ſex capita furauerit, iccccc. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

17. Si quis de grege xv. porcos furauerit, & reliqui ibi remanſerint, icccc. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. excep. cap. & dil.

18. Si quis xxv. porcos furauerit, & de grege illo ampliùs non fuerit, ııd. den. qui faciunt ſol. lxij. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

19. Si autem aliqui ex iiſdem porcis ſupra xxv. porcos remanſerint, & non fuerint furati, icccc. den. qui faciunt ſol. xxxv. cul. iud. exc. cap. & dil.



Digitized by Google

20. Si verò l. porcos furauerit, & aliqui remanſerint, IID. den. qui faciunt ſol. lxij. S. culp. iud. exc. cap. & dilatura.

*III. De furtis animalium.*

1. SI quis vitulum lactantem furauerit, cxx. den. qui faciunt ſol. iij. culp. iud. exc. cap. & dil.

2. Si quis anniculum animal, aut bimam vitulam furatus fuerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis vaccam cum vitulo furauerit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dilatura.

4. Si quis vaccam ſine vitulo furauerit, ICC. den. qui faciunt ſol. xxx. culp. iud. exc. cap & dil.

5. Si quis vaccam domitam furauerit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

6. Si quis bouem furauerit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dilatura.

7. Si quis taurum gregem regentem furauerit, qui de tribus villis communes vaccas tenuerit, hoc eſt, treſpellius, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud. excepto cap. & dilatura.

8. Si quis taurum furauerit, qui vnum gregem regit, & iunctus nunquam fuit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

9. Si quis bimum taurum furauerit, ICCCC den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

10. Si quis taurum regis furauerit, IIIDC. den. qui faciunt ſol. xc. culp. iud. exc. cap. & dil. *Taurean bannal.*

11. Si quis xij. animalia furauerit, vt nec vnum quidem animal ex eis remanſerit, IID. den. qui faciunt ſol. lxij. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

12. Si autem xij. furauerit, & inſuper aliqua remanſerint, ICCCC. den qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dilatura. Et vſque ad xxv. vno iudicio terminantur.

13. Si quis xxv. animalia furauerit, & inſuper aliqua remanſerint, IID. den. qui faciunt ſol. lxij. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

## *IV. De furtis ouium.*

1. SI quis agnum lactantem furauerit, VII. den. culpabilis iudicetur, excepto capit. & dilat.

2. Si quis anniculum vel bimum berbicem furauerit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si verò II. aut III. furauerit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. xxxv. culpabilis iudicetur, exc. cap. & dil. qui numerus vſque ad xl. beruices obſeruetur.

4. Si verò l. berbices aut lx. vel ampliùs furauerit, IID. den. qui faciunt ſol. lxij. S. culp. iud. exc. cap. & dil.



Digitized by Google

### *V. De furtis caprarum.*

1. SI quis capritum ſiue capram, aut duas capras vel tres furatus fuerit, cxx. den. qui faciunt ſol. iij cul. iudicetur, excepto capit. & dilat.

2. Si verò ſupra tres capras furauerit, dc. den. qui faciunt ſol. iij. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis buccum furauerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

### *VI. De furtis canum.*

1. SI quis canem Seuſium furauerit, aut occiderit, qui magiſter ſit, IↃCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp iudicetur. excep. capitali & dilatura.

2. Si quis verò Seuſium reliquum, aut Veltrem porcarium, ſiue Veltrem leporarium, qui & Argutarius dicitur, furatus fuerit vel occiderit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis verò canem cuſtodem domus ſiue curtis, qui in die ligari ſolet, ne damnum faciat, poſt ſolis occaſum ſolutum furatus fuerit vel occiderit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

4. Si quis verò canem paſtoralem furatus fuerit, vel occiderit, cxx. den. qui faciunt ſol. iij. culp. iud. exc. cap. & dil.

Digitized by Google

*VII. De furtis auium.*

1. SI quis acceptorem de arbore furauerit, cxx. den. qui faciunt ſol. iij. culpabilis iudicetur, exc. cap. & dil.

2. Si quis acceptorem de pertica furauerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis acceptorem intra clauem repoſitum, furauerit, ɪᴅᴄᴄᴄ. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

4. Si quis ſparuarium furauerit, cxx. den. qui faciunt ſol. iij. culp. iud. exc. cap. & dil.

5. Si quis anſerem domeſticum aut anetam furauerit, cxx. den. qui faciunt ſol. iij. culp. iud. exc. cap. & dil.

6. Si quis gallum aut gallinam furauerit, vel cygnum aut gruam domeſticam, cxx. den. qui faciunt ſol. iij. culp. iud. exc. cap. & dil.

7. Si quis turturem de reti alterius, aut quamlibet auiculam de quolibet laqueo vel decipula furatus fuerit, cxx. den. qui faciunt ſol. iij. culp. iud. exc. cap. & dil.

*VIII. De furtis arborum.*

1. SI quis pomarium ſiue quamlibet arborem domeſticam extra clauſuram exciderit, aut furatus fuerit, cxx. den. qui faciunt ſol. iij. culp. iudicetur, excepto capit. & dil.

2. Si quis verò pomarium aut quamlibet arborem domeſticam infra clauſuram exciderit, aut furatus fuerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culpabilis iud. exc. cap. & dil.

3. Hanc quoque legem & de vitibus furatis obſeruari iuſſimus.

4. Si quis in ſilua alterius matriamen furatus fuerit, aut incenderit, vel concapulauerit, aut ligna alterius furauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

*IX. De furtis apium.*

1. SI quis vnum vas apium deintro claue aut ſub tecto furauerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud. excepto capit. & dil.

2. Si quis vnum vas cum apibus, vbi ampliùs non fuerit, furauerit, IDCCC. denariis, qui faciunt ſol. xlv. culpabilis iudicetur, exc. cap. & dil.

3. Si quis vnum vas cum apibus inter alia vaſa ſub tecto aut ſub claue furauerit, cauſam ſuperiùs comprehenſam conuenit obſeruari.

4. Si verò vnum vas cum apibus foris tecto, vbi ampliùs non fuerit, furauerit, cauſam ſuperiùs comprehenſam componat.

5. Si quis ex plurimis vſque ad ſex vaſa foris tecto furauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

6. Si verò ſeptem aut ampliùs furauerit, & adhuc

huc aliqua remanſerint, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp iud. exc. cap. & dil.

7. Si autem ſeptem aut ampliùs furauerit, ita vt nulla remaneant, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

*X. De damno in meſſe vel in qualibet clauſura.*

1. SI quis animal, aut caballum, vel quodlibet pecus in meſſe ſua inuenerit, penitus eum lædere non debet.

2. Quòd ſi fecerit, & confeſſus fuerit, capitale in locum reſtituat, ipſum verò debile quod percuſſit, ad ſe recipiat.

3. Si verò confeſſus non fuerit, & inde fuerit conuictus, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

4. Si quis animal aut caballum aut iumentum in furto punxerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

5. Si quis in meſſe ſua, pecora aliena inuenerit, quæ paſtorem non habeant, & ea inclauſerit, vt nulli penitus innoteſcat, & aliqua ex ipſis pecoribus perierint, ICCCC. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

6. Si quis animal vel quodlibet pecus per ſuam negligentiam nocuerit, & hoc domino eius confeſſus fuerit, capitale in locum reſtituat, & illud debile ad ſe recolligat.

7. Si verò negauerit, ſed tamen conuictus fue-

rit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

8. Si alicuius porci aut quælibet pecora paſtore cuſtodiente in meſſem alienam cucurrerint, & ille negando fuerit conuictus, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

9. Si qua pecora propter damnum meſſis alienæ inclauſa fuerint, aut minentur, qui ea executere vel expellere præſumpſerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culpabilis iud. exc. cap. & dil.

10. Si alicuius pecora propter damnum inclauſa fuerint, damnum æſtimatum reddat, & inſuper x. den. perſoluat.

11. Si quis propter inimicitiam aut propter ſuperbiam ſepem alienam aperuerit, aut in meſſem, aut in pratum, vel in vineam, ſiue in quemlibet laborem quælibet pecora miſerit, & teſtibus fuerit conuictus, ei cuius labor eſt, æſtimationem damni reddat, & inſuper icc. denar. qui faciunt ſol. xxx. culp. iud.

### *XI. De ſeruis vel mancipiis furatis.*

1. SI quis ſeruum aut ancillam alterius furauerit, icccc. den. qui faciunt ſol. xxxv. culpabilis iudic. exc. cap. & dil.

2. Si ſeruus aut ancilla cùm ipſo ingenuo de rebus domini ſui aliquid portauerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. exc. cap. & dilat. atque cauſam, quam ſuperiùs diximus, culpabilis iudicetur.

3. Si quis ſeruum alienum occiderit aut vendiderit, vel ingenuum dimiſerit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

4. Si quis homo ingenuus alienum ſeruum in texaga ſecum duxerit, aut aliquid cum eo negociauerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

5. Si quis ſeruum aut ancillam valentem ſol. xv. aut xxv. furauerit, aut vendiderit, ſeu porcarium, aut fabrum, ſiue vinitorem, vel molinarium, aut carpentarium, ſiue venatorem, aut quemcunque artificem, IIDCCC. den. qui faciunt ſol. lxx. culp. iud. exc. cap. & dil.

6. Si quis puerum aut puellam de miniſterio dominorum furauerit, I. den. qui faciunt ſol. xxv. in capitale reſtituat, & inſuper mille cccc. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud.

## *XII. De furtis ingenuorum vel infracturis.*

1. SI quis ingenuus foris caſa quod valet duos den. furauerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culpabilis iud. exc. cap. & dil.

2. Si verò foris caſa quod valet xl. den. furauerit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis ingenuus caſam effregerit, & quod valet duos den. furauerit, ICC. den. qui faciunt ſol. xxx. culp. iud. exc. cap. & dil.

4. Si verò v. aut ſupra v. den. furauerit, ICCCC.



Digitized by Google

den. qui faciunt ſol. xxxv. culpabilis iud. exc. cap. & dil.

5. Si quis ingenuus clauem effregerit aut adulterauerit, & ſic domum ingreſſus fuerit, & inde aliquid per furtum tulerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culpabilis iudicetur, exc. capit. & dilat.

6. Si verò nihil tulerit, ſed fugiens euaſerit, propter effracturam tantùm, ICC. den. qui faciunt ſol. xxx. culpabilis iud.

## *XIII. De furtis ſeruorum.*

1. SI quis ſeruus foris caſa quod valet duos den. furauerit, & inde conuictus fuerit, aut flagellis, cxx. ictus accipiat, aut pro dorſo ſuo, cxx. den. qui faciunt ſol III culp. iud.

2. Si verò furauerit quod valet xl. den. aut caſtretur, aut ccxl. den. qui faciunt ſol. VI. reddat. Dominus autem ſerui, qui furtum fecerit, capitale in locum reſtituat.

## *XIV. De ingenuis hominibus, qui ingenuas mulieres rapiunt.*

1. SI tres homines ingenuam puellam de caſa aut de ſcreona rapuerint, vnuſquiſque eorum ICC. den. qui faciunt ſol. xxx. culp. iudicetur.

2. Illi verò alij qui ſuper tres fuerint, vnuſ-

quiſque eorum cc. den. qui faciunt ſol. v. culp. iudicetur.

3. Qui cum ſagittis fuerint, vnuſquiſque eorum cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud.

4. Raptor verò, IID. den. qui faciunt ſol. lxII. S. culp. iud.

5. Si verò puella quæ trahitur, in verbo regis fuerit, propter fredum, IID. den. qui faciunt lxII. S. cogatur perſoluere.

6. Si verò puer regis vel litus ingenuam fœminam traxerit, de vita componat.

7. Si verò ingenua fœmina quemque de illis ſua voluntate ſecuta fuerit, ingenuitatem ſuam perdat.

8. Si quis ſponſam alienam tulerit, & ſibi in coniugium copulauerit, IID. den. qui faciunt ſol. lxII. S. culp. iud.

9. Sponſo autem eius, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iudicetur.

10. Si quis puellam, quæ druchte ducitur ad maritum, in via adſalierit, & cum ipſa violenter mœchatus fuerit, VIII. den. qui faciunt ſol. cc. culp. iud.

11. Si quis ingenuus ancillam alienam in coniugium acceperit, ipſe cum ea in ſeruitium implicetur.

12. Si quis vxorem alienam viuo marito tulerit, VIII. den. qui faciunt ſol. cc. culp. iud.

13. Si quis cum ingenua puella per virtutem mœchatus fuerit, IID. den. qui faciunt ſol. lxij. S. culp. iud.

14. Si quis cum ingenua puella deſponſata ea conſentiente in occulto mœchatus fuerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud.

15. Si quis lidam alienam in coniugium ſociauerit, ICC. den. qui faciunt ſol. xxx. culpabilis iudicetur.

16. Si quis ſororis, aut fratris filiam, aut certè alterius gradus conſobrinam, aut fratris vxorem, aut auunculi, ſceleratis nuptiis ſibi iunxerit, huic pœnæ ſubiaceat, vt à tali conſortio ſeparetur. Atque etiam ſi filios habuerint, non habeantur legitimi hæredes, ſed infamia ſint notati.

*XV. De eo qui hominem ingenuum expoliauerit.*

1. SI quis hominem ingenuum in ſuperuentu expoliauerit, IID. den. qui faciunt ſol. lxij. S. culpabilis iud.

2. Si Romanus homo Francum expoliauerit, IID. den. qui faciunt ſol. lxij. S. culpabilis iudicetur.

3. Si verò Francus Romanum expoliauerit, ICC. den. qui faciunt ſol. xxx. culp. iud.

4. Si quis hominem præceptum regis habentem contra ordinationem regis adſalire, vel viæ lacinam ei * facere præſumpſerit, viij. den. qui faciunt ſol. CC. culp. iud.

* *Germ. edit.* reſtare

5. Si quis hominem ingenuum dormientem furtu expoliauerit, IIII. den. qui faciunt ſol. c. culpabilis iudicetur, excepto capitali & dilatura.

Digitized by Google

### *XVI. De eo qui villam alienam adſalierit.*

1. SI quis villam alienam adſalierit, ipſe & omnes qui conuicti fuerint, quòd in eius conturbernio fuiſſent, IID. den. qui faciunt ſol. lxij. S. vnuſquiſque ipſorum culp. iud.

2. Si quis villam alienam adſalierit, & ibidem oſtia fregerit, canes occiderit, vel homines plagauerit, aut in carro aliquid inde abduxerit, VIII. den. qui faciunt ſol. cc. culp. iud. & quicquid inde abſtulerit in locum reſtituat.

3. Et quanticunque in eius conturbernio fuiſſe conuicti fuerint, vnuſquiſque illorum, IID. den. qui faciunt ſol. lxij. S. culp. iud.

### *XVII. De eo qui mortuum hominem expoliauerit.*

1. SI quis hominem mortuum antequam in terram mittatur furtu expoliauerit, IIII. den. qui faciunt ſol. c. culp. iud.

2. Si quis hominem mortuum effoderit, & expoliauerit, viij. den. qui faciunt ſol. cc. culp. iud. Et poſtea parentes defuncti iudicem rogare debent, vt inter homines non habitet auctor ſceleris, & qui ei hoſpitium dederit antequam parentibus ſatisfaciat, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

3. Si quis mortuum hominem aut in noſſo, aut in petra, quæ vaſa ex vſu ſarcophagi dicun-

tur, ſuper alium miſerit, IID. den. qui faciunt ſol. lxij. S. culp. iud.

4. Si quis ariſtatonem ſuper hominem mortuum capulauerit, de * vnoquoque DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

* *Ergo* plures

## *XVIII. De incendiis.*

1. SI quis caſam quamlibet intus hominibus dormientibus incenderit, ei cuius caſa fuit, IID. den. qui faciunt ſolidos lxij. S. culpabilis iudicetur, excepto capitali & dilatura. Et quanticunque intus fuerint, & euaſerint, mallare eum debent, & vnicuique illorum, IID. den. qui faciunt ſol. lxij. S. componat, & quicquid ibi perdiderint, in locum reſtituat. Et ſi aliquis intus arſerit, ille qui incendium miſit parentibus defuncti VIII. den. qui faciunt ſol. cc. culp. iud.

2. Si quis ſpicarium aut macholum cum annona incenderit, IID. denar. qui faciunt ſol. lxii. S. culpabil. iud. excepto capitali & dilatura.

3. Si quis ſudem cum porcis, ſcuriam cum animalibus, vel fenile incenderit, IID. denar. qui faciunt ſol. lxii. S. culpabilis iudicetur, excepto capitali & dilatura.

4. Si quis conciſam vel ſæpem alterius capulauerit, vel incenderit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

5. Si

## *XIX. De vulneribus.*

1. SI quis voluerit alterum occidere, & colpus ei fallierit, vel cum ſagitta toxicata eum percutere voluerit, & ei ictus fallierit, IID. denar. qui faciunt ſol. lxij. S. culpabilis iudicetur.

2. Si quis hominem in capite ita plagauerit, vt ſanguis ad terram cadat, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

3. Si quis hominem in capite ita plagauerit, vt inde tria oſſa exeant, ICC. den. qui faciunt ſol. xxx. culp. iud.

4. Si quis hominem in capite ita plagauerit, vt cerebrum appareat, & tria oſſa deſuper cerebrum exierint, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud.

5. Si verò intra coſtas vulnus intrauerit & vſque ad intrania peruenerit, ICC. den. qui faciunt ſol. xxx culp. iud.

6. Si verò plaga ipſa ſemper currit, & ad ſanitatem non peruenerit, IID. den. qui faciunt ſol. lxij. S. culp. iud. excepta medicatura, quæ eſt ccclx. den. qui faciunt ſol. IX.

7. Si quis ingenuus ingenuum fuſte percuſſerit, & tamen ſanguis non exierit, vſque ad tres colpos, pro vnoquoque ictu cxx. den. qui faciunt ſol. III. ſoluat.

8. Si verò ſanguis exierit, ita componat, velu-

ti eum de ferramento vulneraſſet, id eſt, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

9. Si quis alterum clauſa manu, id eſt, pugno percuſſerit, ccclx. den. qui faciunt ſol. ix. culp. iud. videlicet vt pro vnoquoque ictu, iij. ſol. reddat.

10. Si quis alterum in via adſalierit, & expoliare tentauerit, & ille fuga euaſerit, ICC. den. qui faciunt ſol. xxx. culp. iud.

11. Si verò ceperit eum & expoliauerit, IID. qui faciunt ſol. lij. S. culp. iud. exc. capitali & dilatura.

*XX. De eo qui hominem innocentem & abſentem ad regem accuſauerit.*

1 SI quis hominem innocentem & abſentem de culpis minoribus ad regem accuſauerit, IID. den. qui faciunt ſol. xxx. culpabilis iudicetur.

2. Si verò tale crimen imputauerit, vnde mori debuiſſet ſi verum fuiſſet, ille qui eum accuſauerit, viij. den. qui faciunt ſol. cc. culp. iud.

*XXI. De maleficiis.*

1. SI quis alteri herbas dederit bibere, & mortuus fuerit, viij. den. qui faciunt ſol. cc. culpabilis iud.

2. Si verò biberit, & mortuus non fuerit, IID.

den. qui faciunt ſol. lxij. S. ille qui dedit pro aliquo maleficio, culp. iud.

3 Si quis alteri aliquod maleficium ſuperiactatus fuerit, ſiue cum ligaturis in quolibet loco miſerit, IID. den. qui faciunt ſol. lxii. S. culp. iud.

4. Si quis mulieri herbas dederit, vt infantes habere non poſſit, IID. den. qui faciunt ſolidos lxij. S. culp. ind.

*XXII. De eo qui mulieri ingenuæ manum ſtrinxerit.*

1. SI quis homo ingenuus fœminæ ingenuæ manum aut digitum ſtrinxerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv culp. iud.

2. Si verò brachium ſtrinxerit, ICC. den. qui faciunt ſol. xxx. culp. iud.

3. Si autem ſuper cubitum manum miſerit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud.

4. Si ergo mamillam ſtrinxerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud.

*XXIII. De eo qui nauem ſine permiſſu domini mouerit aut furauerit.*

1. SI quis ſine permiſſu nauem alienam mouere præſumpſerit, & cum ea flumen tranſierit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud.

2. Si verò ipſam nauem furauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis nauem vel aſcum de intro clauem

furauerit, ɪↄↄↄↄ. denar. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

4. Si quis aſcum de intro clauem repoſitum, & in ſuſpenſo pro ſtudio poſitum furauerit, ɪↄccc. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

*XXIV. De furtis in molino commiſſis.*

1. SI quis ingenuus in molino alieno annonam furauerit, ei cuius molinus eſt, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. ei verò cuius annona eſt, ſimiliter DC. den. qui faciunt ſol. xv. culpabilis iudicetur, excepto capit. & dilat.

2. Si quis ferramentum de molino alieno furauerit, ɪↄccc. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis ſcluſam de farinario alieno ruperit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

*XXV. De caballo ſine permiſſu domini ſui aſcenſo.*

1. SI quis caballum ſine permiſſu domini ſui aſcenderit, & eum caballicauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. Et pro eo quia deſcenderit, ſimiliter aliis DC. denar. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

*XXVI. De his qui pueros vel puellas occiderint, vel totonderint.*

1. SI quis puerum infra duodecim annos ſiue crinitum, ſiue incrinitum occiderit,

xxiii. den. qui faciunt ſol. DC. culp. iud.

2. Si quis puerum crinitum ſine voluntate parentum totonderit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp iud.

3. Si verò puellam totonderit, IID. den. qui faciunt ſol. lxij. S. culp. iud.

4. Si quis fœminam grauidam occiderit, xxviii. den. qui faciunt ſol. DCC. culpabilis iudicetur.

5. Si quis infantem in ventre matris ſuæ, aut natum antequam nomen habeat infra VIII. noctes occiderit, IIII. denar. qui faciunt ſol. c. culp. iud.

6. Si quis puellam ingenuam infra annos antequam infantes poſſit habere occiderit, VIII. den. qui faciunt ſol. cc. culp. iud.

7. Si quis fœminam ingenuam poſtquam infantes cœpit habere, occiderit, xxiv. den. qui faciunt ſol. DC. culp. iud.

8. Si quis fœminam poſtquam infantes habere non potuerit, occiderit, VIII. den. qui faciunt ſol. cc. culp. iud.

9. Si quis puer infra duodecim annos aliquam culpam commiſerit, fredus ei non requiratur.

### XXVII. *De adulteriis ancillarum.*

1. SI quis ingenuus cum aliena ancilla mœchatus fuerit, DC. denar. qui faciunt ſol. xv. culpabilis iudicetur.

2. Si quis verò cum regis ancilla mœchatus fuerit, ICC. den. qui faciunt ſol. xxx. culpabilis iudicetur.

3. Si quis Francus alienam ancillam ſibi publicè iunxerit, ipſe cum ea in ſeruitio permaneat.

4. Si ſeruus cum ancilla aliena mœchatus fuerit, & de ipſo crimine mortua fuerit, ſeruus ipſe aut caſtretur, aut ccxl. den. qui faciunt ſol. VI. culpabilis iud. Dominus verò ſerui capitale in locum reſtituat.

5. Si autem ancilla propter hoc mortua non fuerit, ſeruus ipſe aut cxx. ictus accipiat, aut cxx. den. qui faciunt ſol. iij. domino ancillæ cogatur perſoluere.

6 Si quis ſeruus ancillam alienam ſine voluntate domini ſui ſibi in coniugium copulauerit, cxx. den. qui faciunt ſol. iij. culp. iud. aut cxx. ictus accipiat.

## *XXVIII. De libertis dimiſſis.*

1. SI quis lidum alienum, qui cum domino ſuo in hoſte fuerit, ſine conſilio domini ſui ante regem per denarium ingenuum dimiſerit, IIII. den. qui faciunt ſol. c. culp. iud. res verò ipſius lidi legitimo domino reſtituantur.

2. Si quis ſeruum alienum ante regem per denarium ingenuum dimiſerit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. & capitale in locum

Digitized by Google

reſtituat, & res ſerui ipſius proprius dominus recipiat.

### XXIX. *De furtis diuerſis.*

1. SI quis tintinnum de porcina aliena furauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culpabilis iudicetur.

2. Si verò de pecoribus tintinnum furauerit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud.

3. Si quis ſkellam de caballis furauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

4. Si quis pedicam de caballis furauerit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud.

5. Si caballi ipſi perierint, capitale in locum reſtituat.

6. Si quis meſſem alienam per furtum metere, aut * reſſare præſumpſerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. * *Germ.* repaicere

7. Si quis hortum alienum ad furtum faciendum ingreſſus fuerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

8. Si quis impotos de milario, aut de pyrario * tulerit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud. * *Germ.* diruperit

9. Si verò in horto fuerint, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

10. Si quis milarium aut pyrarium decorticauerit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culpabilis iudicetur.

11. Si verò in horto fuerint, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

12. Si quis cultellum alienum furauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

13. Si quis in napinam, in fabariam, in piſariam, in lenticulariam, vel in his ſimilia ad furtum faciendum ingreſſus fuerit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud.

14. Si quis in campo alieno linum furauerit, & hoc in caballo aut in carro duxerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

15. Si verò tantum tulerit, quantum in dorſo ſuo portare potuerit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

16. Si quis in agro alieno arborem inſertam exciderit, ICC. den. qui faciunt ſol. xxx. culpabilis iudicetur.

17. Si quis campum alienum arauerit & ſeminauerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culpabilis iudicetur.

18. Si verò tantùm arauerit, & non ſeminauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culpabilis iud.

19. Si quis aratrum in campum alienum intrare prohibuerit, vel arantem foras iactauerit vel teſtauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culpabilis iudicetur.

20. Si quis pratum alienum ſecauerit, laborem ſuum perdat, & inſuper DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

21. Et ſi inde fœnum ad domum ſuam in carro duxerit, & diſcargauerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

22. Si

Digitized by Google

22. Si verò tantum tulerit, quantum in dorſo ſuo portare potuerit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

23. Si quis vineam alienam per furtum vindemiauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culpabilis iudicetur.

24. Et ſi inde vinum in carro ad domum ſuam adduxerit, & diſcargauerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xl. culp. iud. exc. cap. & dil.

25. De meſſibus autem ſimiliter conuenit obſeruare.

26. Si quis clauſuram alienam ruperit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

27. Si quis in ſylua materiamen alienum aut incenderit aut capulauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

28. Si quis materiamen de vna parte dolatum furauerit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culpabilis iudicetur.

29. Si quis arborem poſt annum quàm fuerit ſignata, capulare præſumpſerit, nullam exinde habeat culpam.

30. Si infra annum quis eam capulauerit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud.

31. Si quis rete ad anguillas capiendas de flumine furauerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud.

32. Si quis ſtatuam aut tremaclum vel vertuolum de flumine furauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.



Digitized by Google

33. Si quis ſcreonam, quæ clauem habet, effregerit, & aliquid furauerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud.

34. Et ſi inde nihil tulerit, pro ſola effractura DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

35. Si verò ſcreonam quæ ſine claue eſt effregerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

36. Si quis cum ſeruo alieno ſine conſenſu domini ſui aliquid negociauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

37. Si quis mulieri brachile furauerit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud.

38. Si quis caſam alienam ſine permiſſu poſſeſſoris traxerit, ICC. den. qui faciunt ſol. xxx. culpabilis iudicetur.

## XXX. *De locationibus.*

1. SI quis furtim aliquem locauerit, vt hominem interficiat, & precium propter hoc dederit, IID. den. qui faciunt ſol. lxII. S. culpabilis iudicetur.

2. Similiter & ille qui precium accepit, vt hominem occideret, IID. den. qui faciunt ſol. lxII. S. culpabilis iud.

3. Si verò per tertium locatio ipſa fuerit tranſmiſſa, IID. den. qui faciunt ſol. lxII. S. culp. iud. Sic dans, accipiens, portans, vnuſquiſque illorum culp. iud.

### XXXI. De debilitatibus.

1. SI quis alteri manum aut pedem truncauerit, vel oculum effoderit, aut auriculam vel naſum amputauerit, IIII. den. qui faciunt ſol. c. culp. iud.

2. Si verò manus ipſa ibidem mancata pependerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culpabilis iudicetur.

3. Si manus ipſa perexcuſſa fuerit, IID. den. qui faciunt ſol. lxII. S. culp. iud.

4. Si quis pollicem de manu vel pede excuſſerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culpabilis iudicetur.

5. Si verò ipſe pollex mancatus pependerit, ICC. den. qui faciunt ſol. xxx. culp. iud.

6. Si ſecundum digitum, quo ſagittatur, excuſſerit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. xxxv. culpabilis iudicetur.

7. Si quis tres ſequentes digitos pariter vno ictu excuſſerit, IDCCC. denar. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud.

8. Si quis medium digitum excuſſerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

9. Si quis quartum digitum excuſſerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iudicetur.

10. Si minimum excuſſerit, pariter DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

11. Si quis pedem alterius capulauerit, & ibi

mancatus remanſerit, IↃCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iudicetur.

12. Si verò pes ipſe perexcuſſus fuerit, IID. den. qui faciunt ſol. lxII. S. culp. iud.

13. Si quis alteri oculum euellerit, IID. den. qui faciunt ſol. lxIII. S. culp. iud.

14. Si naſum excuſſerit, IↃCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iudicetur.

15. Si auriculam excuſſerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

16. Si quis linguam alterius amputauerit, vt loqui non poſſit, IIII. den. qui faciunt ſol. c. culp. iud.

17. Si dentem excuſſerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culpabilis iudicetur.

18. Si quis ingenuus ingenuum caſtrauerit, aut virilia * truncauerit, vt mancus fiat, IIII. den. qui faciunt ſol. c. culp. iud.

* *Germ.* capulauerit

19. Si verò ad integrum tulerit, VIII. den. qui faciunt ſol. cc. culp. iud.

## *XXXII. De conuiciis.*

1. SI quis alterum cenitum clamauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

2. Si quis alterum concagatum clamauerit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud.

3. Si quis alterum vulpiculam clamauerit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud.

4. Si quis alterum leporem clamauerit, ccxl. den. qui faciunt ſol. vI. culp. iud.

5. Si quæ mulier ingenua aut vir mulierem meretricem clamauerit, & non poterit adprobare, ſol. xlv. culp. iud.

6. Si quis alteri imputauerit, quòd ſcutum ſuum proieciſſet in hoſte, vel fugiendo præ timore, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud.

7. Si quis alterum delatorem clamauerit, & non potuerit comprobare, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

8. Si quis alterum falſatorem clamauerit, & non potuerit comprobare, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

### *XXXIII. De via lacinia.*

1. SI quis Baroni viam ſuam obſtauerit, aut eum impinxerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culpabilis iudicetur.

2. Si quis mulieri ingenuæ viam ſuam obſtauerit, vel eam impinxerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud.

3. Si quis viam quæ ad farinarium ducit, clauſerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

### *XXXIV. De eo qui hominem ingenuum ſine cauſa ligauerit.*

1. SI quis hominem ingenuum ſine cauſa ligauerit, ICC. denar. qui faciunt ſol. xxx. culpabilis iudicetur.

2. Si verò eum ligatum in aliquam partem

duxerit, ıↃCCC. den. qui faciunt ſolidos xlv. culpabilis iudicetur.

3. Si Romanus Francum ligauerit ſine cauſa, ıcc. den. qui faciunt ſol. xxx. culp. iud.

4. Si autem Francus Romanum ligauerit ſine cauſa, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

5. Si quis hominem noxium ligatum per vim tulerit grafioni, vitam ſuam redimat.

### *XXXV. De venationibus.*

1. SI quis de diuerſis venationibus aliquid aut furauerit aut celauerit, ıↃCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud. quàm legem tam de venationibus quàm & de piſcationibus conuenit obſeruare.

2. Si quis ceruum domeſticum ſignum habentem aut occiderit aut furauerit, qui ad venationem faciendam manſuetus factus eſt, & cum teſtibus comprobare dominus eius potuerit, quòd eum in venatione habuiſſet, & cum ipſo duas aut tres feras occidiſſet, ıↃCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud.

3. Si quis verò ceruum domeſticum qui in venatione adhuc non fuit, aut occiderit aut furauerit, ıcccc. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud.

4. Si quis ceruum quem alterius canes mouerunt aut laſſauerunt, occiderit & celauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

5. Si quis aprum laſſum quem alieni canes mo-

uerunt, occiderit, vel furauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

### *XXXVI. De ſepibus.*

1. SI quis tres virgas cum quibus ſepes ſuperligata eſt, vel retortas quibus ſepes continetur, capulauerit, aut tres camborțas exceruicauerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

2. Si quis per alienam meſſem poſtquam germina produxerit, herpicem traxerit, aut cum carro ſine via tranſierit, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud.

3. Si quis per meſſem alienam poſtquam in culmum erigitur, ſine via cum carro tranſierit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

4. Si quis per malum ingenium in curtem alterius, vel in caſam, vel vbicunque miſerit aliquid, quod furatum eſt, neſciente domino cuius poſſeſſio eſt, & ibidem inuentum fuerit, ille qui per malum ingenium hoc miſerit, II D. den. qui faciunt ſol. lxII. S. culpabilis iudicetur.

### *XXXVII. De homicidiis ſeruorum vel ancillarum.*

1. SI quis ſeruus ſeruum aut ancillam ſibi conſimilem occiderit, homicidam illum domini inter ſe diuidant.

2. Si quis ingenuus ſeruum alienum adſallierit, & expoliauerit, & conuictus fuerit, quòd ei

plus quàm xl. denar. valeant tuliſſet, ɪcc. den. qui faciunt ſol. xxx. culp. iud.

3. Si verò minus quàm xl. den. valent tulerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

4. Si quis ſeruum alienum * flagellauerit, & in xl. noctibus operare non potuerit, xl. denar. qui faciunt ſol. ɪ. & trianti vno quod eſt tertia pars ſolidi, culpabilis iudicetur.

* *Germ.* batterit

5. Si quis homo ingenuus lidum alienum expoliauerit, ɪcccc. den. qui faciunt ſol. xxxv. culpabilis iud.

6. Si quis ſeruum alienum mortuum per furtum expoliauerit, & ſpolia ipſa plus quàm xl. denar. valeant, ɪcccc. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud.

7. Si autem ſpolia minus quàm xl. den. valeant, DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

8. Si ſeruus ingenuum hominem occiderit, ipſe homicida pro medietate compoſitionis hominis occiſi parentibus tradatur, aliam medietatem dominus ſerui ſe nouerit ſoluturum, aut ſi legem intellexerit, potuerit ſe obmallare vt leudem non ſoluat.

## *XXXVIII. De quadrupedibus ſi hominem occiderint.*

1. SI quis homo à qualibet pecude domeſtica fuerit occiſus, & hoc parentes illius teſtibus potuerint comprobare, quòd dominus pecudis antea legem non adimpleuerit, medietatem compo-

compoſitionis dominus ipſius quadrupedis cogatur exoluere: ipſum verò quadrupedem, qui eſt auctor criminis, pro medietate compoſitionis reſtituat requirenti, eo videlicet modo ſi dominus quadrupedis non intellexerit ſecundùm legem ſe defendere.

## *XXXVIIII. De veſtigio minando.*

1. SI quis bouem aut caballum vel quodlibet animal ſibi furatum perdiderit, & eum per veſtigium ſequendo fuerit conſecutus infra tres noctes, & ille qui eum ducit ſe comparaſſe aut cambiaſſe dixerit, vel proclamauerit, ille qui per veſtigium ſequitur res ſuas, debet per tertiam manum adhramire. Si verò iam tribus noctibus exactis, qui res ſuas quæſierit, & inuenerit, ille apud quem inueniuntur, ſi eas emiſſe aut cambiaſſe ſe dixerit, liceat ei adhramire. Quòd ſi ille qui per veſtigium ſequitur, quod ſe agnoſcere dicit illo alio reclamante per* tertiam manum adhramire noluerit, nec ſolem ſecundùm legem culcauerit, ſed ei violenter quod ſe agnoſcere dicit, tuliſſe conuincitur, ICC. den. qui faciunt ſol. xxx. culp. iud.

* *Germ.* non offerre per tertiam manum voluerit

## *XL. De caballis furatis.*

1. SI quis caballum qui carrucam trahit, furauerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

g

2. Si quis Vuaranionem homini Franco furauerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis caballum ſpadatum furauerit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. XXXV. culp. iud. excepto capitali & dilatura.

4. Si quis Vuaranionem regis furauerit, IIIDC. den. qui faciunt ſol. XC. culp. iud. excepto capitali & dilatura.

5. Si quis admiſſarium cum grege, hoc eſt cum VII. aut XII. equabus furauerit, IID. den. qui faciunt ſol. lxII. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

6. Si autem de grege minus fuerit vſque ad VI. capita, & precium & cauſam ſuperiùs intimatam conuenit obſeruare.

7. Si quis puledrum anniculum vel bimum furauerit, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. iud. exc. cap. & dil.

8. Si verò ſequentem poledrum furauerit, CXX. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud. excepto cap. & dil.

9. Si quis iumenta aliena tribatterit, & euaſerint, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. iud.

10. Si autem mortua inde fuerint, ICC. den. qui faciunt ſol. XXX. culp. iud.

11. Si quis prægnantem equam furauerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud.

12. Si quis iumentum aut caballum furauerit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

Digitized by Google

13. Si quis admiſſarium alienum ſine conſenſu domini ſui ſpadauerit, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. iudicetur. Et per vnumquodque iumentum quæ ille continere conſueuerat, triaen componat, quod eſt tertia pars ſolidi, id eſt XII. denarij, & tertia pars vnius denarij.

14. Si quis per ſuperbiam aut inimicitiam, caballos aut iumenta aliena tribatterit, vel debilitauerit, ICC. den. qui faciunt ſol. XXX. culpabilis iudicetur.

15. Si quis caballum alienum ſine conſenſu domini ſui excurtauerit, CXX. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud.

16. Si quis caballum alienum excorticauerit, CXX. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud.

*XLI. De his qui aliena mancipia ſollicitauerint.*

1. SI quis mancipium alienum ſollicitauerit, & conuictus fuerit, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. iud.

2. Si quis ſeruum alienum plagiauerit, id eſt, per circunuentionem de ſeruitio domini ſui abſtraxerit, & trans mare ſiue in quamlibet regionem ipſum duxerit, & ibidem à domino ſuo inuentus fuerit, & ipſum à quo in patria plagiatus eſt, in mallo publico nominauerit, & tres ibidem teſtes dominus habere debet, & iterum cùm ſeruus ipſe citra mare vel de qualibet regione fuerit reuocatus, in altero mallo debet nominare



Digitized by Google

qui eum plagiauerit, & ibidem ſimiliter tres teſtes debent adeſſe. Ad tertium verò mallum ſimiliter fieri debet, vt nouem teſtes iurent quòd ſeruum ipſum æqualiter ſemper ſuper plagiatorem dicere audiſſent. Sic poſtea qui eum plagiauerit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. XXXV. culpabilis iudicetur, excepto capitali & dilatura. Ea tamen ratione vt nomina hominum & villarum æqualiter per totos tres mallos debeat nominare.

3. Si quis hominem ingenuum plagiauerit, vel vendiderit, & poſtea in patriam reuerſus fuerit, IIII. den. qui faciunt ſol. C. culp. iud.

4. Si quis hominem ingenuum vendiderit & poſtea in patriam ad propria reuerſus non fuerit, VIII. den. qui faciunt ſol. CC. culp. iud.

## *XLII. De ſeruo qui de furto fuerit interpellatus.*

1. SI cuius ſeruus de furto fuerit interpellatus, ſi talis cauſa eſt vnde ingenuus DC. den. qui faciunt ſol. XV. componere debeat, ſeruus ſuper ſcamnum tenſus CXX. ictus accipiat.

2. Si verò antequam torqueatur fuerit confeſſus, & domino eius ita placuerit, CXX. den. qui faciunt ſol. III. pro dorſo ſuo reddat, & capitale dominus ſerui in locum reſtituat.

3. Si autem talis culpa fuerit, de qua ingenuus ICCCC. den. qui faciunt ſol. XXXV. componere debeat, ſimiliter ſeruus CXX. ictus accipiat tenſus.

4. Et ſi in ipſo ſupplicio fuerit confeſſus, aut caſtretur, aut ccxl. den. qui faciunt ſol. VI. ſoluat. Dominus verò ſerui capitale in locum reſtituat requirenti.

5. Et ſi ſeruus confeſſus non fuerit, & ille qui eum torquet adhuc ipſum ſeruum torquere voluerit, etiam nolenti domino ſerui pignus donare debet, & ipſum ſeruum ad maiora ſupplicia retinere. Et ſi poſtea ſeruus ad maiora ſupplicia traditus confeſſus non fuerit, qui eum torquebat ipſum habeat, dominus verò ſerui de quo iam pignus acceperat, precium pro ipſo ſeruo ſuo ſuſcipiat.

6. Si verò ſupra dominum ſeruus confeſſus fuerit, nunquam credatur.

7. Si verò maiori crimine ſeruus inculpatus fuerit, de quo ingenuus IↃCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. poſſet culpabilis iudicari, & inter ſupplicia confeſſus fuerit, capitali ſententia feriatur.

8. Si autem ſeruus de quolibet crimine inculpatus fuerit, & dominus ſerui ipſius præſens adfuerit, ab eo qui repetit admoneatur, vt ſeruum ſuum ad iuſta ſupplicia dare non differat, & qui repetit virgas paratas habere debet, quæ in ſimilitudinem minimi digiti groſſitudinem habeant, & ſcamnum paratum habere debet, vbi ſeruum ipſum tendere poſſit.

9. Quòd ſi dominus ſerui ſupplicia diſtulerit, & ſeruus præſens fuerit, continuò ipſe qui re-

petit domino ſerui ſolem collocet, & ad ſeptem noctes placitum concedat, vt ſeruum ad ſupplicia tradat.

10. Si infra ſeptem noctes ſeruum ad ſupplicia diſtulerit tradere, ſolem ei iterato is qui repetit collocet, & ſic iterum ad alias ſeptem noctes placitum tribuat, id eſt vt XIIII. noctes à prima admonitione compleantur.

11. Quòd ſi impletis XIIII. noctibus ſeruum noluerit ad ſupplicia dare, omnem cauſam & compoſitionem dominus in ſe excipiat, hoc eſt vt ſi talis cauſa fuerit de qua ingenuus DC. den. qui faciunt ſol. XV. componere debeat, tantùm ipſe dominus ſerui reddat.

12. Si verò maior culpa fuerit de qua ingenuus IↃCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. componere debeat, & dominus ſeruum non præſentauerit, ipſum numerum ſolidorum reddat & capitale in locum reſtituat.

13. Quòd ſi adhuc maior culpa fuerit quæ ſeruo requiritur, dominus ſerui non vt ſeruus, ſed vt ingenuus totam legem ſuper ſe ſoluiturus accipiat.

14. Si autem ſeruus abſens fuerit, dominum ſerui, is qui repetit, ſecretiùs admonere debet, vt ſeruum ſuum infra ſeptem noctes præſentem faciat; quod ſi non fecerit, tunc repetens ſolem illi cum teſtibus collocet; & ſi infra alias ſeptem noctes ipſum ſeruum non præſentauerit, iterum repetens cum teſtibus ſolem ei col-

Digitized by Google

locet, & tertia vice adhuc ſeptem noctes placitum illi concedat, id eſt vt totus numerus ad viginti & vnam noctem perueniat. Quòd ſi poſt tria placita ſeruum noluerit ligatum ad ſupplicia dare, & per ſingula placita ſolem ei collocauerit, tunc dominus ſerui omnem repetitionem, ſicut ſuperiùs diximus, non vt ſeruus, ſed quaſi ingenuus hoc commiſiſſet, talem compoſitionem repetenti reſtituat.

15. Si verò ancilla in tali crimine inculpatur, de quo ſeruus caſtrari debuerat, ccxl. den. qui faciunt ſol. VI. ſi conuenit dominus reddat, aut ccxl. ictus accipiat flagellorum.

### *XLIII. De homicidiis ingenuorum.*

1. SI quis ingenuus Francum aut hominem barbarum occiderit, qui lege Salica viuit, VIII. den. qui faciunt ſol. CC. culp. iud.

2. Si verò eum in puteum aut * ſub aquam miſerit, XXIIII. denar. qui faciunt ſol. DC. culp. iud.

* *Germ.* in iupida

3. Si autem de ramis, vel de hallis, aut de qualibet re eum cooperuerit aut incenderit, XXIV. denar. qui faciunt ſolid. DC. culpabil. iud.

4. Si quis eum occiderit qui in truſte dominica eſt, XXIV. denar. qui faciunt ſol. DC. culp. iud.

5. Si verò in puteum aut ſub aquam miſerit, aut de hallis vel de ramis eum cooperuerit aut incenderit, lXII. denar. qui faciunt ſol. IDCCC. culp. iud.

6. Si quis Romanum hominem conuiuam regis occiderit, XII. den. qui faciunt ſol. CCC. culp. iud.

7. Si Romanus homo poſſeſſor, id eſt, qui res in pago vbi commanet proprias poſſidet, occiſus fuerit, is qui eum occidiſſe conuincitur, IV. den. qui faciunt ſol. C. culp. iud.

8. Si quis Romanum tributarium occiderit, IↃCCC. denar. qui faciunt ſol. xlv. culpab. iud.

9. Si quis hominem inuenerit in quadriuio ſine manibus & ſine pedibus, quem inimici ſui detruncatum dimiſerint, & eum vita priuauerit, ſeu perceciderit, IV. den. qui faciunt ſol. C. culp. iud.

10. Si quis hominem ingenuum in puteum aut in pelagus, aut in quodlibet præcipitium, vbi periculum mortis eſſe poſſit, impinxerit, & ille qui proiectus eſt quolibet modo ab eodem periculo viuus euaſerit, ille qui eum impinxerit, IV. denar. qui faciunt ſol. C. culp. iud.

11. Si autem qui præcipitatus eſt mortuus fuerit, tota leude ſua componatur. Atque ita vnaquæque perſona quæ maiori minoriue compoſitione componi debuerat, ſi de præcipiti periculo viuus euaſerit, medietate leudis ſuæ componatur, qua componi debuerat ſi mortuus fuiſſet, nam & ſi mortuus fuerit, vnuſquiſque ſecundùm modum leudis ſuæ componat.

12. Si quis hominem ingenuum cuilibet ſocio ſuo de quolibet crimine accuſauerit, & per eius commotionem ſiue mendacium, ille qui accuſatus eſt occiſus fuerit, ſi ei adprobatum fuerit, medietate

dietate

Digitized by Google

dietate leodis eius componat, ille verò qui eum occidit, ſecundùm legem pleniter eum componat.

*XLIIII. De homicidiis à contubernio factis.*

1. SI quis collecto contubernio hominem ingenuum in domo ſua adſallierit, & ibidem eum occiderit, XXIIII. den. qui faciunt ſol. DC. culp. iud.

2. Si verò in truſte dominica ille qui occiſus eſt fuerat, lxxii. denar. qui faciunt ſol. IDCCC. culpabilis iud.

3. Quòd ſi corpus occiſi hominis tres plagas vel ampliùs habuerit, tres qui inculpantur, & quòd in eo contubernio fuiſſent conuincuntur, legem ſuperiùs comprehenſam ſingulatim cogantur exoluere. Alii verò tres de eodem contubernio, IIIDC. den. qui faciunt ſol. XC. vnuſquiſque illorum culp. iud. Et tres adhuc in tertio loco de eodem contubernio, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. ſinguli eorum cogantur exoluere.

4. Si verò Romanus vel lidus in tali contubernio occiſus fuerit, huius compoſitionis medietas ſoluatur.

*XLV. De homicidiis in conuiuio factis.*

1. SI in conuiuio vbi quatuor aut quinque fuerint homines, vnus ex ipſis interfectus fuerit, illi qui remanent aut vnum conuictum red-

dant, aut omnes mortis illius compoſitionem coniectent: quæ lex vſque ad ſeptem qui fuerint in conuiuio illo conuenit obſeruari.

2. Si verò in illo conuiuio plus quàm ſeptem fuerint, non omnes teneantur obnoxij, ſed quibus fuerit imputatum, illi ſecundùm legem componant.

3. Si quis foris caſa ſiue iter agens ſeu in agro poſitus à contubernio fuerit occiſus, & tres vel ampliùs habuerit plagas, tres de eodem contubernio qui conuicti fuerint ſingillatim mortis illius compoſitionem componant, & tres alij de ipſo contubernio, ICC. denar. qui faciunt ſol. XXX. vnuſquiſque illorum, culpabilis iudicetur. Et tres adhuc alij de ipſo contubernio, DC. den. qui faciunt ſol. XV. ſinguli eorum culp. iud.

## *XLVI. De reippus.*

1. SI quis homo moriens viduam dimiſerit, & eam quis in coniugium voluerit accipere, antequam eam accipiat, Tunginus aut Centenarius mallum indicent, & in ipſo mallo ſcutum habere debent, & tres homines cauſas tres demandare, & tunc ille qui viduam accipere vult, cum tribus teſtibus qui adprobare debent, tres ſolidos æquè penſantes & denarium habere debet, & hoc factu ſi eis conuenit, viduam accipiat.

2. Si verò iſta non fecerit, & ſic eam accepe-

rit, illi cui reippus debetur, IID. den. qui faciunt ſol. lxII. S. culp. iud.

3. Si autem quæ ſuperiùs diximus omnia ſecundùm legem impleuerit, & tres ſol. & denarium ille cui reippus debetur acceperit, tunc eam legitimè accipiat.

4. Hoc diſcernendùm videtur, cui reippus debeatur.

5. Si nepus fuerit ſororis filius ſenior, ille reippum accipiat.

6. Si verò nepus non fuerit, neptis filius ſenior ille accipiat.

7. Quòd ſi neptis filius non fuerit, conſobrinæ filius qui ex materno genere venit, ipſe accipiat.

8. Si autem nec conſobrinæ filius fuerit, tunc auunculus frater matris reippum accipiat.

9. Si verò auunculus non fuerit, tunc frater illius, qui ipſam mulierem antè habuerat, ſi in hæreditatem defuncti fratris, id eſt, mariti mulieris illius venturus non eſt, ipſe reippum accipiat.

10. Quòd ſi nec ipſe fuerit, tunc qui proximior fuerit poſt ſuperiùs nominatos qui ſingillatim ſecundùm parentillam dicti ſunt vſque ad ſextum genuculum, ſi in hæreditatem illius mariti defuncti non accedat, ipſe reippum accipiat.

11. Si autem nullus niſi poſt ſextum genuculum proximus fuerit, in fiſcum ipſe reippus vel cauſa quæ inde orta fuerit, colligatur.

h ij

Digitized by Google

*XLVII. De eo qui villam alienam occupauerit, vel ſi duodecim menſibus eam tenuerit.*

1. SI quis ſuper alterum in villam migrare voluerit, & aliqui de his qui in villa conſiſtunt eum ſuſcipere voluerint, & vel vnus ex ipſis extiterit, qui contradicat, migrandi licentiam ibidem non habeat.

2. Si verò contra interdictum vnius vel duorum in ipſa villa conſedere præſumpſerit, tunc interdictor teſtari debet illi cum teſtibus, vt infra decem noctes inde exeat, & ſi noluerit, iterum ad ipſum cum teſtibus veniat, & teſtetur illi, vt infra alias decem noctes ſecedat. Quòd ſi noluerit, iterum tertio placito, vt infra decem noctes exeat, denunciet. Si verò XXX. noctes impletæ fuerint, & nec tunc voluerit exire, ſtatim illum manniat ad mallum, & teſtes ſuos qui ad ipſa placita fuerunt ſecum præſtos habeat. Si autem ipſe cui teſtatum eſt venire noluerit, & eum aliqua ſunnis non detinuerit, & ſecundùm legem ſupradictam teſtatus fuerit, tunc ipſe qui ei teſtatus eſt ſuper fortuna ſua ponat, & grafionem roget, vt accedat ad locum, & ipſum inde expellat, & ſi ibi aliquid elaborauit, quia legem noluit audire amittat, & inſuper ICC. den. qui faciunt ſol. XXX. culp. iud.

3. Si verò quis alium in villam alienam migrare rogauerit antequam conuentum fuerit,

IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culpabilis iud.

4. Si autem quis migrauerit in villam alienam, & ei aliquid infra XII. menſes ſecundùm legem conteſtatum non fuerit, ſecurus ibidem conſiſtat ſicut & alij vicini.

## *XLVIII. De afatomie.*

1. HOC conuenit obſeruare vt tunginus vel centenarius mallum indicent, & ſcutum in ipſo mallo habent, & tres homines cauſas tres demandare debent in ipſo mallo, & requiratur poſtea homo qui ei non pertinet, & ſic feſtucam in laiſum iactet, & ipſi in cuius laiſum feſtucam iactauerit, dicat verbum de fortuna ſua quantum ei voluerit dare, poſtea ipſe in cuius laiſum feſtucam iactauerit, in caſa ipſius manere & hoſpites tres ſuſcipere, & de facultate ſua, quantum ei datur, in poteſtate ſua habere debet, & poſtea ipſe cui creditum eſt iſta omnia cum teſtibus collectis agere debet. Poſtea aut ante regem, aut in mallo legitimo illi cui fortunam ſuam deputauit, reddere debet, & accipiat poſtea feſtucam in mallo ipſo ante duodecim menſes ipſe quem hæredem deputauit in laiſum ſuum iactet, & nec minus, nec maius, niſi quantum ei creditum eſt. Et ſi contra hoc aliquid dicere voluerit, debent tres teſtes iurati dicere quòd ibi fuiſſent in mallo vbi tunginus vel centenarius indixerunt, & quòd vidiſſent hominem il-

lum, qui fortunam ſuam dedit in laiſum illius quem iam elegerat. Feſtucam iactare & nominare illum debent, qui fortunam ſuam in laiſum electi iactauit, necnon & illum in cuius laiſum feſtucam iactauit, & hæredem appellauit, ſimiliter nominent, & alteri tres teſtes iurati debent dicere quòd in caſa illius hominis qui fortunam ſuam donauit, ille in cuius laiſum feſtucam iactauit ibidem manſiſſet, & hoſpites tres vel ampliùs collegiſſet, & pauiſſet, & ei ibidem gratias egiſſent, & in beudo ſuo pultes manducaſſent, & teſtes collegiſſent, iſta omnia alij tres teſtes iurati dicere debent, quoniam in mallo legitimo vel ante regem ille qui accepit in laiſum ſuum fortunam in mallo publico, hoc eſt ante theada vel tunginum fortunam illam quem hæredem appellauit publicè coram omnibus feſtucam in laiſum ipſius iactaſſet, & hæc omnia nouem teſtes debent adfirmare.

### *XLVIIII. De filtortis, hoc eſt, qualiter homo furatas res intertiare debet.*

1. SI quis qui lege Salica viuit, ſeruum aut ancillam, caballum, vel bouem ſeu iumentum, ſeu quamlibet rem ſuam ſub alterius poteſtate agnouerit, mittat eam in tertiam manum, & ille apud quem agnoſcitur debet adhramire, & ſi intra Ligerim aut Carbonariam ambo manent, & qui agnoſcit, & apud quem agnoſcitur, in noctes quadraginta placitum faciant, & in ipſo pla-

cito quanticunque fuerint qui rem intertiatam vendiderint aut cambiauerint, aut fortaſſe in ſolutionem dederint, omnes intra placitum iſtum commoneantur, vt vnuſquiſque cum negociatoribus ſuis alter alterum admoneat. Si quis verò commonitus fuerit, & aliqua ſunnis eum non detinuerit, & ad placitum venire diſtulerit, tunc ille qui cum eo negociauit habeat tres teſtes quòd enuntiaſſet vt ad placitum venire debuiſſet, & alios tres ſimiliter habeat, quòd cum eo publicè negociaſſet: hoc ſi fecerit, exiuit ſe de latrocinio, ille autem qui admonitus non venerit ſuper quem teſtes iurauerint, erit latro illius qui res ſuas agnoſcit, & ei ſecundùm legem ipſas componat, & inſuper pretium illi reddat qui cum eo negociauit, iſta omnia vbi ſuus hamallus eſt, ſuper quem res primitus agnita fuerit aut intertiata, fieri debent. Quòd ſi trans Ligerim aut Carbonariam manet ille apud quem res agnoſcitur, in noctibus lxxx. lex iſta cuſtodiatur.

## *L. De falſo teſtimonio.*

1. SI quis falſum teſtimonium præbuerit, DC. denar. qui faciunt ſolidos XV. culpab. iud.

2. Quòd ſi aliquis alicui imputauerit quõd ſe periuraſſet, & non potuerit adfirmare, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culpabilis iudicetur.

3. Si alicui fuerit imputatum quòd ſe periuraſſet, & hoc qui imputauerit adfirmare potuerit,

treſ de ipſis coniuratoribus periuri vnuſquiſque illorum DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

4. Alij verò qui ſuper ipſos tres fuerint, quinis ſolidis culp. iud.

5. Ipſe verò cui imputatum fuerit, excepto cauſa vel capitali & dilatura, DC. denar. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

*LI. De teſtibus adhibendis.*

1. SI quis teſtes neceſſarios habuerit, & forſtaſſe ipſi ad placitum venire noluerint, ille qui eos neceſſarios habet, mannire illos debet cum teſtibus ad placitum, vt ea quæ ſciunt iurantes dicant.

2. Si verò noluerint venire, & eos ſunnis non detinuerit, vnuſquiſque illorum DC. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud.

3. Si verò præſentes fuerint ad teſtimonium vocati, & noluerint iurando dicere ea quæ ſciunt, & forbanniti fuerint, DC. den. qui faciunt ſol. xv. vnuſquſque illorum culp. iud.

*LII. De eo qui fidem factam alteri reddere noluerit.*

1. SI quis ingenuus aut lidus alteri fidem fecerit, tunc ille cui fides facta eſt, xl. noctes aut quomodo placitum fecit, quando fidem ei fecit, ad domum illius cum teſtibus ambulare debet, vel cum illis qui precium adpreciare debent,

&

& ſi noluerit fidem factam ſoluere, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. iud.

2. Si verò adhuc ſupradictum debitum ſoluere noluerit, debet eum ſic admallare, Rogo te iudex vt hominem illum denominatum gaſachionem meum, qui mihi fidem fecit, de debito tali denominato ſecundùm legem Salicam mihi inde eum adſtringas. Tunc iudex dicere debet, Ego gaſachium tuum illum in hoc mallo quod lex Salica habet. Tunc ille cui fides facta eſt, debet teſtificari fideiuſſori, vt nulli alteri nec ſoluat, nec pignus donet ſolutionis, antequam ei impleat vnde fidem fecit. Et ſic feſtinanter ad domum illius, qui ei fidem fecit, cum teſtibus accedat, & roget eum ſoluere debitum ſuum. Quòd ſi noluerit, ſolem ei collocet. Et ſi ei ſolem culcauerit, tres ſolidos ſuper debitum addat, & ſic vſque ad tres vices per tres mannitas facere debet. Iſta igitur omnia facta ſi adhuc noluerit debita componere, vſque ad nouem ſolidos debitum aſcendat, id eſt, vt per ſingulas admonitiones, vel ſolem culcatum, terni ſolidi adcreſcant. Si verò nec fidem factam in placito legitimo ſoluere noluerit, tunc ille cui fides facta eſt ambulet ad grafionem loci illius in cuius pago manet, accipiétque feſtucam, & dicat verbum iſtud, Tu grafio rogo te quia ille homo denominatus qui mihi fidem fecit, quem legitimè habeo adiactiuum vel admallatum ſecundùm legem Salicam, & ego ſuper me, & ſuper fortu-

nam meam pono, quod ſecurus mitto in fortunam illius manum, & dicat de quanta cauſa ei fidem fecerat. Tunc grafio congreget ſecum ſeptem raginburgios idoneos, & cum ipſis ad caſam illius fideiuſſoris veniat, & roget eum ſi præſens eſt, Per voluntatem tuam ſolue homini iſti, de quo ei fidem feciſti, & hoc quod debes ſecundùm precium legitimè preciatum ſatisfacere ſtude. Quod ſi tunc adimplere noluerit præſens, aut ſi abſens fuerit, ſtatim ragimburgij precium adpreciatum, quantum debitum quod debet valuerit, de fortuna illius tollant, & ſi fredus anteà de ipſa cauſa non fuerat datus, duas partes ille cuius cauſa eſt ad ſe reuocet, & grafio tertiam partem obtineat.

3. Si autem grafio ibi inuitatus non venerit, & ſunnis eum aliqua non detinuerit, aut certa ratio dominica, & ſi diſtulerit vt ibi non ambulet, neque mittat vt cum iuſtitia exigatur debitum, aut ſe redimat, aut de vita componat.

*LIII. De eo qui graſionem ad res alienas tollendas iniuſtè inuitauerit.*

1. SI quis grafionem ad res alienas iniuſtè tollendas inuitauerit antequam gaſachium ſuum ſecundùm legem habeat admallatum, VIII. den. qui faciunt ſol. CC. culp. iud.

2. Si verò grafio inuitatus contra legem ſupra debitum iuſtum aliquid ampliùs tulerit, aut ſe redimat, aut de vita componat.

Digitized by Google

## *LIIII. De re præſtata.*

1. SI quis alteri de rebus ſuis aliquid præſtiterit, & ei reddere noluerit, ſic eum debet mallare. Cum teſtibus ad domum illius cui res præſtauit accedat, & ſic conteſtetur ei. Quia res meas noluiſti reddere, quas tibi præſtiti, in hoc eas tene nocte proxima quod lex Salica continet, & ſic ei ſolem collocet. Si nec tunc voluerit reddere, adhuc ſuper VII. noctes ſimiliter conteſtetur ſicut antea fecit, vt nocte proxima ſecundùm quod lex Salica continet res ſuas tenere debeat. Quòd ſi nec tunc noluerit reddere, iterum poſt ſeptem alias noctes ad eum ſimiliter cum teſtibus veniat, & roget vt debitum ſuum reddat. Ergo ſi tunc noluerit reddere, nec fidem facere reddendi, ſupra debitum quod ei præſtitutum eſt, & ſuper illos nouem ſolidos, qui per tres admonitiones accreuerunt, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. iud.

## *LV. De manu de æneo redimenda.*

1. SI quis ad æneum mallatus fuerit, & forſitan conuenerit, vt ille qui admallatus eſt manum ſuam redimat & iuratores donet, ſi talis cauſa eſt, de qua legitimè ſi conuictus fuiſſet DC. den. qui faciunt ſol. XV. componere debeat, tunc CXX. den. qui faciunt ſol. III. manum ſuam redimat.

2. Si verò plus ad manum ſuam redimendam dederit, fredus grafioni ſoluatur, tanquam ſi de ipſa cauſa conuictus fuiſſet.

3. Si verò talis cauſa fuerit, de qua ſi conuictus fuiſſet, ICCCC. den. qui faciunt ſol. XXXV. debuiſſet ſoluere, & conuenit vt manum ſuam redimat & iuratores donet, VIIII. ſol. manum ſuam redimat.

4. Quòd ſi ampliùs dederit, fredus grafioni ſoluatur, tanquam ſi de ipſa cauſa conuictus fuiſſet.

5. Quòd ſi maior culpa fuerit de qua lxII. S. ſol. ſoluere ſi conuictus fuiſſet deberet, & conuenit vt manum ſuam redimat, cum ſol. XV. manum ſuam redimat.

6. Et ſi ampliùs dederit, fredus grafioni ſoluatur tanquam ſi de ipſa cauſa conuictus fuiſſet. Iſta redemptio vſque ad leudem ſic permaneat.

7. Si autem leudem alter alteri imputauerit, & eum ad æneum habet mallatum, & conuenit vt manum ſuam redimat, & iuratores donet, cum ſolid. XXX. manum ſuam redimat.

8. Et ſi ampliùs dederit, fredum grafioni perſoluat, tanquam ſi de ipſa cauſa conuictus extitiſſet.

Digitized by Google

### *LVI. De eo qui grafionem occiderit.*

1. SI quis grafionem occiderit, XXIIII. den. qui faciunt ſol. DC. culp. iud.

2. Si quis ſagibaronem qui puer regis fuerat occiderit, XII. den. qui faciunt ſol. CCC. culp. iudicetur.

3. Si quis ſagibaronem qui ingenuus eſt, & ſe ſagibaronem poſuit, occiderit, XXIIII. den. qui faciunt ſol. DC. culp. iud.

4. Sagibarones in ſingulis mallobergiis, id eſt plebs quæ ad vnum mallum conuenire ſolet, plus quàm tres eſſe non debent: & ſi cauſa aliqua ante illos ſecundùm legem fuerit definita, ante grafionem remouere eam non licet.

### *LVII. De corporibus expoliatis.*

1. SI quis corpus hominis mortui antequam in terram mittatur per furtum expoliauerit, [illegible] I D. denar. qui faciunt ſol. lxii. S. culp. iudicetur.

2. Si quis tumulum ſuper hominem mortuum expoliauerit vel diſſipauerit, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. iud.

3. Si quis ariſtatonem, hoc eſt, ſtaplum ſuper mortuum miſſum capulauerit, aut manduàlem quod eſt ſtructura, ſiue ſelaue, qui eſt ponticulus, ſicut more antiquorum faciendum fuit, qui

hoc deſtruxerit, aut mortuum exinde expoliauerit, de vnaquaque de iſtis DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. iud.

4. Si quis hominem mortuum ſuper alium in nauſo vel in petra miſerit, ICCCC. den. qui faciunt ſol. XXXV. culp. iud.

5. Si quis corpus iam ſepultum effoderit, aut expoliauerit, vuargus ſit, hoc eſt expulſus de eodem pago, vſquedum cum parentibus defuncti conuenerit, vt & ipſi parentes rogati ſint pro eo, vt liceat ei infra patriam eſſe, & quicunque antea panem, aut hoſpitalitatem ei dederit, etiam ſi vxor eius hoc fecerit, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. iud.

6. Auctor verò ſceleris huius ſi ipſe hoc fecit & comprobatus fuerit, vel alium ad iſtud faciendum locauerit, VIII. den. qui faciunt ſol. CC. culp. iud.

7. Si quis domum in modum baſilicæ factam ſuper hominem mortuum expoliauerit, ICC. den. qui faciunt ſol. XXX. culp. iud. excepto capitali & dilatura.

*LVIII. De incendio vel expoliatione eccleſiæ, ſiue homicidiis clericorum.*

1. SI quis eccleſiam ſanctificatam, vel vbi reliquiæ Sanctorum reconditæ ſunt, incenderit, vel de infra ipſa eccleſia aliquam expoliationem de altari, aut de infra illam eccleſiam ali-

Digitized by Google

quid tulerit, VIII. den. qui faciunt ſol. CC. culp. iud. excep. cap. & dil.

2. Si quis diaconem interfecerit XII. den. qui faciunt ſol. CCC. culp. iud.

3. Si quis preſbyterum interfecerit, XXIIII. den. qui faciunt ſol. DC. culp. iud.

4. Si quis epiſcopum interfecerit, DCCCC. ſol. culp. iud.

### *LVIIII. De eo qui ad mallum venire contempſerit.*

1. SI quis ad mallum venire contempſerit, & quod ei à ragimburgiis iudicatum fuerit implere diſtulerit, ſi nec de compoſitione, nec de vlla lege fidem facere voluerit, tunc ad regis præſentiam ipſum mannire debet, & ibidem XII. teſtes eſſe debent, qui per ſingula placita iurando dicant, quòd ibidem fuiſſent vbi ragimburgij ei iudicaſſent, & ille decretum iudicium contempſiſſet, iterum alij tres iurare debent quòd ibidem fuiſſent, poſt illam diem in qua ei ragimburgij iudicauerunt, vt aut per æneum, aut per compoſitionem ſe educeret, hoc eſt de illa die in xl. noctes, in mallo iterum ſolem culcauerit, & nullatenus legem implere voluerit, tunc eum debet mannire ante regis præſentiam in XIIII. noctes, & tria teſtimonia iurando dicant quòd eum manniſſet. Quòd ſi nec tunc venerit, & iſta omnia nouem teſtimonia coniurando quæ ſuperiùs diximus vera eſſe dixerint, ſimiliter ei iterum

Digitized by Google

ſolem culcet, & illos tres teſtes ibidem habeat. Vbi culcauerit ſolem, & iſta omnia compleuerit, qui eum admallat, & ille qui admallatur ad nullum placitum venire, nec per legem ſe educere noluerit, tunc rex ad quem mannitus eſt extra ſermonem ſuum eum eſſe deiudicet, & ſit ille culpabilis, & omnes res ſuæ erunt in fiſco, aut cui fiſcus dare voluerit, & quicunque ei panem dederit, aut in hoſpitium collegerit, etiam ſi vxor eius propria ſit, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. iud. donec omnia quæ ei legibus imputantur, ſecundùm legem componat.

*LX. De rachinburgiis qui ſecundùm legem non iudicant.*

1. SIQVIDEM rachinburgij in mallo reſidentes, cùm cauſa diſcuſſa fuerit inter duos cauſatores admoniti ab eo qui cauſam requirit vt legem Salicam dicant, & ſi legem dicere noluerint, tunc ab eo qui cauſam requirit ſint iterum admoniti vſque in tertia vice. Quòd ſi dicere noluerint, tunc dicat ille qui cauſam requirit, Ego vos tangano vſque dum vos inter me & contra cauſatorem meum legem iudicetis. Et ſi tunc dicendi ſe legem diſtulerint, ſole culcato ſeptem de illis vnuſquiſque CXX. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud.

2. Et ſi adhuc tunc rachinburgij deſpexerint, nec legem dicere voluerint, neque de tribus ſolidis compoſitionem facere, tunc vnuſquiſque illorum

illorum ſeptem, culcato ſole DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. iud.

3. Similiter ſi comprobati fuerint legem non iudicaſſe ſeptem, ex eis vnuſquiſque DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. iud.

4. Si autem rachinburgij legem iudicant, & cui iudicatum fuerit hoc ſuſtinere noluerit, & dicit contra legem iudicaſſe ſibi, & hoc comprobare non potuerit, contra vnumquemque de ſeptem rachinburgiis, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. iud.

## *LXI. De chrenechruda.*

1. SI quis hominem occiderit, & in tota facultate ſua non habuerit vnde totam legem implere valeat, XII. iuratores donet, quod nec ſuper terram nec ſubtus terram ampliùs de facultate non habeat, niſi quod donatum habet. Poſtea intrare debet in caſam ſuam, & de quatuor angulis de terra illa in pugno ſuo colligat, & ſtare in durpilo, hoc eſt in liminari, & intus captare, & cum ſiniſtra manu, de illa terra vltra ſuas ſcapulas iactare, ſuper quem proximiorem parentem habet. Quòd ſi iam pater aut mater vel frater ſoluerint, tunc ſuper ſororem matris, aut ſuper ſuos filios debet illam terram iactare, id eſt ſuper tres de generatione matris qui proximiores ſunt, & poſtea in camiſa diſcinctus, & diſcalciatus cum palo in manu ſupra ſepem

k

ſalire debet, vt pro medietate quantum de compoſitione diger eſt, aut quantum lex indicat illi tres ſoluant. Idem illi alij qui de paterna generatione veniunt facere debent. Si verò aliquis ex illis pauperior fuerit, & non habet vnde ad integrum debitum ſoluat, quicunque de illis ampliùs habet, iterum ſuper illum chrenechruda ille qui pauperior eſt iactet, & ille totam legem componat. Quòd ſi nec ipſe habuerit vt totam legem perſoluat, tunc illum qui homicidium fecit, ille qui eum in fide ſua habet per quatuor mallos præſentem faciat. Et ſi eum nullus ſuorum per compoſitionem voluerit redimere, de vita componat.

## LXII. *De alode.*

1. SI quis homo mortuus fuerit, & filios non dimiſerit, ſi pater aut mater ſuperfuerint, ipſi in hæreditatem ſuccedant.

2. Si pater aut mater non ſuperfuerint, & fratres vel ſorores reliquerit, ipſi hæreditatem obtineant.

3. Quòd ſi nec iſti fuerint, ſorores patris in hæreditatem eius ſuccedant.

4. Si verò ſorores patris non extiterint, ſorores matris eius hæreditatem ſibi vendicent.

5. Si autem nulli horum fuerint, quicunque proximiores fuerint de paterna generatione, ipſi in hæreditatem ſuccedant.

Digitized by Google

6. DE TERRA VERO SALICA NVLLA PORTIO HÆREDITATIS MVLIERI VENIAT: SED AD VIRILEM SEXVM TOTA TERRÆ HÆREDITAS PERVENIAT.

## LXIII. *De eo qui ſe de parentilla tollere vult.*

1. SI quis de parentilla tollere ſe voluerit, in mallo ante tunginum aut centenarium ambulet, & ibi quatuor fuſtes alninos ſuper caput ſuum frangat, & illas quatuor partes, in mallo iactare debet, & ibi dicere, vt & de iuramento, & de hæreditate, & de tota illorum ſe ratione tollat.

2. Et ſi poſtea aliquis de parentibus ſuis aut moritur, aut occiditur, nihil ad eum de eius hæreditate, vel de compoſitione pertineat.

3. Si autem ille occiditur, aut moritur, compoſitio aut hæreditas eius non ad hæredes eius, ſed ad fiſcum pertineat, aut cui fiſcus dare voluerit.

## LXIIII. *De charocna.*

1. SI quis alteri de manu aliquid per vim tulerit aut rapuerit, rem pro capitali reſtituat, & inſuper ICC. den. qui faciunt ſol. XXX. culpabilis iud.

2. Si quis homini aliquid quod ei in tertia manu miſſum fuerat per vim tuliſſe conuinca-

tur, ICC. denar. qui faciunt ſolidos xxx. culpabilis iudicetur.

*LXV. De compoſitione homicidij.*

1. SI alicuius pater occiſus fuerit, medietatem compoſitionis filij colligant, & aliam medietatem parentes qui proximiores fuerint tam de paterna, quàm de materna generatione diuidant.

2. Quòd ſi de vna parte vel paterna vel materna nullus proximus fuerit, portio illa ad fiſcum perueniat, vel cui fiſcus conceſſerit.

*LXVI. De homine in hoſte occiſo.*

1. SI quis hominem in hoſte occiderit, triplici compoſitione componat, ſicut in patria componere debuit, excepto ſi ex truſte regali non fuerit ille homo.

2. Nam ſi ex truſte regali fuerit, eandem compoſitionem quam infra patriam facere debuit, culpabilis iudicetur, hoc ſunt denarij lxII. qui faciunt ſolidos IDCCC.

*LXVII. De eo qui alterum hereburgium clamauerit.*

1. SI quis alterum hereburgium clamauerit, hoc eſt, ſtrioportium, aut qui æneum portare dicitur vbi ſtriæ concinnunt, & conuincere

non potuerit, IID. den. qui faciunt ſol. lxII. S. culp. iudicetur.

2. Si quis mulierem ingenuam ſtriam clamauerit, aut meretricem, & conuincere non potuerit, VIID. den. qui faciunt ſol. clxxxvII. culp. iudicetur.

3. Si ſtria hominem comederit, & conuicta fuerit, VIII. den. qui faciunt ſol. CC. culpabilis iudicetur.

## *LXVII. De caballo excorticato.*

1. SI quis caballum alienum ſine conſenſu poſſeſſoris decorticauerit, & interrogatus, fuerit confeſſus, caballum ipſum in capite reſtituat.

2. Si verò negauerit & conuictus fuerit, DC. den. qui faciunt ſol. xv. excepto cap. & dil. culp. iudicetur.

## *LXVIII. De eo qui hominem de bargo vel de furca dimiſerit.*

1. SI quis hominem de bargo vel de furca ſine voluntate iudicis dimiſerit, IDCCC. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud.

2. Si quis hominem ſine conſenſu iudicis de ramo vbi incrocatur deponere præſumpſerit, ICC. den. qui faciunt ſol. xxx. culp. iud.

3. Si quis caput hominis quod inimicus ſuus in palo miſerit, ſine permiſſu iudicis, aut illius



Digitized by Google

qui eum ibi poſuit tollere præſumpſerit, DC. den. qui faciunt ſol. XV. culp. iud.

4. Si quis viuum hominem de furca dimiſerit, IIII. den. qui faciunt ſol. C. culp. iud.

*LXX. De eo qui filiam alienam quæſierit, & ſe retraxerit.*

1. SI quis filiam alienam ad coniugium quæſierit, præſentibus ſuis & puellæ parentibus, & poſtea ſe retraxerit, & eam accipere noluerit, IID. denar. qui faciunt ſolid. lxII. S. culpabilis iudicetur.

*LXXI. De terra condemnata.*

1. SI quis terram alienam condemnauerit, & ei fuerit adprobatum, IID. den. qui faciunt ſol. lxII. S. culp. iudicetur.

FINIS.

Digitized by Google

# *RECAPITVLATIO LEGIS SALICÆ.*

SCIENDVM eſt quòd in quibuſdam libellis Salicis inueniuntur capitula principalia LXV. In quibuſdam verò LXX. In quibuſdam etiam paulo plus, aut paulo minus. Continentur alia capitula in quibuſdam codicibus XCVIIII. in quibuſdam verò plus minus, VC. habent etiam ſpecies, in quibuſdam libellis XX. & VII. In quibuſdam verò minus vel paulo plus.

Inquirendum eſt compoſitionis legis Salicæ quot varietates, & quæ numerum per minimum, quæ verò per maximum habeat. Diuiſionis compoſitionis ſumma, CCCLVIII. Varietates XXXI.

1. Incipit ad ſeptem denarios, vt ſi quis agnum furauerit.

2. Inde ad decem, vt ſi quis alterius meſſem damnauerit.

3. Inde ad ſol. vt ſi quis porcellum qui ſine matre viuere poteſt, foris domum furauerit.

4. Inde ad ſol. & tremiſſem, vt ſi quis alterius ſeruum cedit.

5. Inde ad ſol. III. vt ſi quis tres capras furauerit, hæc compoſitio III. ſolidorum in XLIII. locis legis Salicæ habetur.

Digitized by Google

6. Inde ad ſol. III. & den. I. vt ſi quis viduam in coniugium voluerit ſociare.

7. Inde ad ſol. V. Hi ſunt qui in raptu ſecundùm legem componunt. Hæc compoſitio II. locis habetur.

8. Inde ad ſol. VI. pro redemptione ſerui vt non caſtretur. Hæc compoſitio ſex ſol. in quinque locis habetur.

9. Inde ad ſol. VII. S. vt ſi quis ſcroſam alterius ſubbatit, vt porcellos non habeat.

10. Inde ad ſol. VIIII. vt ſi quis alterum clauſo pugno percutit. Hæc compoſitio VIIII. ſol. in III. locis habetur.

11. Inde ad ſol. XII. S. vt ſi quis ſeruum miniſterialem in mortis periculum immiſerit, & eum Deus liberauit.

12. Inde ad ſol. XV. vt ſi quis ſponſam alterius tulerit. Hæc compoſitio XV. ſol. in XX. & III. locis habetur.

13. Inde ad ſol. XVII. S. vt ſi quis alterius verrem furauerit. Hæc compoſitio XVII. S. ſol. in III. locis habetur.

14. Inde ad ſol. XXII. S. vt ſi quis tributarium Romanum in pelagus impinxerit.

15. Inde ad ſol. XXV. vt ſi quis ſeruum miniſterialem occiderit. Hæc compoſitio in II. locis habetur.

16. Inde ad ſol. XXX. vt ſi quis alterius ancillam furauerit. Hæc compoſitio XXX. ſol. in XXVIII. locis habetur.



Digitized by Google

17. Inde ad ſol. xxxv. vt ſi quis ſeruum alterius furauerit. Hæc compoſitio xxxv. ſol. in xxviii. locis habetur.

18. Inde ad ſol. xlv. vt ſi quis Vuaranionem furauerit. Hæc compoſitio xlv. ſol. in xxxvi. locis habetur.

19. Inde ad ſol. l. vt ſi quis Romanum in pelagus impinxerit.

20. Inde ad ſol. lxii. S. vt ſi quis hominem percutere voluerit cum gladio, & eum non tetigerit. Hæc compoſitio lxii. S. ſolidorum in xl. locis habetur.

21. Inde ad ſol. lxx. vt ſi quis ſeruum aut ancillam miniſterialem furauerit.

22. Inde ad ſol. lxxv. vt ſi quis ſeruum miniſterialem in hoſte occiderit.

23. Inde ad ſol. xc. vt ſi quis Vuaranionem regis furauerit. Hæc compoſitio xc. ſol. in iii. locis habetur.

24. Inde ad ſol. c. vt ſi quis Romanum occiderit. Hæc compoſitio c. ſol. in xxiiii. locis habetur.

25. Inde ad ſol. clxxxviii. S. vt ſi quis mulierem ſtriam vel meretricem clamauerit.

26. Inde ad ſol. cc. vt ſi quis hominem ingenuum occiderit. Hæc compoſitio cc. ſol. in xvii. locis habetur.

27. Inde ad ſol. ccc. vt ſi quis lidum alienum in hoſte occiderit. Hæc compoſitio ccc. ſol. in ii. locis habetur.



Digitized by Google

28. Inde ad ſol. DC. vt ſi quis hominem ingenuum in hoſte occiderit. Hæc compoſitio DC. ſol. in XIIII. locis habetur.

29. Inde ad ſol. DCC. vt ſi quis mulierem paruulum habentem in vtero occiderit.

30. Inde ad ſol. DCCCC. vt ſi quis Romanum vel lidum in curte domini occiderit.

31. Inde ad ſol. IDCCC. vt ſi quis in truſte dominica hominem occiderit, & in puteum iactauerit. Hæc compoſitio IDCCC. ſol. in II. locis habetur.

## *SENTENTIÆ DE SEPTEM SEPTENIS*

### *HOC EST DE PARTICVLARIBVS CAVSIS.*

1. SI quis baſilicam incenderit, ſol. CC. culp. iud.

2. Si quis Francus Francum occiderit, ſol. CC. culp. iud.

3. Si quis villam alienam adſalierit, & ibidem oſtia fregerit, & canes occiderit, & homines plagauerit, vel aliquid deinde in carro duxerit, ſol. CC. culp. iudicetur.

4. Si quis alicui herbas dederit bibere, vnde moriatur, ſol. CC. culp. iud.

5. Si quis vxorem alienam tulerit viuo marito, ſol. CC. culp. iud.

6. Si quis hominem mortuum effodierit, & expoliauerit, ſol. CC. culp. iud.

Digitized by Google

7. Si quis Francus Francum vendiderit, ſol. cc. culp. iudicetur.

# DECRETIO CHILDEBERTI REGIS.

## *CHILDEBERTVS REX*

***Francorum vir inluſter.***

1. CVM in Dei nomine nos omnes Cal. Mar. de quibuſcunque conditionibus vnà cum noſtris optimatibus pertractauimus, ad vnumquemque notitia volumus peruenire.

2. Ita Deo auxiliante Attiniaco Cal. Mar. anno XX. regni noſtri conuenit, vt nepotes ex filio vel ex filia ad auiaticas res cum auunculis vel amitis ſic venirent in hæreditatem, tanquam ſi pater aut mater viui fuiſſent. De illis tamen nepotibus iſtud placuit obſeruari, qui de filio vel filia naſcuntur, non qui de fratre.

3. In ſequenti hoc conuenit vnà cum leudis noſtris, vt nullus de crinoſis inceſtum vſum ſibi ſociet coniugio, hoc eſt, nec fratris ſui vxorem, nec vxoris ſuæ ſororem, nec vxorem patris ſui aut parentis conſanguinei. Si quis vxorem patris acceperit, mortem incurrat. De præteritis verò inceſtis coniunctionibus per prædicationem Epi-



Digitized by Google

ſcoporum iuſſimus emendari. Qui verò Epiſcopo ſuo noluerit audire, & excommunicatus fuerit, perennem condemnationem apud Deum ſubſtineat, & inſuper de palatio noſtro ſit omnino extraneus, & omnes facultates ſuæ legitimis parentibus perueniant.

4. Similiter Traiecti conuenit nobis, Campo, vt quaſlibet res ad vnum ducem vel iudicem pertinentes, per decem annos quicunque inconcuſſo poſſedit, nullam habeat licentiam intertiandi, niſi tantùm cauſa orphanorum vſque ad XX. annos licentiam tribuamus. Si quis ſuper hoc iudicium præſumpſerit intertiare, ſol. XV. ſoluat, & rem intertiatam amittat. De reliquis verò conditionibus omnes omnino cauſas tricenaria lex excludit, præter id quod in alia regna hucuſque detenuit.

5. Pari conditione conuenit Cal. Mar. omnibus nobis adunatis, vt quicunque raptum facere præſumpſerit, periculum mortis incurrat, & nullus de optimatibus noſtris de tam turpiſſimo vitio præſumat rogare, ſed inimicum Dei vnuſquiſque amodò perſequatur. Qui verò edictum noſtrum auſus fuerit irrumpere, iudex loci illius ſolatio collecto ipſum raptorem occidat & iaceat forbattutus. Et ſi ad Eccleſiam confugerit, reddatur ab Epiſcopo, & ſine vlla precatione exinde ſeparetur. Et ſi ipſa mulier poſtea raptori conſenſerit, ambo pariter in exilio tranſmittantur. Et ſi foras Eccleſiam capti fuerint, pariter oc-

Digitized by Google

cidantur, & facultates illorum parentibus legitimis dentur, & quod fiſco noſtro debitum eſt, acquiratur.

6. De homicidiis verò ita iuſſimus obſeruari, vt quicunque auſu temerario alium ſine cauſa occiderit, vitæ periculo feriatur, & nullo pretio ſe redimere vnquam valeat. Et ſi conuenerit, vt ad compoſitionem quis deſcendat, nullus de parentibus, aut de amicis ei quicquam adiuuet. Quiſquis fecerit, ſuum Vueregildum omnino componat, quia iuſtum eſt vt qui iniuſtè nouit occidere diſcat iuſtè mori.

7. De farfalio ita conuenit, vt quicunque in mallo præſumpſerit farfalium minare, ſine dubio ſuum Vueregildum componat, quia omnino volumus vt farfalius reprimatur. Et ſi forſitan vt adſolet, iudex hoc conſenſerit, & fortaſſe adquieſcet iſtum farfalium cuſtodire, vitæ periculum per omnia incurrat.

8. De furibus & malefactoribus ita decreuimus obſeruare, vt ſi quinque aut ſeptem bonæ fidei homines abſque inimicitia interpoſita criminoſum cum ſacramenti interpoſitione eſſe dixerint, quomodo contra legem furtum perpetrauit, ſecundùm legem moriatur. Et ſi iudex comprehenſum latronem laxauerit, vitam ſuam amittat, & hæc diſciplina in populo modis omnibus obſeruetur.

9. Similiter Cal. Mar. Coloniæ conuenit, & ita banniuimus, vt vnuſquiſque iudex crimi-

noſum latronem vt audierit, ad caſam ſuam ambulet, & ipſum ligare faciat, ita vt ſi Francus fuerit, ad noſtram præſentiam dirigatur. Et ſi debilior perſona fuerit, in collo pendatur.

10. Si quis centenarium aut quemlibet iudicem noluerit ſuper malefactorem ad prindendum adiuuare, ſol. LX. omnino condemnetur.

11. Et quicunque ſeruum criminoſum habuerit, & iudex rogauerit ipſum præſentare, & noluerit, ſuum Vueregildum omnino componat.

12. Similiter conuenit, vt ſi furtum factum fuerit, capitale de præſenti centena reſtituat, & cauſator centenarium cum centena requirat.

13. Pari conditione conuenit, vt ſi vna centena in alia centena veſtigium ſequuta fuerit, & inuenerit, vel in quibuſcunque fidelium noſtrorum terminis veſtigium miſerit, & ipſum in aliam centenam minimè expellere potuerit, aut conuictum reddat latronem, aut capitale de præſenti reſtituat, & cum XII. perſonis ſe ex hoc ſacramento exuat.

14. Si ſerui Eccleſiarum aut fiſcalini furtum admiſerint, ſimilem pœnam ſuſtineant, ſicut & reliquorum ſerui Francorum.

15. Diem dominicum ſimiliter placuit obſeruare, vt quicunque ingenuus, excepto quòd ad coquendum vel ad manducandum pertinet, opera alia præſumpſerit, ſi Francus fuerit ſol. XV. componat. Si Romanus VII. S. Seruus autem tres ſolidos reddat, aut dorſum ſuum componat.

Digitized by Google

16. De chrenechruda lex quam paganorum tempore obſeruabant, deinceps nunquam valeat, quia per ipſam cecidit multorum poteſtas. Datum pridie Calend. Mar. anno XX. regni Domini noſtri. Coloniæ.

Expliciunt legis Salicæ libri III. Quam Clodoueus Rex Francorum ſtatuit, & poſtea vnà cum Francis pertractauit, vt ad titulos aliquid ampliùs adderet ſic vt à primo vſque ad ſeptuageſimum octauum perduxerit. Inde verò Childebertus poſt multum tempus tractauit, vt quicquid inuenire potuerit ibi cum ſuis Francis adderet: hoc eſt, à LXXVIII. vſque ad LXXXIIII. quicquid inuenit dignè ibidem impoſuiſſe cognoſcitur. Iterum cùm hos titulos Clotharius à germano ſuo ſeniore gratanter excepit, ſic & ipſe ſimiliter cum regni ſui ſapientibus inuenit, vt à LXXXIIII. adderet, & ita perfectum perduxit. Et inde quæ ipſe inuenit ad fratrem ſuum reſcripta direxit. Et ita inter ſe firmauerunt, vt iſta omnia quæ conſtituerunt, inuiolabiliter, omnique tempore conſeruata fuiſſent.

## *PACTVM PRO TENORE PACIS dominorum Childeberti & Clotharij Regum.*

1. ET quia multorum inſaniæ conualuerunt, vt malis pro immanitate ſcelerum digna reddantur. Idcirco decretum eſt vt apud quemcunque poſt interdictum, ſi latrocinium comprobatur, vitæ incurrat periculum.

2. Si quis ingenuam perſonam furto ligauerit, & negator extiterit, x i i. iuratores medios electos dare debet, quòd furtum, quod obiicit, verum ſit. Quòd ſi latro redimendi ſe habet facultatem, ſe redimat. Si facultas deeſt, tribus mallis, parentibus offeratur, & ſi non redimitur, de vita componat.

3. Qui furtum vult celare, & occultè ſine iudice compoſitionem acceperit, latroni ſimilis eſt.

4. Si homo ingenuus in furto inculpatus, ad æneum prouocatus manum incenderit, quantum inculpatur, furtum componat.

5. Si ſeruus in furto fuerit inculpatus, requiratur à domino vt ad viginti noctes ipſum in mallum præſentet. Et ſi dubietas eſt, ad ſortem ponatur. Quòd ſi placitum ſunnis non detricauerit, & alias xx. noctes ita fiet. Et perſecutor cauſæ de ſuis conſimilibus tres, & de electis

Digitized by Google

ctis aliis tres dabit, qui ſacramenta firmarent per placita, quod lex Salica habet fuiſſe completum. Et ſi dominus ſeruum non præſentauerit, legem vnde inculpatur componat, & de ſeruo faciat ceſſionem.

6. Si ſeruus minus tremiſſo inuolauerit, & mala ſorte priſerit, dominus ſerui III. ſol. ſoluat, & ſeruus ille CCC. ictus accipiat flagellorum.

7. Si quis mancipia aliena iniuſtè tenuerit, & inter dies XL. non reddiderit, vt latro mancipiorum teneatur obnoxius.

8. Si litus, de quo inculpatur, ad ſortem ambulauerit, mala ſorte priſerit, medietatem ingenui legem componat, & iuratores ſex medios electos dare debet.

# *DECRETIO CLOTARII REGIS.*

1. DECRETVM eſt, quia in vigiliis conſtitutis nocturnos fures non caperent, eo quòd per diuerſas intercedente conludio ſcelera prætermiſſa cuſtodias exercent, centenas fieri. In qua centena aliquid deperierit capitale qui perdiderat recipiat, & latronem inſequantur. Vel ſi in alterius centenæ partem deduxerint, & adhuc admo-



Digitized by Google

niti ſi neglexerint, quinos ſol. condamnentur. Capitale tamen qui perdiderat, à centena illa accipiat abſque dubio, hoc eſt de ſecunda vel tertia cuſtodia.

2. Si veſtigium comprobatur latronis, tamen præſentia nihil longè multandus, aut ſi perſequens latronem ſuum comprehenderit, integram ſibi compoſitionem accipiat.

3. Quòd ſi in truſte inuenitur, medietatem compoſitionis truſtis adquirat, & capitale exigat à latrone.

4. Si quis in domo alterius, vbi clauis eſt, furtum inuenerit, dominus domus de vita componat.

5. Si quis cum furto capitur, antè dictæ ſubiaceat legi.

6. Si de ſuſpicione inculpatur, ad ſortem veniat.

7. Si mala ſorte priſerit, latro eſt tamen, ad vtramque partem ſint ternæ perſonæ electæ, ne conludius fieri poſſit.

8. De ſeruis Eccleſiæ, aut fiſci, vel cuiuſlibet quicunque inculpatur, ad ſortem veniat, aut ad plebium promoueatur, aut ipſum precium à domino reformetur. Nam probati periculo ſubiacebunt.

9. Si quis cuiuſlibet de potentioribus ſeruis, qui per diuerſa poſſident, de crimine habetur ſuſpectus, domino ſecretiùs cum teſtibus condicatur, vt intra xx. noctes ipſum ante iudicem debeat

præſentare. Quòd ſi in ſtatutum tempus interludente conludio non fecerit, dominus ſtatus ſui iuxta modum culpæ inter fredum & fredum compenſabitur.

10. Si ſeruus ante admonitum dominum defuerit, capitale dominus reſtituat, & de ſeruo faciat ceſſionem, vt cùm inuentus fuerit, detur in vindictam.

11. Si quis occultè de re ſibi furata à quolibet latrone compoſitionem acceperit, vterque latronis culpæ ſubiaceat, fur tamen iudici præſentetur.

12. Vt continuò capitale ei qui perdiderit reformare feſtinet, & latronem perquirat. Quem ſi in truſte perinuenerit, medietatem ſibi vindicet vel dilaturam. Si fuerit de facultate latronis, & qui damnum pertulit, ſatiatur. Nam ſi perſequens latronem ceperit, integram ſibi compoſitionem ſimul & ſolutionem, vel quicquid diſpendij fuerit reuocauit, fredus tamen iudici, in cuius pago eſt, reſeruetur.

13. Nullus latronem, vel quemlibet culpabilem, ſicut ſummis Epiſcopis conuenit, de atrio Eccleſiæ trahere præſumat. Quòd ſi ſunt Eccleſiæ, quibus atria clauſa non ſint, ab vtraque parte parietum terræ ſpatium, arpennis pro atrio obſeruetur.

14. Nullus confugiens foris ante dicta loca pro operarum cupiditate ſe dicat exire. Quòd ſi fecerint, & capti fuerint, ad dignum ſibi ſupplicium condamnentur.



Digitized by Google

15. Quòd ſi cuiuſlibet ſeruus deſerens ſuum dominum ad Eccleſias confugerit, & ibi primitus dominus eius aduenerit, contentio excuſatur, reddatur furtum, vt ſe de pretio redimat.

16. Si quis ad veſtigium minandum, vel latronem perſequendum admonitus venire noluerit, v. ſol. condamnetur.

17. Ea quæ in Dei nomine pacis tenore conſtituimus, in perpetuum volumus cuſtodire.

18. Hoc ſtatuentes, vt ſi quis ex iudicibus hoc decretum violare præſumpſerit, vitæ periculum ſubiacere cognoſcat.

Digitized by Google

# HÆC SVNT CAPITVLA
## QVÆ GLORIOSISSIMVS KAROLVS IN LEGE SALICA MITTERE PRÆCEPIT.

*De Homicidiis Clericorum.*

1. SI quis ſubdiaconum occiderit, & ei fuerit adprobatum, CCC. ſolidos componat. Si quis diaconum, CCCC. componat. Si quis Preſbyterum, ſol. DC. componat. Si quis Epiſcopum DCCCC. componat. Si quis monachum occiderit, CCCC. ſolidis culpabilis iudicetur.

2. Si quis in immunitate damnum aliquod fecerit, DC. ſolidos componat.

Si autem homo furtum, aut homicidium fecerit, vel quodlibet crimen foris committens infrà immunitatem fugerit, mandet Comes illi Epiſcopo, vel Abbati, vel vicedomino, vel quicunque locum Epiſcopi vel Abbatis tenuerit, vt reddat ei reum. Si ille contradixerit, & eum reddere noluerit, in prima contradictione, XV. ſol.



Digitized by Google

culpabilis iudicetur. Si ad ſecundam inquiſitionem eum reddere noluerit, x x x. ſolid. culpabilis iudicetur. Si nec ad tertiam inquiſitionem conſentire voluerit, quidquid reus damni fecerit, totum ille qui eum infra immunitatem retinet, nec reddere vult, ſoluere cogat. Et ipſe Comes veniens licentiam habeat ipſum hominem infra immunitatem quærendi, vbicunque eum inuenire potuerit. Si autem ſtatim in prima inquiſitione Comiti reſponſum fuerit, quòd reus infra immunitatem quidem fuiſſet, ſed fuga lapſus ſit, ſtatim iuret, quòd ipſe eum ad iuſtitiam cuiuſlibet diffaciendam fugere non feciſſet, & ſit ei in hoc ſatisfactum. Si autem intranti in ipſam immunitatem Comiti collecta manû quilibet reſiſtere tentauerit, Comes hoc ad Regem, vel ad Principem deferat, ibíque iudicetur. vt ſicut ille, qui in immunitate damnum fecit, DC. ſolid. componere debuit, ita, qui Comiti collecta manu reſiſtere præſumpſit, DC. ſolid. culpabilis iudicetur.

3. Si quis ad Eccleſiam confugium fecerit, in atrio ipſius Eccleſiæ pacem habeat, ne ſit neceſſitas Eccleſiam ingredi, & nullus eum inde per vim abſtrahere præſumat: ſed liceat ei confiteri quid fecit, & inde per manus bonorum hominum ad diſcuſſionem in publicum perducatur.

4. Si quis hominem in iudicio iniuſtè contra alium altercantem adiuuare per malum ingenium præſumpſerit, atque inde coram iudicibus vel Co-

mite increpatus fuerit, & negare non potuerit, xv. ſolidis culpabilis iudicetur.

5. Si quis de libertate ſua fuerit interpellatus & timens ne in ſeruitium cadat, aliquem de propinquis ſuis, per quem ſe in ſeruitium caſurum timet, occiderit, id eſt, patrem, matrem, patruelem, auunculum, vel quamlibet huiuſmodi propinquitatis perſonam, ipſe, qui hoc perpetrauit, moriatur, agnatio eius, & conſanguinitas in ſeruitium cadat, & ſi negauerit ſe illum occidiſſe, ad nouem vomeres ignitos iudicio Dei examinandus accedat.

6. Qui res ſuas pro anima ſua ad caſam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram teſtibus legitimis. & quæ hactenus in hoſte factæ ſunt traditiones, de quibus nulla eſt quæſitio, ſtabiles permaneant. Si verò aliquis alij res ſuas tradiderit, & in hoſtem profectus fuerit, & ille, cui res traditæ ſunt, interim mortuus fuerit, qui res tradidit cùm reuerſus fuerit, adhibitis teſtibus coram quibus traditio facta eſt, res ſuas recipiat. Si autem & ipſe mortuus fuerit, heredes eius legitimi res traditas recipiant.

7. Si quis per cartam ingenuitatis à domino ſuo legitimè libertatem eſt conſecutus, liber permaneat. Si verò aliquis eum iniuſtè inſeruire tentauerit, & ille cartam ingenuitatis ſuæ oſtenderit, & aduerſarium ſe inſeruire velle comprobauerit, ille qui hoc tentauit multam, quæ in carta deſcripta eſt, ſoluere cogatur. Si verò carta

non paruerit, ſed etiam ab illo qui eum inſeruire voluerit diffacta eſt, Vueregeldum eius componat, duas partes illi quem inſeruire voluerit, tertiam Regi, & ille iterum per præceptum Regis libertatem ſuam conquirat.

8. Liber qui ſe loco Vuadij in alterius poteſtatem commiſerit, ibíque conſtitutus damnum aliquod cuilibet fecerit, qui eum in locum Vuadij ſuſcepit, aut damnum ſoluat, aut hominem in mallo perductum dimittat, perdens ſimul debitum propter quod eum Vuadio ſuſcepit, & qui damnum fecit dimiſſus iuxta qualitatem Regi cogatur emendare. Si verò liberam fœminam habuerit vſque dum in pignus extiterit, & filios habuerit, liberi permaneant.

9. Omnia debita quæ ad partem Regis ſolui debent, ſolid. XII. denariorum ſoluant, excepta freda, quæ in lege Salica conſcripta eſt. Illa eiſdem ſolidis, quibus ceteræ compoſitiones ſolui debent, componatur.

10. Si quis cauſam iudicatam repetere in mallo præſumpſerit, ibíque teſtibus conuictus fuerit, aut XV. ſolid. componat, aut XV. ictus ab iis ſcabinis, qui cauſam priùs iudicauerunt accipiat.

11. Optimus quiſque in pago, vel ciuitate in teſtimonium aſſumatur, & cui, ſi contra quem teſtimoniare debet, nullum crimen poſſit indicere.

CAPITV-

## *CAPITVLA*
### *de cauſis admonendis.*

1. DE Eccleſiis emendandis, & vbi in vno loco plures ſunt, quàm neceſſe ſit, vt deſtruantur quæ neceſſariæ non ſunt, & aliæ conſtruantur.

2. Vt preſbyteri non ordinentur priùs quàm examinentur, & vt excommunicatio paſſim & ſine cauſa non fiat.

3. Vt miſſi noſtri ſcabinos, aduocatos, notarios, per ſingula loca eligant, & eorum nomina quando reuerſi fuerint, ſecum ſcripta deferant.

4. De his, qui legem ſeruare contempſerint, vt per fideiuſſores ad præſentiam Regis deducantur.

5. Vt illi, qui haribanum ſoluere non debent, coniectum non faciant ad haribannatorem.

6. De fugitiuis & peregrinis vt diſtringantur, vt ſcire poſſimus qui ſint, aut vnde venerint.

7. Vt bauga & bruniæ non dentur negociatoribus.

8. De menſuris, vt ſecundùm iuſſionem noſtram æquales fiant.

9. Vt non mittantur teſtimonia ſuper veſtituram domni Pipini regis.

10. Vt nec colonus, nec fiſcalinus poſſint aliubi traditiones facere.

n

Digitized by Google

11. Vt nullus præſumat hominem ad iudicium ſine cauſa iectare, niſi iudicatum fiat.

12. Vt liber homo, qui in monaſterio regulari comam depoſuerit, & res ſuas ibidem delegauerit, promiſſionem factam ſecundùm regulam firmiter teneat.

13. Vt omnia, quæ Vuadiari debent, iuxta quod in lege continetur, pleniter ſecundùm ipſam legem reuuadiata fiant, & poſtmodum vel domnus Rex, vel ille, cuius cauſa eſt, iuxta quod ei placuerit, miſericordiam faciat.

14. De Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, qui ad placitum noſtrum non venerunt.

15. Vt nullus ebrius ſuam cauſam in mallo poſſit conquirere, nec teſtimonium dicere, nec placitum Comes habeat, niſi ieiunus.

16. Vt nullus præſumat alium cogere ad bibendum.

17. De miſſis noſtris diſcurrentibus, vel ceteris hominibus propter vtilitatem noſtram iter agentibus, vt nullus manſionem contradicere præſumat.

18. De canibus, qui in dextro armo tonſi ſunt, vt homo qui eum habuerit, cum ipſo cane in præſentia Regis veniat.

19. Vt populus interrogetur de Capitulis quæ in lege nouiter addita ſunt, & poſtquam omnes conſenſerint, ſubſcriptiones, vel manufirmationes ſuas in ipſis Capitulis faciant.

20. Vt nullus ad placitum banniatur, niſi qui

cauſam ſuam quærit, aut alteri quærere debet, exceptis ſcabinis, vel qui ad omnia placita præeſſe debent.

21. De falſis teſtibus vt non recipiantur.

22. Vt nullus præſumat per vitam Regis, aut filiorum eius iurare.

23. De Saxonibus qui vxores non habent.

24. De Signatis qui mentiendo vadunt.

25. Vt miſſi noſtri, qui iam breues detulerunt de adnuntiatione, volumus adhuc adducant de opere.

26. Quanti moram faciant in vnoquoque loco, & quot homines ſecum habent.

27. De prudentia & conſtantia miſſorum noſtrorum.

28. De falſis monetariis requirendum.



Digitized by Google

# GLOSSARIVM F. PITHOEI, SIVE INTERPRETATIO OBSCVRIORVM VERBORVM

## quæ in lege Salica habentur.

LEGIS SALICÆ] Francorum quos conſuetudo Salios vocitauit, ſicut Amm. Marcell. ſcribit. Fortaſſe à ſaliendo. Sidon.

*Tibi vincitur illic*
*Curſu Herulus, Chunnus iaculis, Francúſque natatu,*
*Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonus.*

Et in prologo harum legum, *Gens Francorum inclyta fortis in armis, audax, velox & aſpera.* Lex ſimpliciter dicitur, Synod. Cabillon. & Rhemenſ. Videantur Ado, Einardus, Ottho Friſing. Sigebertus, Trithemius & Nicol. Vigner. libell. cui titulus eſt, *Traité de l'eſtat & origine des anciens François.*

### TIT. I.

MALLVM] Flodoard. ex epiſtol. Hincmar. *Quia de preſbytero & Eccleſia, ad Epiſcopos & ſynod. definitio pertineat, non ad mallum, vel ciuilium iudicum diſpoſitionem.* Vide Gloſſar. ad Capitular. Quid enim repetam quæ ibi habentur?

MANNITVS] monitus, *ſemont.* Mannitiones, *ſemonces & adiournemens*, Nortmannis.

SVNNIS] Sic vet. omnes. Nec tamen alibi, malè *Sonnis.* Vet. Gloſſ. *Sonnis, impedimentum. Eſſoine ou empeſchement*, Conſuetud.

Hannonenſ. Tit. xix. §. 6. leg. Sal. in edit. Germ. *Si in mallum vocatus fuerit, & is qui vocatus eſt non venit, ſi eum aut infirmitas, aut ambaſcia dominica detinuerit, vel fortè aliquem de proximis mortuum inter domum ſuam habuerit, per iſtas ſunnis ſe poteſt homo excuſare, aliàs de vita componat.*

DENARIOS] Monetæ minutioris ſpecies ſunt, & hodie hæ apud nos, *denier.* Denarius. Vnde *denrée*, denarata, in adnuntiatione Caroli apud Piſtas DCCCLXII. *& fruicts adenerez* Bleſenſibus. *Double*, vnde *doublon* binio, dinummium, Ægeſippo, Vet. Gloſſ. & C. Tit. de Alex. primat. *Liar*, Miliariſium Epiphanio & Cedreno. *Blanc.* Germ. *Vueiſpenning. Bianco* Italis. *Aſprum* Græcis. *Katau* Perſis. *& Grand blanc*, ad differentiam *des ſols nerets.*

SOLIDOS] Solidus lege Salica fuit XL. denariorum, quod Pipinus immutauit. Can. XLI. Synod. Rhem. *Vt dominus Imp. ſecundùm ſtatutum bonæ memoriæ Pipini miſericordiam faciat, ne ſolidi qui in lege habentur per* XL. *denarios diſcurrant, quoniam propter eos multa periuria, multáque falſa teſtimonia reperiuntur.* Quod tamen omnino non placuit Karolo Mag. Capitul. lib. 3. cap. 30. Sed tandem Ludouicus Pius conſtituit lib. 3. cap. 75. *Vt omnis ſolutio atque compoſitio, quæ in lege Salica contineretur, inter Francos per* XII. *denarios ſolidos componatur, excepto vbi contentio intra Saxones & Friſones exorta fuerit.* Remanent tamen hodie veſtigia Solidi iſtius moribus noſtris in mulctis, & *ἀποδεκτικοῖς* ſiue laudimiis.

SI IN IVSSIONE REGIS] *Lettres d'Eſtat.* Marculf. in formula pro cauſa ſuſpenſa. *Cognoſcat magnitudo tua, dum nos ad præſens Apoſtolico viro illuſtri pro noſtris vtilitatibus illic ambulare præcepimus. Ideo iubemus, vt dum in illis partibus fuerit demoratus, omnes cauſæ ſuæ ſuorúmque amicorum aut gaſindorum in ſuſpenſo debeant reſidere.*

INFRA PAGVM] Anonym. de tranſlatione B. Gildaſij. *Per illud tempus, cum omni reuerentia nobis nominatus glorioſus princeps nobilis Ebbo, maximam partem pagi Bituricenſis ſub ditione ſua tenebat. Siquidem à Charo fluuio, vſque ad Vuortempam & Engliam potentiſſimè principabatur.* Sigebert. anno 759 *Aruernorum pagum depopulatum premit, & multa caſtella, ipſam vrbem Aruernis capit.*

## TIT. II.

LACTANTEM] Retinui omnium codicum ſcripturam. Grammaticis quidem, lactans dicitur quæ lac præbet, lactens cui lac præbetur. Sed hæc tam anxiè à noſtris obſeruata non ſunt.

DE HRANNE] Sic vet. 3. & Germ. edit. *Rhan.* Vnde Campanis noſtris, *Mettre les porcs en rhan,* vt pinguiores fiant.

Digitized by Google

CAPITALI ] Tit. 10. *Si quis animal aut caballum, vel quodlibet pecus in meſſe ſua inueneris, penitus eum lædere non debet. Quòd ſi fecerit & confeſſus fuerit capitale in locum reſtituat, ipſum verò debile quod percuſſit ad ſe recipiat.* Et Tit. LXVIII. *Caballum ipſum in capite reſtituat*, & tit. 5. & 8. leg. Aleman.

DELATVRA ] Gloſſ. *fredo.*

DE SVDE ] Porcorum ſtabulo. Noſtris *Seu.* liber de Arithmeticis proportionibus, ſiue is Gerberti ſit, ſiue alterius: *Paterfamilias ſtabiliuit curtem nouam quadrangulam, in qua poſuit ſcrofam, quæ peperit porcellos ſeptem in media ſude.* & tit. 18. inf. *ſi qui ſudem cum porcis.*

SCROVAM ] Sic vet. 5.

SVBBATIT ] Gloſſ. *porcellos in ventre matris occidit.* Recapitulatio, *ſi quis ſcrofam alterius ſubbatit vt porcellos non habeat.*

TERTVSSVM ] Gloſſ. *qui domi nutritur. Der Zuhous.*

VERRVM ] Sic omnia exempl. *Verrat.*

SCROVAM DVCARIAM ] Gloſſ. *ductricem aliarum ſcrouarum.* Longobard. *Sonopar* Sectarius, dicitur ſiue dux gregis. aut ducator, ſicut loquitur Tert. Nam *Senneten* & *Sente*, armenta ſignificantur in legib. Ripuar. & Angl. vnde Seniſcalci nomen, *armentorum miniſtri.* Alam. leg. ſub Tit. de eo qui paſtores vel artifices occiderit; Sic apud Otfridum, *Druthines ſcalche*, Domini miniſtri ſiue Apoſtoli. *Kero*, ſeruus, *ſcal*. vt *Adelſcalke*, *ſerui principis* in Synod. ſub Thaſſil. habita. Theodulphus Antulphum Seneſcalci officio functum ſcribit, quem Sigebertus & Aimoinus, præpoſitum menſæ Regis, Regino, Principem coquorum dicunt. Vidend. Hincmar. Rhem. admonition. ad Epiſcopos, & ad Regem Karolomannum cap. 23.

SACRIVVM ] Gloſſ. *qui eſt defenſor aliorum porcorum. Sacriua arbores.* Syn. Antiſſiod. cap. 4. 715. Auctor de rectitudine Catholicæ fidei. *Fontes & arbores quos ſacriuos vocant ſuccidite.* Porci ſacres Varr. & Feſt. dicuntur ad ſacrificium idonei.

QVI DICITVR VOTIVVS ] Greg. Turon. 2. Mirac. 3. *Quæ ſit manſuetudo pecorum in hac Baſilica votiuorum, qualiter vituli petulantes, calcitrantes equi, grunnientes ſues, vt limen ſanctum ingreſſi ſunt, conquieſcunt.* Idem: *De his verò quæ votiua ſunt, nulli penitus quippiam ſubtrahere licet.*

## TIT. III.

HOC EST TRESPELLIVS ] Germ. edit. *tresbellio*, id eſt de tribus villis. *de trois Clochers.* Sicut loquuntur conſuetudinarij. Gloſſ. *Clocca, belle.* Cloccarium vel lucar, *bell-hus.* Sic *trimarchiſia* apud Pauſan. *Quòd ſinguli equites Galli conſtarent ex tribus.*

TAVRVM REGIS ] ſic vet. 3.

## TIT. IV.

BERBICES ] *Berbis*, Gregor. epiſt. 16. lib. 8.

## TIT. V.

CAPRITVM ] Hircum, *cabrit.*

SI QVIS BVCCVM ] noſtris *bouc.* Germ. *bock.* Turon. 9. 23. *Buccus validus vocabatur.*

## TIT. VI.

SEVSIVM ] ſic vet. omnes. Vid. Tit. 19. leg. Baioar. Tit. 42. leg. Alaman. Videtúrque nomen iſtud reponendum tit. 15. Reſponſ. Papiani, cùm vet. exemplar habeat. *ſi ſaucuum*, al. *Sacium.*

VELTREM ] Canis Gallicus Ouidio & Martial. Clemens Scotus, ſiue potiùs incertus ſancti Galli monachus in vita Caroli Magni. *Aſſumſit duos caniculos, in manum ſuam, quos Gallica lingua Veltres vocant, qui agilitate ſua vulpes & ceteras minores beſtias facillimè capientes. Veltro* Danti, noſtris *vaultroy* dicitur. Et tit. 10. leg. Burgund. Veltrahus. Et apud Gratium de venation.

*----- At te leue ſi qua*
*Tangit opus, pauidóſque iuuat compellere dorcas,*
*Aut verſuta ſequi leporis veſtigia parui,*
*Petronios ſic fama canes, volucréſque Sicambros,*
*Et pictum macula veltrahum delige falſa.*

Sic enim legendum. Petrunculorum fit mentio eodem tit. leg. Burgund.

ARGVTARIVS ] Sic vet. 4. *qui ſciat occultos & ſignis arguat hoſtes.*

CVRTIS ] leg. Alam. *qui curtem defendit.* Petrus Beneuentanus. *Curtis vulgare eſt Gallicorum, ſicut man'us Italicorum.*

CANEM PASTOREM ] ſic vet. 4. Aliàs *paſtoralem.* Vid. Tit. XXXII. leg. Alaman.

## TIT. VII.

ACCEPTOREM ] Sic antiqua omnia exempl. & tit. 99. leg. Alem. Chariſius. *Acceptor quoque & accipiter dicitur. Virgil. enim accipiter dixit. Lucill. acceptor.* Gloſſ. *Acceptor* ἱέραξ.

SPARVARIVM ] Sic vet. *Eſparuier.* Germ. *Sparuuer.*

ANETAM ] Sic vet. 2. & tit. 99. leg. Alaman. Gloſſ. *Aneta ened.* In veteri Formul. *Similiter & porcellos habent, & vnam vaccam, & duas*

*anetas*

*anetas à cæteris ſeparat, & dat illis quotidie abundanter.*

GALLVM ] 1. Exempl. *coccum.* Gloſſ. *Gallus cocc. Gallina henn.*

SI QVIS TVRTVREM ] 2. Vet. exemp. *Si quis aucellum de trappa furauerit.* Sicut & Germ. editio. inde *Trappe, & entrapper.*

## TIT. VIII.

MATRIAMEN ] Sic vet. 3. & inf. tit. XXIX. inde noſtris *Marien.*

CONCAPVLAVERIT ] Sic vet. 4. Gloſſ. *truncauerit vel exciderit.* Tit. 32. edit. Germ. de debilitat. Vet. Gloſſ. *Scapellare, id eſt, exſcindere, frangere.* In legib. Longob. *Si quis caballo alterius caudam capellauerit, id eſt, ſetas traxerit.*

## TIT. IX.

DE INTRO CLAVE ] Sic vet. 4. *dedans la claye.*

## TIT. X.

INCLVSERIT ] Vet. 4. *inclauſerit,* & inf. *inclauſa.* Turon. 3. *Hac nocte cùm equos ad claudendum adduxeris.*

AVT MINENTVR ] Paul. Diacon. *Agere modò ſignificat ante ſe pellere, id eſt minare.* Vet. Interp. Actor. cap. 18. *& minauit eos à tribunali,* ἀπήλασεν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ βήματος.

SI ALICVIVS PECORA ] Conueniunt mores. *De Labourt.* Tit. 3. Art. 9. 19.

SEPEM ALIENAM APERVERIT ] *Quicloſt empeſche.* Gregor. Turon. de virt. S. Mart. *Primo die Paſcha, iuſſus eſt à domino ſuo vt agrum circuiret, inuentòque aditu, vnde pecora introibant, dum eum claudere conatur, excæcatus eſt.*

IN QVEMLIBET LABOREM ] Greg. Turon. lib. 7. cap. 22. *Nam dum eſſet in libertate, equi ac pecora per ſegetes pauperum vineáſque dimittebantur. Quòd ſi expellebantur ab his quorum euertebant laborem, ſtatim à ſuis arcebantur.*

## TIT. XI.

IN TEXAGA ] Gloſſ. *Intra tecta.*

VINITOREM ] Gloſſ. *Vinitor* ἀμπέλων. Turon. 5. 48. *à fiſcalis vinitoris ſeruo.*

SIVE VENATOREM ] Additur in vno exempl. *Siue Scantionem.*

Vet. Gloſſ. *Scantio, pincerna.* inde nobis *Eſchanſon.* & in Concil. Toletan. *Comes Scancziarum.*

De ministerio] Flodoard. *Plebeiis quoque quibuſdam perſonis, villarum ſcilicet miniſterialibus, pro rebus miniſteriorum ſuorum nonnunquam ſcribens, qualiter res ſibi commiſſas tractare deberent.*

## TIT. XIII.

CXX. ictus accipiat] Nec enim olim arbitrio carnificis, ſicut hodie cædebantur condemnati ad flagra, quod ex ſacra ſcriptura conſtat. Petron. Harmenop. διὰ δώδεκα ἀλλακτῶν σωφρονιζέσθω. & alius, διὰ κ. μαγγλαβίων σωφρονιζέσθω. quod idem eſt. Gloſſ. μαγγλάβια ἀλλακτά. In LL. Boioarior. xl. *Gamactas accipiat, & Rumpatur dorſum eius quinquaginta gamactis.* quæ ſunt vet. interp. *percuſſiones.*

Avt castretvr] Sic Tit. 27. & 42. Furcæ affigitur apud Gregorium Turonenſem de virtutibus Sancti Martini lib. 1. c. 21. & lib. 3. c. 53. *Genitoris* (inquit) *ciuis noſtri ſeruus à iudice pro furti ſcelere comprehenſus, patibulo diiudicatur.* & de glor. Confeſſ. cap. 101. & de gloria Mart. lib. 1. cap. 73. & lib. 6. Hiſt. cap. 8.

## TIT. XIIII.

Screvna] Sic. cod. vet. 4. Alij *ſcreona*, ſicut Leodes, Leudes: Beodum, Beudum Tit. 29. leg. Burgund. *Effractores omnes qui aut domos, aut ſcreunias* ſic v. *Eſcrenes*, etiam hodie ruſticis Campanis dicuntur, cameræ illæ demerſæ in humum, multo inſuper fimo oneratæ, in quibus hyeme puellæ ſimul conuenientes, peruigilant ad mediam noctem.

In verbo Regis] Ribuar. Tit. 37. Greg Turon. lib. 9. c. 19. *Brunichildis grauiter accepiſſet, eo quod in eius verbo Sicharius poſitus, taliter fuerit interfectus.* Et alibi. *Præceptionem tribui iuſſit, vt in verbo ſuo poſita à nullo vnquam parentum defuncti illius in aliquo moleſtiam pateretur.* Inde hodie, *En parole de Roy.*

Propter fredvm.] Gregor. Turon. *Quoſdam ex eis qui abſoluti fuerant ad ſe veniſſe, atque compoſitionem fiſco debitam, quam illi fredum vocant, ſe fuiſſe eis indultum.*

Litvs] ſic 2. Exempl. vt Tit. 1. leg. Friſon & tit. 2. leg. Saxon. *Litus, ſi per iuſſum vel conſilium domini ſui* Aliàs *Lidus.* Gloſſ. *Fiſcalinus vel Sanctuarius.* In ſynod. Bauaric. *Homo regis id eſt fiſcalinus, vel eccleſiaſticus, vel lidus interfectus.* Albert. Stadenſis: *Plures autem ſe eis dediderunt proprios, & qui ab eis viui re ſunt permiſſi, Litones, ſunt ab eodem vocabulo nuncupati, Inde Litanes in*

*prouincia Saxonum ſunt exorti.* In priuilegio conceſſo ab Henrico Imperatore, anno 1009. Eccleſiæ Mindenſi: *Aut homines ipſius Eccleſiæ francos, liberos & Eccleſiaſticos litones maalman, vel ſeruos cuiuſlibet conditionis, ſeu colonos contra rationem diſtringendos.* In priuilegio ab Ottone III. Imperatore eidem Eccleſiæ, *Aut homines ipſius Eccleſiæ litos, vel cuiuſlibet conditionis ſeruos, contra rationem diſtringendos.* In priuilegio conceſſo ab Ottone I. eidem Eccleſiæ, *Hominibus quoque famulatum eiuſdem Monaſterij facientibus, qui Saxonicè malman dicuntur, prædictum Mundeburdum & tuitionem noſtram conſtituimus.* In Conſtitut. Caroli Magni; & lib. 3. leg. Longobard. *Aldiones ea lege viuant in Italia in ſeruitute dominorum ſuorum, qua Lidi in Francia.*

INGENVAM FEMINAM TRAXERIT] Marculf. in Form. Si aliquis puellam inuitam traxerit. *Dulciſſimæ coniugi meæ ill. Dum te præter voluntatem parentum tuorum habui deſponſatam, & abſque tua vel parentum tuorum voluntate raptam ſcelere, meo coniugio ſociaui, vnde vitæ periculum incurrere debui.* Et Carta, De agnatione, ſi ſeruus ingenuam trahit. *Dum hominibus non habetur incognitum, qualiter ſeruus meus ill. te abſque tua voluntate rapto ſcelere in coniugium ſociauit, & ob hoc vitæ periculum incurrere potuerat: ſed interuenientibus amicis, vel bonis hominibus conuenit inter nos, vt ſi aliqua procreatio filiorum orta fuerit inter vos, in integra ingenuitate permaneant.*

DE SVA VOLVNTATE] Marculf. in For. *Dictis hominibus non incognitum, qualiter ſeruum meum nomine N. voluntariè accepiſti maritum, vt te ipſam & agnationem meam in meo inclinare potuerim ſeruitio.*

DRVCHTE] Gloſſ. *Sponſata. Druhtines haus,* Templum domini apud Otfridum *Kero* interpret. Vocab. Barbar. dominus *Truſtin.* Sidon. *Neque patiaris, vt te ab hoc propoſito propediem coniunx domum feliciter ducenda deflectat.*

PER VIRTVTEM] ſic vet. omnes cod. Vulgat. *Per vim mœchatus fuerit.*

SORORIS] Aliàs, *Sororem aut fratris filiam.*

CERTE ALTERIVS] ſic vet. 4. alia duo *certè vlterius.*

FRATRIS VXOREM] Gregor. Turon. lib. 3. c. 6.

## TIT. XV.

DE EO QVI] vet. 2. exempl. ſicut & German. editio, *de ſuperuentis & expoliationibus.* Et ſanè mirum eſt quàm malè conueniat in pleriſque editio Tiliana, cum Germanica. Nec tamen



Digitized by Google

vtraque ſine veteribus libris, vt putem Tilianam repetitæ prælectionis eſſe, ſaltem poſteriorem Germanica.

IN SVPERVENTV ] Turon. 8. 40. *furta ſuperuenta, peruaſiones.* Gloſſ. ἐπεισπίπτω, *ſuperuentum facio.* Tit. 29. leg. Burgund. *Si quis ſuperuentu aut latrocinij ſcelere negotiatorem aut aliquem occiderit.*

PRÆCEPTVM REGIS HABENTIS ] Gregor. Turon. lib. 9. hiſtoriar. cap. 20. Aimo. 5. c. 36. *Præceptum tamen de confirmatione totius abbatiæ, de more Principum fecit.* Odo monachus Foſſatenſis in vita Burcardi Comitis: *Poſt hæc etiam Regis adeuntis præſentiam deprecati ſunt, vt hæc dona præcepti ſui auctoritate roboraret, & annuli ſui impreſſione munire dignaretur.*

ADSALIRE ] *aſſaillir.*

VLÆ LACINIAM EI FACERE ] Germ. edit. *Extra ordinationem Regis reſtare, aut adſallire præſumpſerit. Arreſter.* Arreſtare in leg. Longobard. lib. 3. tit. 1. l. 78.

FVRTV ] Sic. Vet. omnes, vt inf. tit. 17.

## TIT. XVI.

CONTVBERNIO ] Gloſſ. *auxilio.*

VNVSQVISQVE EORVM CVLPABILIS IVDICETVR. ] Deſunt hæc in antiquiſſimo exemplari.

## TIT. XVII.

NAVFO ] ſic vet. 3. Gloſſ. *Sarcofago ligneo.* Noſtris *Nau. Noue.* Gregor. Turon. de glor. Confeſſ. *Cùmque ſancta corpora palliis ac nauſis exornata.* ſic ver. Nec tamen malè vulgat. edit. *mappis.*

ARISTATONEM ] Gloſſ. *Staplum ſuper tumulum miſſum.* vt tit. 57. inf. *Palla tegebant tumulum.* Emardus de SS. Martyrib. Marcellino & Petro fumo 528. in editione recentiori, *Lapidem quo ſummitas ſepulchri tegebatur, de loco ſuo leuare moliuntur.* Gregor. Turonen. cap 54. de Mirac. S. Mart. *De Palla quæ ſanctum tegit tumulum.* & lib. 1. Mirac. *Pallam holoſericam, auróque exornatam ex gemmis, quæ ſanctum tegebat ſepulchrum, temerario auſu deripuit ſecúmque ſuſtulit.* Et de glor. Confeſſ. *Palla erat lignea quæ ſanctum Confeſſoris tegebat ſepulchrum.* Nobilibus ſuperponebant tapetem. In vet. cartulario: *In redemptionem vnius tapetis, quod patri mortuo ſuperpoſitum eſt, vt eſt conſuetudo nobilium.*

## TIT. XVIII.

SPICARIVM ] Gloſſ. *Horreum cum tecto.* Germ. *Spicker.*

MAHOLVM ] ſic vet. 4. Gloſſ. *Horreum ſine tecto.* noſtris *Machau.*

SEVRIAM ] Alleman. *Schure*, ſiue *ſcheure*. Hincmar. Rhem. aduerſ. Hincmarum Laudun. *Inſuper & ſcuriam ipſius interclusit, & annonam de terris dominicatis collectam, ſine licentia ipſius preſbyteri in eam miſit.* & Tit. 4. leg. Baiuuar. *Qui defendere volunt caſas vel ſcurias vbi fœnum vel granum inueniunt.* Inde noſtris, *Eſcurie*, & fortaſſe Gloſſar. B German. *Curia*, ἵππων βυλή.

FENILE ] *Fenil.* Gloſſ. *Fenile locus vbi fœnum ponunt.* χορτοκό-πιον. *fenile, feniſecium.*

MALLARE EVM DEBENT ] Inde *Hamallus* tit. 49.

CONCISAM ] Sic vet. 4. Vet. chronicon. *Et nimia feſtinatione Saxonum caſas ſeu firmitates ſubitò introiit.* Item: *Multos Britones conquiſierunt vnà cum caſtellis, & firmitates eorum locis paluſtribus & inceſis.* quod alius autor ſic. *Et ibi multa caſtella acquiſierunt, & loca firma & munita paluſtria & inceſa.* Nec tamen omnino malè vetus vnum exemplar, *concidem* habet. Gregor. Turon. lib. 2. *Franci ſimulato metu ſe in remotiores ſaltus receperant, concidibus per extrema ſiluarum procuratis.* Et, *qui coniunctis arborum truncis vel concidibus ſuperſtantes.* Concedes appellat Cæſar, & Marcellin. *Concede*, inquit, *arborum denſa vndique ſemitis clauſis.* & alibi: *Difficiles vias & ſuapte natura clinoſas concedibus clauſere ſolerter, arboribus immenſi roboris caeſis.*

## TIT. XIX.

COLPVS ] Gloſſ. *ictus. Coup.*

SAGITTA TOXICATA ] Gregor. Tur. 2. Hiſt. *Sagittas tormentorum ritu effundere inlitas herbarum venenis.*

PLAGAVERIT ] Vet. interp. Iuuenal. *Mars cùm plagatus eſt à Diomede.*

VT SANGVIS AD TERRAM CADAT ] Ribuar 2. *vt ſanguis exeat, terrámque tangat.*

INTRANIA ] Sic. Vet. 5. Greg. Tur. 4. Miracul. S. Mart. *Doloris malum in illis intraniorum flexuoſis receſſibus bacchabatur.* In edicto Turci Aproniani Præf. Vrb. *reliqua caro cum pelle & interaneis proficiat venditori.*

PLAGA SEMPER CVRRIT ] *la playe court.*

## TIT. XXI.

VIII. DENARIOS ] Apud Vuitardum in fluuium merguntur. *Gerbergam*, inquit, *more maleficorum in Ararim mergi præcepit.*

HERBAS DEDERIT ] *Herbarum venena.* Greg. Turon. lib. 2.

c. 9. & cap. 36. lib. 4. de Mirac. S. Mart. *Ligamina herbarum atque incantationum verba proferebant.* Vnde *enherber.* Vet. Poëta:

*Souz giſt le frais ſerpent en l'herbe,*
*Fuyez enfans car il enherbe.* Burchard. 19. collect.

SVPERIACTATVS FVERIT ] ſic vet. 6.

CVM LIGATVRIS ] Turon. Mirac. 2. c. 45. *Incantationes immurmurat, ſortes iactat, ligaturas collo ſuſpendit.* & de Mirac. S. Mart. c. 26. Hincmarus in geſtis habitis ſuper diuortio Thietbergæ ad 15. interrog. *Ad hæc non pertinent ligaturæ execrabilium remediorum quæ ars medicorum commendat, ſiue in præcantationibus, ſiue in characteribus, vel in quibuſdam rebus ſuſpendendis atque ligandis.* quæ verba extant apud Rabanum epiſt. ad Bonoſum. Burchard. lib. 19. collect. canon. *Feciſti ligaturas & incantationes.*

## TIT. XXII.

MAMILLAM STRINXERIT ] Edit. Alam. *capulauerit.* Vid. Tit. Leg. Lang. *De paupere.* Burchard. decret. lib. 19.

## TIT. XXIIII.

IN MOLINO ANNONAM ] Greg. Turon. de virtutib. S. Mart. *Quidam non metuens neque honorans diem ſanctum dominicæ reſurrectionis, accepta annona ad molam vadit; impoſitóque tritico molam manu vertere cœpit.* Et de glor. Confeſſ. cap. 107.

SI QVIS SCLVSAM ] *Eſcluze.* Inde ὀχυρώματα. *Cluſuræ* ſiue *ſcluſæ.* Anonym. in Pipino. *Aſtulphus rex Langobardorum ſupra dictam iuſtitiam vetando ſcluſas Langobardorum petiit.* quas Aimoin. vocat *clauſuras.*

DE FARINARIO ] Marculf. *pratis, paſcuis, aquis, aquarúmve decurſibus, farinariis, adiacentiis, appenditiis.* Odo Foſſatenſ. monachus, in vita Burcardi Comitis: *Item prope caſtrum farinarium quod vocatur Toluia.*

## TIT. XXV.

PRO EO QVIA DESCENDERIT ] Sic. Vet. omnes. Tilius, *pro equa quam aſcenderit.*

## TIT. XXVI.

SIVE CRINITVM ] Martialis:
*Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.*

Digitized by Google

Apud Romanos vſque ad pubertatem comæ nutriri conſueuerant. *Vnum è crinitis.* Agathias 8. 9

TOTONDERIT ] Gregor. Turon. lib. 9. c. 38. *Drocheltum inciſis capillis & auribus ad vineam exercendam delegauit.* An reſpicit ad illum morem, de quo Otto Friſing. lib. 1. c. 16. & Vett. annales. *Karolus* (inquiunt) *Francorum princeps, filium ſuum ad Liuthprandum miſit, vt more fidelium Chriſtianorum, eius capillum primus adtonderet & pater illi ſpiritualis exiſteret.* An ad clericarum? Greg. Tur. 3. Hiſt. 19. *& ſibi propria manu capillos incidens clericus factus eſt.* & lib. 4. c. 4. Vid. tit. 6. leg. Burgund. Marculf. in præcepto de clericatu: *Veniens ille ad noſtram præſentiam petiit ſerenitati noſtræ, vt licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis ſui ad onus clericatus deponere deberet.* Sequitur paulò pòſt: *Præcipientes ergo iubemus, vt ſi memoratus ille de capite ſuo bene ingenuus eſſe videtur, & in poliptycho cenſitus non eſt, licentiam habeat comam capitis ſui tonſurare.*

INFRA VIIII. NOCTES ] Sic Vet. omn. Pueris ergo nono die nomina impoſuerunt, ſicut & Romani: Feſt. Luſtrici. Inde vir & vxor inter ſe ſolidum capere poterant, ſi duos trimos, vel ſi tres poſt nonum diem amiſiſſent. lib. 2. leg. Vuiſig. tit. 4 §. 17. 18. Vlpian. lib. Regul. Alij ſeptimo; quidam decimo. Ariſtot. Harpocrat. Schol. Ariſtoph. Suidas. Galli verò omnes ſpatia omnis temporis non numero dierum, ſed noctium finiebant, vt noctem dies ſequeretur. vt docui, Gloſſar. ad Capitul. Carol. Mag.

IIII. DEN. ] Non igitur multa plectitur, qua qui virum occiderit, quod eſt contra ius Romanum. leg. pen. C. ad l. Cornel.

FREDVS EI NON REQVIRATVR ] XII. Tab. Impuberes ſi furtum fecerint, Prætoris arbitratu verberantur.

## TIT. XXVII.

ALIENA ANCILLA ] Iure Romano tenetur iniuriarum actione. l. inter liberas D. ad leg. Iul. de adult. & aliam reformare cogendus eſt. Paul 1. ſentent. tit. 12.

IPSE CVM EA IN SERVITIO ] S C. Claudiano mulier quæ ſe alieno ſeruo iungit, ancilla fit. Vlp. tit. XI. lib. ſing. regular.

CASTRETVR ] Vt qua parte peccauit, eadem multetur. Niceph. hiſt. 11. δι' ὧν γάρ τις ἁμαρτάνῃ, δι' αὐτῶν ϗ παιδεύεται.

POSTQVAM INFANTES HABERE COEPIT. ] Rib. 12. *Poſtquam parturire cœperit, vſquam ad quadrageſimum annum.*

## TIT. XXVIII.

IN HOSTE] *En l'hoſt.* inde *hoſtage.*

PER DENARIVM] Præcepti denarialis formula extat in explicatione obſcuriorum vocabulorum Capitul. In vet. chartula Eccleſ. Lugdunenſ. *Seruum iuris veſtri manu propria, & manu illius excutientes denarium, ſecundum legem Salicam liberum, cum omnibus quæ habet vel adquiſierit, fecimus.* In veter. formul. *Inde quemdam ſeruum N. vt eum ob mercedis augmentum liberum dimitteremus rogarunt. Nos verò manu propria noſtra excutientes de manu ſupradicti N. denarium vel nummum, vel argenteum vel aureum vel dragmam, vel ſeſtertium, vel minam, ſecundùm legem Salicam, eum liberum dimiſimus, & ab omni iugo ſeruitutis abſoluimus.*

## TIT. XXIX.

DE PECORIBVS TINTINNVM] Clementian. Fortun.
*Tintinnum rapit alter inops, magis improbus ille*
*Qui iumentorum colla tenere ſolet.*

SKELLAM] Sic 5. Exempl. non *ſellam* vt editum erat anteà, *Tintinnabulum.* Aleman. *Skel.* Tholoſ. *Eſquil.* In vita B. Anſelmi: *Vnum eorum ſumpta in manibus corda pro excitandis fratribus, ſcillam pulſantem ad eius ſonitum.* Durandus 1. de diuin. offic. c. 4. *Nota ſex eſſe genera tintinabulorum, quibus in Eccleſia pulſatur; ſquilla, cymbalum, &c. ſquilla pulſatur in triclinio, id eſt, refectorio.* Aimo. lib. 3. c. 82.

REFFARE.] Edit. Baſil. *Repaſcere.* Aliàs, *tripauerit aut meterit.* Gloſſ. *Raptor reofere.* Meſſor *Riftere.* & hodie Germanis *Reupfen.* Gall. *Raffler* vellere eſt.

INPOTOS] Sic vet. 5. An inde *impffen* Alamannis. *Enter* noſtris. Gloſſ. *fructus pœſtin.*

MILARIO] Sic vet. 5. Gloſſ. Malarium pomum. Vet. donat. inſtrum. *& 2. melarios in ipſo loco.*

DECORTICAVERIT] Exempl. 1. *excorticauerit.*

CVLTELLVM] Noſtris, *Coultre.*

SI QVIS ARATRVM] Gallos adinueniſſe formam aratri cum rotis, teſtatur Plin. lib. 18. cap. 18.

TESTAVERIT] Sic vet. omnes libri præter vnum, qui habet, *ſi quis aratrum de campo alieno anteoſtauerit, aut iactauerit, aut teſtauerit.* Baſilienſ. *aratrum anteortauerit, aut iactauerit.*

DESCARGAVERIT] *deſcharge.*

Si

SI VERO TANTVM TVLERIT ] Licèt tamen viam tranſeunti, pabuli non nihil equo carpere Leg. 1. Long. De tranſeunt. Leg. Neapol. lib. 3. tit. 58. Iure Saxonico lib. 2. Speculi.

POST ANNVM QVAM FVERIT SIGNATA. ] In diplom. Ludouici II. apud Lazium. *Ex parte Auſtri vſque ad medium montis Slaumnum Colmiza dicta. Vbi duabus arboribus ſigna certa poſita ſunt.* Et in Chronico Laureshamenſi, ex donation. Cancoronis: *De illo rubero vt, per Agiloſum & ſuos conſortes pro ſigna inciſa.* Et paulò pòſt: *ſicut ipſa inciſio arborum in ipſa die facta eſt, quæ vulgò lachus appellatur ſiue diuiſio*, Inde *Laye. S. Germain en Laye.*

STATVAM ] Sic vet. 7. alij, *Stauam*. noſtris *Eſtaue*, genus maioris retis. Palum, Germ. *Staf.*

TREMACVLVM ] Sic vet. 5. al. *Tramaculam, Tramaculum, Trimaclem, Tremalium. Tremail*, noſtris.

VERTIVOLVM ] Sic vet. 5. al. 2. *Vertuolum*, al. *Verticulum.* Noſtris *Verueil.* Genus piſcatorij retis, quò cùm intrauit piſcis exire non poteſt.

BRACHILE ] *bracelet.* Tacit. de moribus German. *Nec alius fœminis quàm viris habitus. Partémque veſtitus ſuperioris, in manicas non extendunt, nuda brachia ac lacertos.*

SI QVIS CASAM ] Sic vet. 7. Tacitus de moribus Germ. *Ne cœmentorum quidem apud illos, aut tegularum vſus. Materia ad omnia vtuntur informi.*

## TIT. XXXI.

TRVNCAVERIT ] Baſil. edit. *capolauerit.*

DIGITVM QVO SAGITTATVR ] Ribuar. tit. 5. *digitus vnde ſagittatur.*

SI VERO POLLIX MANCATVS PEPENDERIT ] Rib. 5. *Quòd ſi pollix ibidem mancus pendiderit.*

## TIT. XXXII.

CENITVM ] Gloſſ. *oculum erutum habentem. Borgne.*

CONCHAGATVM ] Gloſſ. *ſordidatum.* Honos auribus, *foireux, breneux.*

VVLPICVLAM ] *renard.* Greg. Tur. 8. hiſt. c. 6. *Multas eis perfidias & periuria exprobrauit, vocans eos ſæpius Vulpes ingenioſas.* In vita S. Remigij: *Iuſſit nominari vulpeculam, quod cur ita eum nominari voluerit, qui fraudes & ſignificationes ipſius animalis cognoſcit, ſatis aduertit.*

LEPOREM ] Sidon. *Cùm ſint in prætoriis leones, in caſtris le-*

*pores.* Euſebius in Chronic. *Cornificius poeta à militibus deſtitutus interiit, quos ſapè fugientes Galeatos lepores appellarat.*

SI QVÆ MVLIER] Abeſt hic § in omnibus exempl. præterquam in vetuſtiori.

QVOD SCVTVM SVVM PROIECISSET] Vidend. Agathias lib. 2. Gallos ſcuta patria Thireos vocaſſe ſcribit Pauſan. Hodie *Targes.* Tacitus de moribus German. *Scutum reliquiſſe præcipuum flagitium, nec aut ſacris adeſſe, aut concilium inire ignominioſo fas, multique ſuperſtites bellorum, infamiam laqueo finierunt.*

DELATOREM] Gloſſ. *mendacem vel latratorem.*

## TIT. XXXIIII.

VIA LACINA] Sic vet. 4. *Alieni viam ſuam obſtare.* l. 1. hîc & tit. 82. leg. Ripuar. *Viam contradicere.* tit. 66. leg. Alam. Langobard. *Vecorint.*

BARONI] Gloſſ. *Baro.* ἀνήρ. tit. 76. leg. Alaman. *Si quis mortaudit Baronem.* Cæſarius in vita Engelberti Archiepiſcopi Colonienſ. *Ex Teutonico enim Latinóque compoſitus, Engelbertus vocabatur, Angelicam ſonat libertatem.* Kero, *liberorum Barono.* Inde Barones homines Regis, ſiue qui hominium Regi debent.

## TIT. XXXV.

HOMINEM INGENVVM SINE CAVSA LIGAVERIT] Tacitus de moribus Germ. *Aleam ſobrij inter ſeria exercent, & nouiſſimo iactu de libertate & de corpore contendunt. Victus voluntariam ſeruitutem adit. Quamuis iunior, quamuis robuſtior, alligari ſe ac vinciri patitur.*

HOMINEM NOXIVM LIGATVM] Greg. Turon. de Mirac. S. Mart. lib. 1. cap. 17. & lib. 4. c. 16. & c. 35.

## TIT. XXXVI.

RETORTAS] *Vnde ſepes continetur.* Ribuar. tit. 45. *ſuperiores virgæ, quæ ſepis continent firmitatem.* & tit. 74. *ſi quis hominem intertiauerit, & infra placitum mortuus fuerit in quadriuio cum retorta in pede.* ſic V. Vid. tit. 17. leg. Baiuuar. Chron. Caſin. lib. 2. cap. 62. *Duo nigerrimi ſpiritus retortas ex agreſtibus vitibus facientes, eúmque per guttur ligantes, in ipſa lacus profunda miſerunt.* In Chartul. maioris Monaſterij, *& de ſilua baſto dedit monachis quantùm eis in omnibus ſufficias, ſimiliter quoque retortas, & tollenas,*

Digitized by Google

*ſtimulos quoque & cauillas & bucias, & ſi quid alius in rurali opere eis neceſſe fuerit.*

CAMBORTAS] Gloſſ. *qua ſepem deſuper firmant.* Eadem origine forſitan, qua *Cambertum*, Britannis. *Baculus incuruatus* in vita B. Notkeri. Vualafrid. Strabus in vita B. Galli cap. 23. *Accepit à fratribus epiſtolam ad B. Gallum continentem venerandi tranſitum Columbani. Qui & baculum ipſius, quem vulgò Cambotam vocant, per manum Diaconi tranſmiſerit.* Eckerhardus in vita B. Notkeri. *Feſtinato autem aram ſancti Galli adientes, Cambotam quam ſanctus magiſter Columbanus per Manaldum Diaconum miſerat &c. Cùm autem illum baculo ſancto.*

HERPICEM] Seruius in Virgil. 1. Georg. *Vimineáſque trahit crates. Ad agrorum ſc. exequationem, quam ruſtici Hyrpicem vocant. Herce.*

PER MALVM INGENIVM] *Par malengin.*

## TIT. XXXVII.

TRIENTI VNO, QVOD EST TERTIA PARS SOLIDI] Sic. vet. omn. Gregor. Turon. de vita S. Mart. *Vnum trientem mercedis intuitu detulit.* & cap. 19. lib. 2. de gloria Martyr. *Quidam alteri trientem præſtiterat.* Et de gloria Confeſſ. *Inuenies vnum trientem, ipſum donans vinum dignum epulis pauperum comparabis.* & cap. 109. *Igitur de hoc triente vinum comparat.* Idem hiſt. lib. 3. cap. 13.

LEGEM INTELLEXERIT] Intellexerit ſecundùm legem ſe defendere. tit. 38. *s'il ſe trait & recourt à loy*, ſicut moribus Leodienſibus habetur.

OBMALLARE] Marculf. form. Vt cauſas auctorum adſumendas, ſuorum aliquis licentiam habeat. *Ne aliquis per quodlibet ingenium de ipſis rebus eum inquietare voluerit, licentiam habeat, in vice auctorum ſuorum ipſe vel aduocatus ſuus eius cauſas adſumere &c. Precipientes ergo iubemus vt memoratus Pontifex, aut Abbas, vel abbatiſſa ſeu aduocatus eius, in vicem auctorum cauſas ipſius licentiam habeat adſumendi, vel obmallandi,* quod alibi *reſpondendi vel obmallandi.*

## TIT. XXXVIII.

MEDIETATEM COMPOSITIONIS] Baſilienſ. edit. *Medietatem de ipſa leudi componat, & pro alia medietate ipſum quadrupedem homini donet.* Tit. 48. Ribuar. *in medietatem Vueregeldi ſuſcipiatur.*



Digitized by Google

## TIT. XXXIX.

DE VESTIGIO MINANDO] Gregor. Turon. cap. 81. de glor. Confeſſ. *Alterius hominis, malitia furis boues abſtulerat, qui adprehenſo veſtigio, & inter infuſos aqua viarum tramites ad profundas luti voragines perdito.*

INERA TRES NOCTES] Ribuar. 49. *Et certo die in domo cuiuſlibet, vel in quolibet loco eum inueneris.*

CONCABIASSE] Priſcianus. A. *Camiaſſe.* Marculf. *Concamio de villa: Aliqua loca inter ſe concamiare deberent.* Et: *Concamio de terra aut vinea.*

SEQVITVR] *ſuit ſes beſtes*, Morib. Bituricenſ.

PROCLAMAVERIT] In lege Familiæ data à Burchardo Epiſc. VVorm. *Si quis ex familia S. Petri ad ſociam ſuam legitimè venerit, quicquid in dotem dederit, & hoc ipſa annum & diem non proclamatum poſſidet, ſi vir prior moritur, uxor eius totam habeat dotem, vſque ad finem vitæ ſuæ.* libro 2. de feud. Tit. 27. §. 4.

ADRHAMIRE] *Iurare.* Noſtris, *Arramir.* In inſtrumento, De concordia cum Tetbaldo filio Leterij Vindoc. *Pro his rebus acquirendis arramiuimus bellum in curia Vindocenſi.* al. *arrauimus.* Vid. Gloſſ. ad Capitularia.

SECVNDVM LEGEM CVLCAVERIT] Sic 7. exemp. al. *collocauerit.* vt tit. 42. inf. & alibi ſæpè. Noſtris, *Adiourner, ou donner iour.* Nam ſol occaſus ſuprema tempeſtas erat. Gregor. Turon. 7. hiſt. c. 23. *Iniurioſus tamen ad placitum in conſpectu Regis Childeberti aduenit, & per triduum vſque ad occaſum ſolis obſeruauit. Sed cùm hic veniſſet, neque de cauſa hac ab vllo interpellatus fuiſſet, ad propria rediit.*

RES SVAS QVÆSIERIT ET INVENERIT] Rib. Titul. 49. *Quòd ſi in domo fuerit, & ei ſcrutinium, cuius eſt domus contradixerit, fur habeatur.*

ILLO ALIO RECLAMANTE] Inde *Reclain.*

## TIT. XL.

CARRVGAM] Sic 4. al. carruam, *charruë.* Greg. Turon. 2. Miracul. c. 14. *præparatis carrucis compoſitóque plauſtro.*

VVARANIONEM] Sic vet. 4. an inde *haras?* Tit. 12. Leg. Baiuuar. Angargnaco, dicitur equus qui in hoſte vtilis non eſt.

SPADATVM] Caſtratum: Equorum plurimi ex vſu caſtrantur, ne aut fœminarum vſu exagitati cunctentur, aut in ſub-

ſidiis ferocientes prodant hinnitu denſiore vectores. Ammian. Marcell.

Amissarivm ] Sic vet. 8. Gloſſar. *qui omni tempore cum equabus eſt.* Iuo Carnotenſ. epiſt. 8. In conuentione pacis inter Elſatiæ proceres & ciuitates. *Equi autem admiſſarij, quod vulgariter Stuot vocatur, & vinea & ſegetes ſub hac pacis conditione perpetuò permaneant.* Ribuar. Tit. 5. *Si ingenuus ſoneſti, id eſt*, XII. *equas cum amiſſario*, VI. *ſcruuas cum verre, vel* XII. *vaccas cum tauro furatus fuerit.* Marculf. *Armentorum cum ipſo amiſſario, caballos tantos.* Equus ad ſtallum dicitur. Lib. 8. VViſig. §. 4. ſic enim vet. lib. *Eſtalon.*

Si qvis pvledrvm ] Sic 4. al. *poletrum*, vt in legib. VViſigott. lib. 8. *poudre ou poutre.* Gloſſ. *Pullus.* πῶλος.

Tribatterit ] Sic 4. vet. al. *trebatterit, debilitauerit*, aut *percuſſerit.* In edit. German. Tit. 28. *Si quis fœminam ingenuam grauidam trabatit, & ipſa fœmina fuerit mortua.*

Triaen componat ] Sic exempl. 4. Alia duo *Triante vno.*

Excvrtaverit ] Sic 5. al. *ſcurtauerit.* Tit. 4. lib. 8. leg. VViſigott. §. 3. *ſi quis alieni caballi comam turpauerit, aut caudam curtauerit.*

Excorticaverit ] Sic 5. al. 2. *excoriauerit.* Pleniùs vnum exempl. *Si quis caballum mortuum ſine permiſſu domini ſui excorticauerit.*

## TIT. XLII.

Svper scamnvm tensvs ] Ad malam manſionem extenſus. l. 7. D. depoſit. Euſeb. ταῖς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν. Gregor. Turon. hiſtor. 5. c. 49. Geſta Francorum : *Chramnus ſuper ſcamnum tenſus orario ſuggillatus eſt.* Aimoin. 2. 30. vel 50. & lib. 3. c. 66.

## TIT. XLIII.

De hallis ] Tit. 69. Ripuar. Gloſſ. *Siccis ramis.* Inde, *Halle de Mars.* Et quæ à Philippo Auguſto Lutetiæ ædificatæ ſunt, *Les Halles.* Rigord.

In trvste ] Antruſtionem Regis, cui dabatur duploma, cuius formula hæc eſt. *Rectum eſt, vt qui nobis fidem pollicentur inlæſam, noſtro tueamur auxilio. Et quia ille noſter fidelis domino propitio veniens in palatio noſtro, vnà cum arimania ſua, in manu noſtra truſtem & fidelitatem nobis viſus eſt coniuraſſe, propterea per præſens præceptum decernimus ac iubemus, vt deinceps memoratus ille in*

*numero Antruſtionum computetur, & ſi quis fortaſſe eum interficere præſumpſerit, nouerit ſe virgeldo ſuo ſolidos ſexcentos eſſe culpabilem.* Germanis, *trevv.*

CONVIVAM REGIS ] Venant. Honorius Clementianus Fortunatus, preſbyter Italicus. de Conda Domeſtico.

*Nunc etiam placidi Sigeberthi Regis amore*
*Sunt data ſeruitiis libera dona tuis.*
*Iuſſit & egregios inter reſidere potentes*
*Conuiuam reddens proficiente gradu.*
*Rex potior reliquis merito meliora parauit*
*Et quod maius habet, hoc tua cauſa docet.*

Gregor. Turon. lib. 7. cap. 16. De Prætextato. *Poſt reditum verò ſuum ad vrbem Pariſiacam aduenit, ac ſe Guntheramo Regi repræſentauit, exorans vt cauſam ſuam diligenter exquireret. Aſſerebat enim regina eum non debere recipi, qui fuiſſet per iudicium quadraginta quinque Epiſcoporum à ſacerdotali officio ſegregatus.* Sequitur deinde, *Et ſic à Rege ſuſceptus, atque conuiuio eius adſcitus ad vrbem ſuam regreſſus eſt.* Vt iure ſe tueatur Iuo epiſt. 123. Capitularibus regalibus, quòd Geruaſium ad communionem in Paſchali Curia ſuſcepiſſet.

POSSESSOR ] *Ingenuus.* Greg. Turon. 3. de mir. S. Martini cap. 23. *Erant enim ingenui & poſſeſſionem propriam poſſidentes.*

ROMANVM TRIBVTARIVM ] Gloſſ. *Et Stopharius nominatur qui cenſum Regi ſoluit.* Nec enim Franci ingenui pendebant tributum. Turon. lib. 7. c. 16. In exemplar. de donationibus factis Eccleſiæ Saliſburgenſi: *Traditque tributales Romanos ad eundem locum in diuerſis locis colonos centumſedecim.* 1151. pag. Tom. 6. Caniſij. Ibid. *Dedit qui dicuntur Romanos tributales* LXXX. pag. 1152. *Alij erant exercitales*, ibid.

IN QVADRIVIO ] Auſon.

*Abiecta in triuiis inhumati glabra iacebat*
*Teſta hominis.*

SINE MANIBVS ET PEDIBVS ] Gregor. Turon. hiſt. lib. 8. c. 29. *Truncatis manibus, auribúſque & naribus, variis ſunt mortibus interempti*, lib. 10. c. 15. *Aliis manibus, nonnullis auribus naribúſque deciſis ſeditio depreſſa quieuit.* Et lib. 10. c. 17. *Alios manibus inciſis relinquunt. nonnullos auribus naribúſque amputatis ad ridiculum laxauerunt.* & cap. 11. 18.

IN PVTEVM ] Tur. 7. 23. 373. *Iudæi cum duobus Chriſtianis, ab Iniurioſo hominibus interfecti, in puteum qui propinquus erat domui eius, proiecti ſunt.* Ado. *Comprehenſus à Chlodomero cum vxore & filiis ſuis necatur, & in puteum proiectus occultatur.*

Digitized by Google

. TOTA LEVDE SVA COMPONATVR ] Tit. 55. & tit. 7. leg. Angl. & tit. 2. leg. Friſion. In Capitul. Caroli Magni in Syluaco editis. *Si latro ibi occiſus fuerit, qui eum occiderit leudem inde non ſoluit, & nullus illi inde faidam portare præſumat.* Vetus formula: *ſic ab ipſis fuit iudicatum, vt illam leudem, vt lex erat, ſoluere deberet.*

TIT. XLIIII.

IN DOMO SVA ADSALLIERIT ] Marculf. *Qualiter vos nulla mouente cauſa in via adſalliſſetis, & grauiter liuoraſſetis.*

TIT. XLV.

SI IN CONVIVIO] Pœnitentiale Roman. cap. 15. ex Concilio apud Vvermerias.

TIT. XLVI.

DE REIPPVS] Gloſſ. *de Sponſalitiis viduarum.* Pretium emptionis viduæ matrimonii cauſa. Tit. 41. leg. Saxon.

TVNGINVS ] Gloſſ. *Iudex qui poſt Comitem eſt. Degan. Sollenſib.* & in priſcis Anglorum legibus, *Thegn.*

SCVTVM HABERE DEBET] Tit. 48. *Scutum in ipſo malo habeat.* Inde apud Ott. de geſt. Frid. lib. 2. c. 12. *Eſt autem conſuetudinis Regum Francorum, quæ & Teutonum, vt quotieſcumque ad ſumendam imperij coronam militem ad tranſalpizandum coëgerint, in prædicto campo manſionem faciant. Ibi ligno in altum porrecto ſcutum ſuſpenditur.* Guntherus.

*Lignò ſuſpenditur altè*
*Erecto clypeus, tum præco regius omnes*
*Conuocat, à dominis feudalia iura tenentes.*

An quòd armati in Concilium venirent? Liu. lib. XXI. de Gallis. Tacitus de morib. German.

TRES HOMINES ] Tit. 48. & tit. 56. *Sagibarones plus quàm tres eſſe non debent.*

TRES SOLIDOS ÆQVE PENSANTES ] Maiores noſtri ſicut & nos hodie vxores ſibi emebant ſolido & denario. Fredegarius Scholaſticus. *Legatos ad Gundebaldum dirigit petens vt Chrotilde neptem ſuam ei in coniugium ſociandam traderet. Quod ille denegare metuens, & ſperans amicitiam cum Chlodoueo inire, eam daturum ſpopondit. Legati offerentes, ſolido & denario vt mos erat Francorum eam partibus Chlodouei ſponſant, placitum ad præſens petentes,*

*vt ipſam ad coniugium traderet Chlodoueo.* Marculf. in formul. *N. filius N. puellam ingenuam nomine N. illius filiam per ſolidum & denarium, ſecundùm legem Salicam & antiquam conſuetudinem deſponſauit.* Propterea vxor in poteſtatem viri cedit, nec liberam habet rerum adminiſtrationem, quod & Gallis in vſu fuiſſe teſtatur Cæſar.

HABERE DEBET] Additur in 2. *Et tres erunt qui ſolidos penſare vel probare debent.* Quaſi libripendes interuenerint.

CVI REIPPVS DEBEATVR] Nec enim debetur ei qui in hereditatem defuncti mariti ſuccedit.

POST SEXTVM GENVCVLVM] Synod. Agripp. can. 6. Meldenſ. can. 7. *vſque ad ſeptimum gradum.*

CAVSA] Gloſſ. *Pœna, propter ſolemnia non ſeruata.*

## TIT. XLVII.

DE EO QVI VILLAM] *De complainte en cas de ſaiſine & nouuelleté dedans l'an.* vt fallantur, qui D. Ludouicum Regem, aut Simonem de Bucy, ius iſtud antè neſcitum, intra Franciam proquiritaſſe tradunt.

SI VERO XXX. NOCTES IMPLETÆ FVERINT] Iure Romano cùm in rem aliquam agerent litigatores, & pœna ſe ſacramenti peterent, poſcebant iudicem, qui dabatur poſt XXX. diem. Aſcon. 3. in Verrem.

PRÆSTOS HABEAT] Sic vet. 3. Gloſſ. *præſentes.* alij 2. *preſtus.* Iure Romano ſuperſtitibus, id eſt, teſtibus præſentibus, ij inter quos controuerſia erat, vindicias ſumere iubebantur.

SVPRA FORTVNA SVA] *à ſes perils & fortunes.*

VT ACCEDAT AD LOCVM] *Execution & fourniſſement de complainte ſur le lieu.* cap. 12. Conſuetud. Inſulan. Gellius lib. 20. cap. 9.

ELABORAVIT] Turon. cap. 82. de gloria Confeſſ. *Cùmque alterum vas apium vellet auferre, ait ſacerdos, ſufficiat nunc fili iſtud, alterum verò ei qui ipſum laborauit reſerua.* Marculf. in form. *Tam de alode, aut de comparato, vel de qualibet adtractu, vbicumque habere videor, & quod pariter in coniugium poſiti laborauimus.* Et canon. 14. Synod. Tributienſ. *Si verò in qualibet ſilua vel deſerto loco aliquod deſertum collaborauerit.*

## TIT. XLVIII.

DE AFFATOMIÆ] Sic vet. 5. Gloſſ. *De donationibus quæ fiunt feſtuca in ſinum ei cui donabatur, proiecta.* Marculf. in formul. affatimiæ

affatimiæ. *Dulciſſimis nepotibus meis illis: Ego aunt. Dum cognitum eſt qualiter genitor veſter filius meus compellente fine naturæ de hac luce deceſſit, & vos in alode minimè accedere poteratis. Ideo penſantes cauſam conſanguinitatis, dono vobis per hanc affatimiam pro omni portione in pago illo, centena illa, quidquid in iam dicto loco, &c.* Idem *quidquid iam dicto loco genitor veſter filius meus diuidere & exaquare deberet, vos quoque nepotes mei per hanc affatimiam poſt obitum meum diuidere & exaquare faciatis.*

Festvcam ] Aliquot codic. *fiſtucam.* Symbolum traditionis. Marculf. *Conſignauit & tradidit & veſtiuit, & per durpilum & feſtucam, ſibi foras exitum alienum vel ſpoliatum in omnibus eſſe dixit.* Et alibi. *quod in preſente & per fiſtucam eas eidem viſus eſt commendaſſe.* Idem. *Inter ſe viſi ſunt diuiſiſſe, vel exaquaſſe, & inuicem pars partem tradidiſſe, & per fiſtucam omnia partitum partiſſe.* Inde, *exfeſtucare.* Henrico IV. Imp. Sigebert. & Ottoni Friſingenſ. & formulariis noſtris, *bailler vn feſtu en ſigne de deguerpiſſement.*

In laisvm ] Gloſſ. *in ſinum.* Marculf. de Læſouerpo per manum Regis. *Villas nuncupatas N. ſitas in pago illo ſua ſpontanea voluntate nobis per fiſtucam viſus eſt laiſouerpiſſe vel condonaſſe.* Inde, *tendre le giron.*

In casa ipsivs manere ] Greg. Turon. 4. de mirac. S. Mart. c. 12.

In potestate sva ] *Car donner & retenir ne vaut.*

Ante xii. menses ] *Temps de ſaiſine.*

Bevdo ] al. Beodo. *à ſa table.* Vet. Gloſſar. *Menſa, beod; Refectorium, Beodden.* Inde opinor, *Vnir & mettre à ſa table.*

Theada ] vet. Theoda. al. Theuda. Gloſſ. Lipſij *Theado gentes nationes Thiadon.*

Ante Regem avt in mallo pvblico ] Donationis per manum Regis formula extat apud Marculf. Moribus Bolonienſ. & Pontiuenſ. *Auant que le donataire puiſſe iouïr du don à luy fait, & en faire ſon acqueſt, faut qu'il l'apprehende par miſe de fait, & iuſtice competente.*

## TIT. XLIX.

De filtortis ] Gloſſ. *de intertiatis rebus.*

In tertiam manvm ] *En main tierce.*

Carbonariam ] Quæ eſt inter Cameracum & Tornacum. Tritenheim. ex Hunnibaldo. Sulpit. Alexand. apud Gregor. Turonenſ. lib. 2. c. 8. 9. Sigebert. ann. 880. *Camaracum obſedit & cepit. Inde mouens per Carbonariam ſiluam ad Tornacum feſtinans iter direxit in Thoringiam.*

NOCTES XL.] Sic Tit. 52. & in conſt. Carol. Magn. *Poſtquam Comes & pagenſes de qualibet expeditione hoſtili reverſi fuerint, ex eo die ſupra* XL. *noctes ſit bannus reſciſſus, quod lingua Theutiſca Scaftlegi, id eſt, armorum depoſitio vocatur.*

REM INTERTIATAM] *Choſe entiercée.* Aurelian. In leg. Eduardi Regis Angl. *Si quiſpiam aliquid intertiet ſuper aliquem, & intertiatus non poterit vvarantum ſuum habere, erit foriſfactura ſua.*

VENDIDERIT AVT CAMBIAVERIT] Vnde & Conſtitutio Caroli Magni. *Nullus comparet caballum, niſi illum hominem agneſcat, qui ei vendidit, aut de quo pago eſt, vel vbi manet, aut quis eius ſenior.*

QVOD EI NVNCIASSET] Edit. Germ. *quomodo ei mancauerit.*

EXIVIT SE] Sic vet. 3. al. *Exuit ſe.*

ISTA OMNIA VBI SVVS HAMALLVS EST] Exempl. 1. *Iſta omnia facere debet in malle vbi ipſe amallus eſſe dignoſcitur, ſuper quem, &c.* Aliud. *Iſta omnia in malle debent fieri, vbi illi eſt hamallus.* id eſt, *qui ſuſcipit cauſam ad mallandum in vicem alterius.* Tit. 35. Leg. Ripuar.

## TIT. L.

ADFIRMARE] Sic vet. 6.

DE IPSIS CONIVRATORIBVS] vet. 2. *de ipſis iuratoribus.* Marculf. in formul. *Sed nuncupatus ille nec ad placitum ſuum venit, nec ipſum ſacramentum iuravit, neque iuratores ſui, nec vllus fuit teſtatus qui ſunia nunciaſſet.* Plaut. Pænul. *Vos iuratores eſtis, quæſo operam date.* Senec. *Quis vnquam ab hiſtorico iuratores exegit.* Nortmannis. *Ivreurs.*

PERIVRASSET] Maximè in cauſis quæ ſub iureiurando finiendæ ſunt. can. 8. Syn. Aurel.

## TIT. LI.

FORBANNITI] Sic vet. 3. Alia 5. exempl. *Ferbanniti.* In Conſtit. Caroli Magni. *De Theloneis qui iam antea forbanniti fuerant, nemo tollat.* Et alibi. *Quicumque abhinc inante latronem receperit, maximè autem illum qui forbannitus fuerit.*

## TIT. LII.

DE EO QVI FIDEM FACTAM] Gloſſar. *Qui vvadium alteri dat, & poſtea perſoluere ſpreuerit.* al. *De fide facta.* ſicut Baſil. edit. quam cum hac confer. Tit. 59. *nec de vlla lege fidem facere noluerit.*

ADMALLARE] Edit. Germ. *mannire ad mallum.* Marculfus in formula de cauſis alterius recipiendis, *Eo quod propter ſimplicitatem ſuam, cauſas ſuas minimè poſſit proſequi, vel admallare, clementiæ regni noſtri petiit, vt inluſtris vir ille omnes cauſas ſuas in vice ipſius, tam in pago, quàm in palatio noſtro admallandum proſequendúmque recipere deberet.*

IVDEX] *Tunginus.* edit. Germ.

GASACCHIONEM] al. *Gaſacchium.* Aduerſarium cauſatorem. *Gegenſac. Vuithef ſack.*

INDE EVM ADSTRINGAS] In form. Rom. *Inde ego te ex iure manu conſertum voco.*

IVDEX] 2. Exempl. *Tunzinus.*

DEBITVM ASCENDAT] *La debte monte à neuf ſols.*

ADIACTIVVM] Vid. Notitia de iactiuis. Marculf. in formul. *Dum & illuſtris vir ill. Comes Palatij noſtri teſtimoniauit quod antedictus ille placitum ſuum legibus cuſtodiuit, & eum adiectiuit, vel ſolſtatiuit, & ipſe placitum ſuum cuſtodire neglexit. Iectiuus ſiue negligens.* In formul. quam adſcripſi tit. de Racinburg. infrà, & alibi apud Marculf. *Vt dum ipſe tale ſacramentum habuit adfirmatum, & ipſum nullatenus iurauit, nec ipſe, nec iuratores ſui, ſed exinde ſe iectiuum dimiſit.* In adnunciatione Caroli apud Piſtas. *Et ſi ſacramenta legalia in primo die Lunæ poſt Paſcha iuranda deuenerint, aut in aliis feriis, quando mallum tenere debuerit, mittet quiſque Comes miſſum ſuum, qui ipſa ſacramenta auſcultet, ne ipſi homines iectiui inueniantur, & ipſe ſic mallum ſuum teneat, vt Barrigildi.* Et iectare. In Conſtitut. Caroli Magni. *Vt nullus præſumat hominem ad iudicium ſine cauſa iectare, niſi iudicatum fuerit.*

PER TRES MANNITAS] Trinundino, Rom.

PER SINGVLAS ADMONITIONES] *Pour chacun defaut.*

RACINBVRGIOS] Sic vet. 3. Gloſſ. *Iudices.* Kero. *Cauſa, rahcha.* tit. 57. leg. Ripuar. & in formulis Salic. *Ideo venientes pariter illo mallo ante illum Comitem, vel reliquos racinburgios.*

DE FORTVNA IPSIVS TOLLANT] Alioquin licuit res aduerſarij poſſidere, donec ſatisfeciſſet. Gregor. Turon. 4. 46.

AVT DE VITA COMPONAT] Vid. Præfat. Burgund. leg. Marculf. in form. Qui ſe in ſeruitio alterius obnoxiat. *Dum inſtigante aduerſario & fragilitate mea praualente, in caſus graues cecidi, vnde mortis periculum incurrere potueram: ſed dum veſtra pietas me iam morti adiudicatum, de pecunia veſtra redemiſtis, vel pro mea culpa res veſtras quamplures dediſtis. Et ego de rebus meis, vnde veſtra beneficia rependere debuiſſem, non habeo, ideo pro hoc ſtatum meum vobis viſus ſum obnoxiuiſſe, ita vt ab hoc de veſtro ſeruitio penitus non diſcedam.*



Digitized by Google

## TIT. LIII.

DE EO QVI GRAFIONEM] Vet. 1. *de Andoctemito.* Edit. Baſil. *de Andocmito.* Sugger. de poſſeſſion. Monaſt. B. Dionyſij. *Ab oppreſſione exactorum regiorum quos dicunt Graffiones.*

ADMALLATVM] additur in 2. exempl. *vel adiectiuum.* Aliud exempl. habet, *antequam legitimè admallatus aut fides ei facta fuerit.* Edit. Baſilienſ. *Antequam eum per legem habeat admallatum aut conſecutum quòd ei in mallo fidem feciſſet.*

AVT SI REDIMAT] Edit. Baſil. *Aut Vueregildeum ſuum redimat.*

## TIT. LIIII.

DE RE PRÆSTATA] al. *de praſtata. Du Preſt.*

SOLEM COLLOCET] Gregorius Turonenſis lib. 7. cap. 23. *Iniurioſus ad placitum in conſpectu Regis Childeberti aduenit, & per triduum vſque occaſum ſolis obſeruauit.*

SVPER ILLOS &c.] Vnde & moribus Ambianenſium multam fiſco inferunt, qui ad diem non ſoluerunt.

## TIT. LV.

DE ÆNEO] Gloſſ. *de Caldario.* Gloſſ. χαλκεῖον. Olla, æneum, miliarium. Gregor. Turon. 8. Hiſtor. c. 6. *Conſpicio eminus aneum ſuper ignem poſitum feruere vehementer.* In form. conſecrationis eiuſmodi aquæ. *Vt ſi hic homo pro hac reputationis cauſa, furto videlicet, vel homicidio, aut adulterio, vel luxuria, aut pro qualibet cauſa culpa, modò ad praſens manum ſuam in hanc aquam igne feruentem miſerit.* Vnde in conſuet. Nort. *ſe purger par eau, & par igniſe.* & leg. Vuiſigott. *Examen Caldaria.* Et communis apud nos loquutio. *I'en mettrois la main au feu.*

AD ÆNEVM] Gloſſ. interlinearis, id eſt, *ad iudicium.* Aimon. 5. cap. 34. Art. 39. Iur. Sax. *Vel in aquam bullientem brachium vſque ad cubitum imponant.*

Iudicium aquæ calidæ & ferri candentis.

*Inquiſitus aliquis de furto, luxuria, adulterio, vel qualicunque re alia, & nolens confiteri magiſtro ſeniori, vel miſſu ſenioris, iſta erit ratio.*

*Pergens Sacerdos ad Eccleſiam induat ſe veſtimentis ſacris, excepta caſula, ferens in laua Euangelium ſanctum cum Criſmario & patrociniis Sanctorum, calicéque & patena, expectante eum plebe cum fure vel cuiuſcunque criminis implicato in atrio Eccleſia, & dicat coram aſtanti plebe in oſtio Eccleſia.*

Digitized by Google

*Videte, fratres, Chriſtianæ legis officium: Ecce lex in qua eſt ſpes & remiſſio omnium peccatorum, hîc chriſmatis vnctio, hîc corporis & ſanguinis Domini conſecratio. Videte ne tantæ beatitudinis hereditate & conſortio priuemini, implicantes vos ſceleri alieno, quia ſcriptum eſt, Non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, damnabuntur. Deinde vertens ſe ad ſceleratum, dicat tam ei quàm plebi:*

*Interdico tam tibi quàm & omnibus aſtantibus, ô homo, per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, per tremendum diem iudicij, per myſterium baptiſmatis, per venerationem omnium Sanctorum, vt, ſi de hac re culpabilis es, aut feciſti, aut ſciſti, aut baiulaſti, aut conſenſiſti, aut poſt actam culpam denominatam ſciens factoribus iuuiſti &c. Eccleſiam Dei non introeas, Chriſtianæ ſocietati non miſcearis, ſi reatum nolueris confiteri admiſſum, antequam iudicio examineris publico.*

*Deinde deſignet locum in atrio Eccleſiæ vbi ignis fieri poſſit ad caldariam ſuſpendendam, in qua aqua bulliens efficiatur, aut ferrum ignitum: Ita tamen vt priùs locus ille aqua benedicta aſpergatur, nec non & aqua quæ in caldaria eſt propter illuſiones dæmonicas. Et his dictis imponat introitum. Ant. Iuſtus es Domine. Pſ. Beati immaculati. ℟. Cuſtodi me Domine. ℣. De vultu tuo. Off. De profundis. Com. Amen dico vobis quidquid orantes.*

*Poſt celebrationem miſſæ pergat Sacerdos cum plebe ad aquam vel ferrum benedicendum. Oremus. Deus Index iuſtus &c.* Vt ab Auctuar. referuntur lib. 4. Annal. Boior. MS. quod ad finem ita eſt in vet Ex. *eripuiſti: Ita clementiſſime dominator oramus & petimus, vt quiſquis innocens de hoc crimine prænominato in* hanc aquam manum miſerit, vel ferrum portauerit, *ſanam & inlæſam*, eam educat, *per te ſaluatorem & redemptorem totius orbis, qui venturus es iudicare viuos & mortuos, & ſæculum per ignem.*

*Omnipotens ſempiterne Deus, qui es ſcrutator occultorum cordium, te.* Hîc deſinit planè vet. exemplar.

Vid. Auctuar. lib. 4. Annal. Boior. p. 418. Iuretum in notis ad Epiſtolas Iuonis.

## TIT. LVI.

SAGIBARONEM] Gloſſ. *dicuntur quaſi ſenatores.* al. Sachbarones. *hommes de loy ou de cauſes.* Artic. 85. Conſuet. Hanno. Senatorum vrbis Aruernæ meminit Gregor. Turonen. de glor. Confeſſ. cap. 5. 42. 65. & 206. Senatorum Bituricenſium lib. 1. c. 31. Turonenſium lib. 2. c. 26. hiſtoriar. In Synod. Aquiſgran. *Senatores vniuerſi Regni Francorum perficere ſe acclamauerunt.*

ID EST PLEBS QVÆ AD VNVM MALLVM CONVENIRE SOLET] Tacit. de moribus Germ. *Eliguntur in iiſdem Conciliis & principes,*

*qui iura per pagos vicóſque reddunt. Centeni ſingulis ex plebe Comites, conſilium ſimul & auctoritas, adſunt.*

## TIT. LVII.

TVMVLVM] Gloſſ. *Tumbam.* Iornandes in hiſtor. Gotthor. *Noctúque ſecreto cadauer eſt terra reconditum, cuius coopercula primùm auro, ſecundò argento, tertiò ferri rigore communiunt.*

ARISTATONEM] pag. 108. ſuprà. Pallio cadauera tegebantur Apuleius 1. Floridor.

MANDVALEM] Gloſſ. *Cancellum qui deſuper tumulum ſtat.* Einhardus lib. 1. de Tranſlatione beatorum Martyrum Marcellini & Petri. *Sacra beatorum Martyrum corpora notto recondita in abſida baſilica locauimus, & ſicut in Francia mos eſt, ſuperpoſito ligneo culmine linteis ac ſericis palliis ornandi gratia conteximus, apponentes altare, ac duo vexilla Dominica paſſionis, qua in via feretrum præcedere ſolebant. Hinc atque hinc erigentes, locum illum diuinis officiis celebrandis aptum facere curauimus.*

SELAVE] *ſeule* dicitur. & tit. 7. leg Baioar. *ſul.* Inde *Hermſul.* Mercurij columna.

PONTICVLVS] In vita beati Euermari. *Poſt exequias accuratiori ſepultura cohoneſtantes dimidio clypeo corpori eius ſuperpoſito, & altera clypei parte ei ſuppoſita.* In epiſt. Theodulphi Aurelianenſis, & can. 9. Synodi Meldenſis. *Tumuli qui apparent profundiùs in terram mittantur, & pauimento deſuper facto nullo tumulorum veſtigio apparente, &c.* Alemann. *Columella.* Emardus, ſuprà 108. in Gloſſ. Lipſij *Slapigraui, ſepulchro.*

CORPVS IAM SEPVLTVM] Nam veſtitum ſepeliebant cum ornamentis. Gregor. Turonen. lib. 6. c. vlt. *Ablutúmque veſtimentis melioribus induit.* Amalarius lib. 4. c. 41. Idem Gregor. lib. 8. cap. 21. *Sepulta eſt cum grandibus ornamentis & multo auro.* Paulò pòſt. *Detexerunt ſepulchrum, tollentes & auferentes omnia ornamenta corporis defuncti qua reperire potuerunt.* Idem alibi. *Exinde veſtitus, atque ablutus in Eccleſiam defertur.* Et, *Adfuit quadam matrona, qua ablutam dignis veſtiit veſtimentis.*

VVARGVS] hoc eſt *deiectus & expulſus.* Sic vet. Gloſſ. & tit. 87. leg. Ripuar. *Vagus & profugus ſuper terram,* vt habetur cap. 4. Geneſ. Inde apud Sidonium lib. 6. ep. 3. *Vargus, Bandoüiller.*

IN MODVM BASILICÆ] Gregor. Turonen. de glor. Martyr. *Baſilicam ſuper tumulum ſancti magnam ædificauit.* & 2. Hiſtor. cap. 14. Idem de glor. Confeſſ. cap. 51. & 105.

FACTVM] ſic vet. 5.

Digitized by Google

Qvicvmqve hospitalitatem dederit] παρέχει σίτον. apud Plutarch. in Ciceron. Alioquin quemcunque mortalium arcere tecto, nefas habebant maiores noſtri. Cæſar lib. 6. Tacit. de moribus German.

## TIT. LVIII.

De incendio vel expoliatione Ecclesiæ] *Hæc capitula Domnus Ludouicus Imp. Anno Imperij ſui quinto, cum vniuerſo cœtu populi in Aquiſgrani palatio promulgauit, atque legi Salicæ addere præcepit. Ipſáque poſtea cùm in Theodonis villa generalem conuentum habuiſſet, vlteriùs capitula appellanda eſſe prohibuit, ſed vt lex tantum diceretur voluit.*

Vel vbi reliqviæ] Gregor. Turon. 2. Mirac. cap. 40.

De altari] 1. q. 3. c. quæſitum. & c. grauem de exceſſ. Prælat.

Si qvis Diaconem] ita in omnibus.

## TIT. LIX.

In xl. noctes] In formula relationis cum iudicio. *Sed poſtea taliter in iam dicto loco ipſi illi indicatum fuit, vt in noctes* xl. *apud homines* xxxvi. *manu ſua trigeſima ſeptima, in Eccleſia illa, in loco nuncupante illo, coniurare debeat.*

Rex extra sermonem svvm evm esse diivdicet] Extra mundeburdem. Marculf. in formul. de Mundeburde Regis, *Sub ſermone* (inquit) *noſtro & mundeburde quietus reſideat.* Et alibi. *ſub ſermone tuitionis noſtræ viſi fuimus recepiſſe.*

Per legem se edvcere] Vet. 5. per legem ſe edicere noluerit.

Et qvicvmqve ei panem dederit] Cæſar 6. de bell. Gall. *Sacrificiis interdicunt. Hæc pœna eſt apud eos grauiſſima. Quibus ita interdictum eſt, ij numero impiorum ac ſceleratorum habentur, ab iis omnes decedunt, aditum eorum, ſermonem defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque his petentibus ius redditur, neque honos vllus communicatur.*

## TIT. LX.

De Racinbvrgiis] Gloſſ. Keronis. *Cauſa, Rabcha.* In formula cautionis de Infracturis. *Contigit quòd cellarium vel ſpicarium veſtrum infregi, & exinde annonam vel aliam raupam in ſolidos tantum furaui, dum & vos & aduocatus veſter exinde ante illum Comitem interpellare feciſti. Et ego hanc cauſam nullatenus potui de-*

Digitized by Google

*negare. Sic ab ipſis Racinburgiis iudicatum, vt per vuadium meum eam contra vos, hoc eſt, componere vel ſatisfacere debeam, &c. ſed dum ipſos ſolidos minimè habui, vnde tranſſoluere debeam, ſic mihi aptificauit, vt brachium in collum poſui, & per comam capitis mei coram præſentibus hominibus tradere feci, in ea ratione, vt interim quod ipſos ſolidos veſtros reddere potuero, & ſeruitium veſtrum & opera qualecumque vos vel iuniores veſtri iniunxeritis, facere & adimplere debeam, & ſi exinde negligens vel iactiuus apparuero, ſpondeo me contra vos, vt talem diſciplinam ſupra dorſum meum facere iubeatis, quam ſuper reliquos ſeruos veſtros.*

EGO VOS TANGANO] *Adiuro, interpello*, Ribuar. tit. 30. *Et ſine tangano loquatur & dicat. Ego ignoro vtrum ſeruus meus culp. an innocens de hoc extiterit.* Et tit. 60. *Tabularium interpellatum in iudicio non tanganet, & nec alſaccia requirat, & ſacramenta abſque tangano coniurent.* In fœdere Ludouici & Caroli apud Nitardum *plaid. Thing.* Gloſſ. vetus, *placitum, plait, vel gedinge; placitare, Dengen.* Germ. *Dingen*, accuſare dicitur.

LEGEM IVDICETIS] Inde *Iugement de loy.* Hannonienſ. mor. cap. 17. & Mont. cap. 2. & 15.

CONTRA VNVMQVEMQVE] *Amende de fol appel*, vt Ribuar. Tit. 57.

## TIT. LXI.

IN DVRPILO] *In liminari ſiue veſtibulo.* Marculf. *Et per durpilum & feſtucam, ſibi foras exitum alienum vel ſpoliatum in omnibus eſſe dixit.* In vita S. Eugendi. *Clauſuram fortiſſimam ſuperſtitioſiſſimi templi, quod Gallica lingua, Iſandor, id eſt, ferrei Lostij.*

DE ILLA TERRA] Vnde Moribus noſtris. *Mettre en ſa main le gazon de l'heritage.* In notitia traditionis. *Qualiter veniens il. die illo, in villa illa, ante bonos homines per hoſtium, & axatoria, ſeu terram vel herbam homini illi, nomine ill. & coniugi ſuæ ill. rem illam viſus fuit tradidiſſe non in fraude, ſed in publico, & per meam fiſtucam, de iam dicta re illa exitum feciſſe.* Et alibi. *Per terram, & per herbam, ſeu per hoſtium, viſus fuit tradidiſſe.* In formula traditoriæ de terra. *Miſſus ipſius fœmina ille ipſi miſſo monaſterij, nomine illi per ipſum Loſtium de ipſa caſa per terram vel herbam, ſicut lex eſt, ad partem Sancti illius, viſus eſt tradidiſſe, & per ſuam fiſtucam ipſum miſſum, vel ipſam fœminam de ipſis rebus ſe exutos ex omnibus eſſe dixiſſe.*

VLTRA SCAPVLAS IACTARE] Inde *Riche par deſſus l'épaule.*

CAMISA] al. *Camiſia.* Guitbert. de bello ſacro lib. 3. *Adoptionis autem talis pro gentis conſuetudine dicitur fuiſſe modus. Intra lineam*

Digitized by Google

*neam interulam, quam nos camiſiam vocamus, nudum intrare eum faciens, ſibi adſtrinxit. Ad hæc omnia oſculo libato firmauit.*

DISCINCTVS ET DISCALCEATVS] *Deſceint & ſans houzeaux.* Artic. 72. Conſuet. Borbon. & c. 20. Aluerniæ, Artic. 4. Marchiæ 64. Inde *tendre & donner la ceinture. Et laiſſer les houzeaux.* Videatur quæſt. 46. Druſij.

## TIT. LXII.

ALODE] In epiſt. Ioan. PP. VIII. *Proprietates Boſonis & Engeltrudis, quas vos alodium dicitis, filiabus eorum heredibus reſtituatis.* Marculf. *Terra paterna. Auiatica.* tit. 58. leg. Ripuar. *Biens papoaux, & auitins. VVaſconibus.* Dicitur tamen & de conquiſito, vt notaui in Gloſſario ad Capitularia.

ET FILIOS NON DIMISERIT] Filiæ enim patri in alode non ſuccedebant, niſi aliter cauiſſet. Marculf. in formul. quæ extat apud Doctorem meum, Obſeruat. 8. Innominat. Auctor de formulis Salicis. *Dulciſſima filia mea, dum cognitum eſt qualiter ſecundum legem Salicam, in portione paterna cum fratribus tuis filiis meis minimè potes accedere.* Sed nec in lege familiæ, quam Burch. VVorm. Epiſc. ſcripſit. *Si ex familia* (inquit) *vir aliquis & vxor eius obierint, & filium cum filia reliquerint, filius hæreditatem ſeruilis terræ recipiat, filia autem veſtimenta matris, & pecuniam operatam recipiat.*

QVICVMQVE PROXIMIORES] Vet. formula, Vt in locum filiarum nepotes inſtituantur ab auo. *Dulciſſimis nepotibus meis S. Dum peccatis meis facientibus genitrix veſtra filia mea, quod non optaueram, tempore naturæ ſuæ completo ab hac luce deceſſit. Ego verò penſans conſanguinitatis cauſam, dum & pro lege, cum ceteris filiis meis auunculis veſtris in alode mea minimè accedere potueratis, ideo per hanc epiſtulam vos dulciſſimi nepotes mei volo, vt in alode mea, poſt meum diſceſſum, ſi mihi ſuperſtites fueritis, &c.*

DE TERRA VERO SALICA] In donatione Caroli Magni Eccleſiæ Tigurinæ. *Atque inſuper in Honica duos manſos & dimidium præter Salicam terram de noſtra propria manu in ſuam manum vt iuſtum eſt percepit.* Id eſt, terra quæ hoſtibus deuictis Regi militibúſve Saliis ſorte obtigit. Gregor. Turonenſ. hiſtor. 2. 27. Aimoin. 1. 12. Thoromach. 678. Hincmarus in vita beati Remigij. Vnde & *decima Salica* in deſcriptione Hubarum ad curiam Furde pertinentium, apud Marq. Freherum vir. doct. Et Salica domus, in Polyptico ſancti Galli, *tam marchis quàm ædificiis (excepta domo Salica) curtilibus terris, &c. anno* XXXV. *Hludouici piiſſimi Regis.* Nam agri ex hoſte capti partim in publico, vel Principi, partim veteri poſſeſſo-

r

ri relinquebantur, partim militibus & veteranis in præmia aſſignabantur. Procop. 1. de bello VVandalico. *Gizerichus deinde ſiquid inter Afros boni fuerat, aut agri, aut rerum aliarum, omne inter filios diuiſit Honorichum & Genzonem, nam Theodatus omnibus iunior iam decceſſerat ſine liberis. Ceteros item agros optimos Africæ, à dominis ereptos VVandalis diſtribuit, qui adhuc hodie* κλῆροι βανδίλων καλοῦνται. Malè interpres Latinus. Vnde in edicto Hunnerici apud Victorem Epiſc. Vticenſ. lib. III. *Sortes Vandilorum.* Et lib. 10. leg. VViſigotth. tit. 2. *Sortes Gothicæ & Romanæ.* Sidonius lib. 7. ep. 6. *Limes Gotthicæ ſortis.* Videantur leg. Burgund. & Caſſiodorus.

Nvlla portio hereditatis mvlieri veniat] Carol. IV. de vita ſua. *Eodem anno obiit Carolus Francorum Rex, relicta vxore prægnante, quæ filiam peperit. Et cùm de conſuetudine regni, filiæ non ſuccedant, prouectus eſt Philippus filius ſoceri mei in Regem Franciæ, quia propinquior erat heres in linea maſculina.* Albertus Argentin. in Chron. *Cùm Francia à nullo haberi dicatur in feudum, quamuis è contrà nullus per fœmininam lineam ſucceſſiſſe dicatur.* Vet. Chron. *Obeunte inhumatóque Carolo Pulchro orta eſt quæſtio non modica, quis in regno de ipſius progenie proximior exiſteret ad ſuccedendum, &c. Tandem opinionibus & altercationibus ſopitis, per Principes & regni ſapientes concluſum fuit & vnanimiter determinatum, quòd regnum eo quòd de conſuetudine & ſtatutis eiuſdem, in genus fœmineum deſcendere non valebat, Comiti de Valeſio Philippo pertinere debebat.* Bald. ad l. 1. D. de ſenator. & ad tit. De feudo Marchiæ. Petr. Iacobus Tit. De cauſis ex quibus Vaſall. Froiſſard. Volum. 1. cap. 4. Garibay lib. 26. Hiſtor. Hiſp. cap. 16. Et ſanè iure antiquo feudorum, filiæ à ſucceſſione feudi remouentur, quia fœminæ neque faidam leuare, neque pugnam facere poſſunt. lib. 1. de feud. tit. 1.

## TIT. LXIII.

De eo qvi se de parentila] Id eſt, *De eiuratione cognationis.*

Fvstes alninos svper capvt svvm frangat] An inde fuſtis fractio in funere Regum noſtrorum. Et *Rompre le fuſt ou feſtu auec quelqu'vn.* Sicut contrà moribus noſtris, *Liurement de fuſt.* In vet. Inſtrument. *Vnde eiuſmodi auctoramentum priùs ibidem in capitulo quodam fuſte, vt moris eſt, fecit, & poſtea eundem fuſtem ſuper altare poſuit.* Et alibi. *Ex quo molendino dum ſuper altare donationem quodam fuſte vt moris eſt faceret.* Item. *Poſtea hoc maius monaſterium in capitulo noſtro, quodam fuſte qui apud nos nomine eius inſcripto in teſtimonium ſeruatur, præſente Domino Abbate Alberto fecit guerpitionem.*

DE TOTA EORVM SE RATIONE] *De toute leur race.*

### TIT. LXV.

MEDIETATEM PARENTES] *Nam vniuerſa domus recipiebat ſatisfactionem.* Tacit. de morib. Germ. *Suos enim opprimi quiſque & circumueniri non patitur.* Cæſar.

### TIT. LXVII.

HEREBVRGIVM] Equeſtribus *Herege*, Heluetiis *Herberger.* An inde *Hurebez.*

STRIA HOMINEM COMEDERIT] λαιφυγών. *Striga malefica.* Plaut. Pſeudolo. *Strigibus viuis, conuiuis inteſtina quæ exedant.* Vid. Tit. de homicidiis ſeruor. lib. 1. Leg. Langobard. *Genichiales,* Hincmaro dicuntur. *Genoches*, Biturigenſ.

### TIT. LXIX.

DE BARGO] *Ramo.* Tacit. de morib. Germ. *Proditores & transfugas arboribus ſuſpendunt.* Inuenio in Gloſſ. Saxonic. antiquiſſ. *Baar feretrum.* Inde fortaſſis *Bargina* νεκροφόρεις.

VTI INCROCATVR] Inde *Pendre au croc.*

QVOD INIMICVS] *Duellio*, Mos Francis ſolitus. Aimon. 5. 13.

VIVVM HOMINEM] In quæſtionibus adhibendis more Francico, reus reuinctis poſt tergum manibus, ſuſpenſus ad arborem dependebat. Gregor. Turon. lib. 5. hiſtor. cap. 49.

### TIT. LXXI.

DE TERRA CONDEMNATA] Totus hic titulus abeſt in omnibus exempl. Ædificiorum condemnatorum fit mentio, Specul. Saxon. libr. 3. Tit. 1.

---

## DECRETIO CHILDEBERTI R.

CVM NOSTRIS OPTIMATIBVS PERTRACTAVIMVS] Verus Chronic. in Ludouico Pio. *Francofurti generali conuentu congregato, quæ ad vtilitatem Orientalium partium regni ſui pertinebant, more ſolemni ab optimatibus quos ad hoc euocare iuſſerat, tractari curauit.*



Digitized by Google

CONVENIT NOBIS IN CAMPO] Chronic. MS. in Pipino. *Tenuit Synodum ſuum cum omnibus Francis more ſolito in campo.* Aimoin. 4. 67. *Et Biturigas veniens conuentum more Francico in campis egit.*

FINIS.

Digitized by Google

# INDEX RERVM ET VERBORVM,

## Quæ in Gloſſario F. Pithœi continentur, & explicantur.


A

ACCEPTOR. 104
*Adeſcalke.* 103
Adiactiuus. 123
*Adiourner.* 116
Admallare. 123. 124
Admiſſarius equus. 117
Admonitio. 123
Adrhamire. 116
Adſalire. 108
Ædificia condemnata. 131
Æneum. 124
Affatomia. 120. 121
Ἀλλακτά. 106
Alode. 129
*Andoctemito.* 124
Aneta. 104
Angargnaco. 116
Annona. 110
Anteoſtare. 112
Antruſtio. 117
Aratrum cum rotis. 112
Argutarius canis. 104
Ariſtatones. 108. 124
*Arramir.* 116
Aſprum. 102

B

BAAR. 131
*Bargina.* ibid.
Bargum. ibid.
Baro. 114
*Beod. Beodden.* 121
Beudum. ibid.
Berbices. 104.
*Bianco.* 102
Brachile. 113
Buccus. 104

C

CALDARIVM. 124
Cambiare. 122
Camboritæ. 115
*Camboritum.* ibid.
Camiſia. 128
Capitale. 103
*Caprit.* 104
Capritum. ibid.
Carbonaria. 121
Carruga. 116
Carrua. ibid.
Cauſa. 120
Cenitus. 113
*Charruë.* 116
Clauis. 105
Clauſuræ. ibid.
Clocca. 103
Cloccarium. ibid.
*Clocher.* ibid.

Coccus. 105
Colpus. 109
Columella. 116
Concambiare. 116
Concapulare. 105
Concedes. 109
Conchagatus. 113
Conciſa. 109
Coniuratores. 112
Contubernium. 108
Conuiua Regis. 118
Criniti. 110. 111
Culcare. 116
Curia. 109
Curtis. 104

D

DECORTICARE. 112
*Degan.* 119
Delator. 114
Delatura. 103
Denarata. 102
Denarius. *ibid.*
Denarialis homo. 112
*Dengen.* 118
*Denier.* 102
*Denrée.* *ibid.*
Deſcargare. 112
Diacon. 127
Dinummium. 102
*Doublon. Double.* *ibid.*
Druchte. 107
*Druthines.* 103
Ducaria ſcrofa. *ibid.*
Duellio. 131
Durpilum. 111. 118

E

*ENherber.* 110
*Enter.* 112
*Eſcluſe.* 110
*Eſcrenes.* 106
*Eſcurie.* 109
*Eſquil.* 112
*Eſſoine.* 101
*Eſtaue.* 113
Examen aquæ calidæ. 124. 125
Excorticare. 117
Excurtare. *ibid.*

F

FARINARIVM. 110
Fenile. 109
*Feſtu.* 130
Feſtuca. 121
Filiæ patri non ſuccedunt in alode. 129
Filrorta. 121
Fiſcalini. 106
Fluuio mergi. 109
Forbanniti. 122
Formula antruſtionibus data. 117. 118
Fortuna. 110
*Fredo.* 103
Friſcinga. 106
*Fuſt.* 130
Fuſtis fractio. *ibid.*

GALLI noctibus terminabant tempus. 111
Gamactæ. 106
Gaſacchio. 113
*Gedinge.* 128
Genichiales. 131
*Genoches.* *ibid.*
Genuculum. 120
Graffiones. 114
*Grand blanc.* 102

H

HALLVM. 117
*les Halles.* *ibid.*
Hamallus. 109. 122

*Harat.* 116
Herbas dare. 109. 110
*Hermſul.* 126
*Herce.* 115
Hereburgium. 131
*Herege.* *ibid.*
Hoſpitalitas. 127
Hoſtis. *hoſt. hoſtage.* 112
Hranne. 102
*Hurebez.* 131

I

Ictvs numerati. 106
*Impſſen.* 112
Imporos. *ibid.*
Incrocari. 131
Intelligere legem. 115
Interriata res. 122
Inttania. 109
Iudicium aquæ calidæ, & ferri candentis. 124. 125
Iuratores. 122

K

Katav. 102

L

Lacinia viæ. 108. 114
Lactans. 102
Lachus. 113
Laiſus. 122
*Laye.* 113
Lepus. *ibid. &* 114
Leudis. 119
*Liar.* 102
Ligaturæ. 110
Litones. 107
Litus. 106
Luſtrici dies. 111

M

Ματταάβια. 106
*Machau.* 108
Maholum. *ibid.*
Malatium. 112
Mallare. 109
Mallum. 101
Mancarus. 113
Molinum. 110
Mamillam ſtringere. 110
Manduales. 126
Mannire. 101. 123
*Marien.* 105
Matriamen. *ibid.*
Milarium. 112
Milariſium. 102
Minare. 105
Monetæ ſpecies. 102
Mos torturæ. 131
Mundeburde. 127

N

Navfo. 108
*Nau, Noue.* 108

O

Obmallare. 115

P

Parentilla. 130
Percuſſiones. 106
Petrunculi. 104
Placitare. 128
*Plaid.* *ibid.*
Plagare. 109
Ponticulus. 126
Porci ſacres. 103
Poſſeſſor. 118
Poletrum. 117
*Poutre.* *ibid.*
Præſtus. 120
*Preſt.* 124
Puledrum. 117
Pullus. *ibid.*

Digitized by Google

in Puteum abiici. 118

R

RAce. 131
Rachinburgij. 123. 127
*Raffler.* 112
Ratio. 131
*Reclain.* 116
Reclamare. *ibid.*
Reffare. 112
Reippus. 119
Reliquiæ SS.
Repaſcere. 112
Res præſtata. 124
Retorta. 114
*Reupfen.* 112
*Rhan.* 102
*Riſtere.* 112

S

SACRAMENTO ſe prouocare. 120
Sacrifus. 103
Sagibarones. 125
Salica lex. 101
Salica terra. 129
Salica decima. *ibid.*
Salica domus. *ibid.*
Salij. 101
*Scal.* 103
Scantio. 105. 106
Scanziarum Comes. 106
Scapellare. 105
vltra Scapulas iactare. 128
Scella. 112
*Sckel'.* *ibid.*
Scluſa. 110
Screuna. 106
Scrofa ducaria. 103
Scuria. 109
Scutum abiicere. 114
Scutum habere. 119
Sectarius. 103
*Selaue.* 126
Seniſcalci. 103
*Senneten. Sente.* 103
Sermo. 127
Serua fit mulier quæ ſe ſeruo iungit. 121
*Seule.* 126
Seuſius. 104
*Slapigraui.* 126
Solidus. 102
*Sols nerets.* 103
*Sonopar.* *ibid.*
Sortes. 130
Spadatus. 116
Sparuarius. 104
Spicarium. 108
Staplus. 108
*Staf.* 113
Staua. *ibid.*
Stopharius. 118
Striæ. 131
Subbatire. 105
Seudes. *ibid.*
*Seu.* *ibid.*
Sunnis. 101. 102
Super ſcamnum tenſus. 117
Superuenta. 107. 108

T

TALIONIS lex. 111
Tangano. 128
*Targes.* 114
Teſtare. 112
Tertuſſus. 103
Theada. 121
*Thiadon.* 128
*Thign.* 121
Texaga. 105
Tintinnum. 112
Tonſuræ ritus. 111
Toxicata ſagitta. 109
Trahere ingenuam. 107
Trappa. 105

*Trappe.*

Digitized by Google

Trappe. 105
Tremaculum. 113
*Tremail.* *ibid.*
Treſpellius. 103
Triaen. 117
Tribattire. *ibid.*
Tributarius. 118
Triens. 115
Trimarchiſia. 103
*Trinundino.* 123
Tripare. 112
Truſte. 117
Tumba. 126
Tumulus. *ibid.*
Tumulos tegendi mos. 108. 126
Tunginnus. 119. 123

V

V*Aultroy.* 104
Veltrahus. *ibid.*
Veltres. *ibid.*
Verbum Regis. 106
*Verrueil.* 113
Vertiuolum. *ibid.*
Verrum. 103
Veſtigium minare. 116
Vinitor. 105
Virtus. 107
Vulpicula. 113
VVadium. 122
VVaranio. 116
VVargus. 126
*VVeiſpenning.* 102
Vxores emere. 119


# INDEX AVTHORVM

## Qui in Gloſſario F. Pithœi citantur.


*A*

*ACTORVM vet. interpres.* 105. 106
*Adnuntiatio Karoli apud Piſtas.* 102. 123
*Ado.* 101. 118
*Ægeſippus.* 102
*Agathias.* 111. 114
*Albertus Argentinus.* 130
*Albertus Stadenſis.* 106
*Amalarius.* 126
*Amm. Marcellinus.* 101. 109. 117
*Annales Vett.* 111
*Anonymus de tranſlatione Gildaſij.* 102
*in Pipino.* 110
*de formulis Salicis.* 113. 119
*Apuleius.* 126
*Ariſtoteles.* 111
*Ariſtophanis Scholiaſtes.* ibid.
*Aſconius Pedianus.* 120
*Auctor de rectitudine Cathol. fidei.* 103
*Auſonius.* 118
*Auctuarium annal. Boior.* 125
*Aymoinus.* 103. 108. 110. 112. 117. 124. 129. 131. 132

*B*

B*Aldus.* 130
*Burchardus.* 110. 116

# INDEX AVTHORVM.


C

CÆſar. 109.120.127.131
Ceſarius. 114
Chartula vet. Eccleſ. Lugdunenſ. 112
Carolus IV. in vita ſua. 130
Caſſiodorus. 130
Cedrenus. 102
Chariſius. 104
Chartularium Maioris Monaſterij. 114
Chronicon Caſinenſe. ibid.
vet. Chronicon MS. 130.131.132
Chronicon Laureshamenſe. 113
Clement. Fortunatus, 112. 118
Clemens Scotus, 104
Codex, 102. 111
Conuentio pacis inter Elſatiæ proceres & ciuitates. 117
Conſtitutiones Karoli M. 122. 123
Conſuetudines
Aluerniæ. 129
Ambianenſis. 124
Bituricenſis. 116
Bolonienſis & Pontiuenſis. 121
Borbon. 129
Hannonenſis. 102.120.125.128
Inſulanenſis. 120
de Labourt. 105
Leodienſes. 115
Marchiæ. 119
Mont. 128
Neapolitana. 113
Nortman. 124

D

DAntes. 104
Decretum Gratiani. 127
Decretales. ibid.
vet. Donationis inſtrumentum. 112
Donatio Karoli M. 129
Druſius. ibid.
Duodecim tabulæ. 111
Durandus. 112

E

EDictum Turci Aproniani. 109
Einardus. 101. 126
Emardus. 108. 126
Epiphanius. 102
Euſebius. 114. 117
Exemplar de donationibus factis Eccleſiæ Salisburgenſi. 118

F

FEſtus. 103. 111
Flodoardus. 101. 106
Fredegarius. 119
Froiſſardus. 130

G

GAribay. 130
Gellius. 120
Geneſeos libri. 126
Gerbertus. 103
Geſta Francorum. 117
Gloſſarium B. Germani. 109
Gloſſar. Saxonic. 131
Gloſſæ Lipſij. 121. 126
Gloſſæ vett. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 112. 113. 114. 115. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125 126 128
Gratius. 104
Gregorius PP. ibid.
Gregor. Turonenſis. 103. 105. 106. 108. 109. 110. 111. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 120. 121. 124. 126. 127. 129. 131
Guibertus. 128
Gunterus. 119

# INDEX AVTHORVM.

*H*


HArmenopulus. 106
Harpocration. 111
*Hincmarus.* 109.110.129.131


*I*


IAcob. Cuiacius. 129
Iohannis PP. Epiſtola. ibid.
*vet. Inſtrumentum de concordia cum Tetbaldo.* 116
*vet. Inſtrumentum.* 130
*Iornandes.* 126
*Iuo.* 117.118
*Iuretus.* 125


*K*


KApitulare Karoli M. 102. 119
*Keronis gloſſa.* 121.123.127


*L*


LEx familia data à Burchardo VVormacienſi Epiſcopo. 116. 129
*Leges*
*Alaman.* 103.104.114
*Anglionum.* 103.119.122
*Boioarior.* 104.106.109.114.116. 126
*Burgund.* 104.106.108.111.123. 130
*Friſionum.* 119
*Longobardor.* 103.104.105.107. 110.113.131
*Ripuar.* 103.106.109.111.113. 114.115.116.117.122.123.126.128. 129
*Saxonum.* 106.119.124
*VViſigothor.* 111.117.124.130
*Libri feudorum,* 116.130
*Liuius.* 119


*M*


MArculfus. 102.107.110.111. 112.117.119.120.121.122.123. 127.128.129
*Marq. Freherus.* 129
*Martialis.* 104.110


*N*


NIcephorus. 111
Nicolaus Vigner. 102
*Nitardus.* 128
*Notitia traditionis.*


*O*


ODo Foſſatenſis. 108.110
Otfridus. 103.107
*Otto Friſing.* 101.111.119.121
*Ouidius.* 104


*P*


PAndecta. 111.117
Papiani reſponſa. 104
*P. Diaconus.* 105
*Paulus Iuriſc.* 111
*Pauſanias.* 103.114
*Petronius.* 106
*Petrus Beneuentanus.* 104
*Petrus Iacobus.* 130
*Plautus.* 122.131
*Plinius.* 112
*Plutarchus.* 127
*Polypticum S. Galli.* 129
*Pœnitentiale Rom.* 119
*Priſcianus.* 116
*Priuilegia Eccleſiæ Mindenſ.* 107
*Procopius.* 130


*R*


RAbanus. 110
Regino. 103
*Rigordus.* 117

# INDEX AVTHORVM.


## S

*Scholiaſtes Iuuenalis.* 109
*Schol. Ariſtophanis.* 111
*Seneca.* 122
*Seruius.* 115
*Sidonius.* 107. 113. 126. 130
*Sigebertus.* 101. 102. 103. 121
*Speculum Saxonicum.* 113. 131
*Simo de* Bucy. 120
*Suggerius.* 124
*Sulpitius.* 121
*Synodi*
  *Agripp.* 120
  *Antiſſiod.* 103
  *Aquiſgran.* 125
  *Aurelianenſ.* 122
  *Bauarica.* 106
  *Cabillonenſ.* 101
  *Meldenſ.* 120. 126
  *Rhemenſ.* 101. 102
  *Thaſſilonis.* 103
*Toletana.* 106
*Triburienſ.* 120
*VVermer.* 119

## T

*Tacitus.* 113. 114. 119. 125. 127. 131
*Tertullianus.* 103
*Theodulphus.* 103. 126
*Trithemius.* 101

## V

*Varro.* 103
*Venantius.* 118
*Vita B. Remigij.* 113
*Vita B. Euermari.* 126
*Vita B. Eugendi.* 128
*Vita B. Notkeri.* 115
*Victor Vticenſis.* 130
*Vlpianus.* 111
*Vocabularium Barbar.* 107
*VValafridus Strabus.* 114
*VVitardus.* 109
*VVolfg. Lazius.* 113


FINIS.

CLARISSIMI VIRI

# HIERONYMI BIGNONII

## AD LIBRVM LEGIS SALICÆ

# NOTÆ.

LEGIS SALICÆ ] Zozimus lib. III. Τὸ Σαλίων ἔθνος Φράγκων ἀπόμοιραν. Ammian. Marcellinus lib. XVII. de Iuliano, *petit primos omnium Francos, eos videlicet quos conſuetudo Salios appellauit.* Idem Zozimus lib. III. Iulianum refert Saliorum ope Quados penitus excidiſſe, quos demum in numeros militares adſcripſit. Καίσαρ Σαλίους τε, καὶ Κουάδων μοῖραν, καὶ τῶν ἐν τῇ Βαταβίᾳ νήσῳ τινὰς τάγμασιν ἐγκατέλεξεν, ἃ καὶ νῦν ἐφ' ἡμῶν ἔτι δοκεῖ περισώζεσθαι. Quos Saliorum ordines ſuo tempore durare ait; Ideóque in Notitia vtriuſque imperij inter auxilia palatina ſæpe Saliorum numeri memorantur. *Sub diſpoſitione Magiſtri militum præſentalis per orientem Batauis ſeniores, Braccati iuniores, Salij Conſtantiani.* In Occidente verò ſub diſpoſitione Magiſtri peditum, *Salij Tubantes Auguſtei, cum eorum clypeis.* Ibidémque, *Sagittarij Neruij, Salij Gallicani.* Et inter Equitum vexillationes intra Gallias cum viro illuſtri Magiſtro militum Galliarum, *Salij ſeniores*; alibi, *Salij iuniores.* Francorum quippe multitudo non in Palatio modò, vt ait Ammianus, ea tempeſtate florebat, ſed & auxilia militaria, numeróſque complebat. Sed vnde Saliorum appellationem traxerint ignotum eſt; nam quod plerique à fluminibus ſic nominatos eſſe contendunt, nec confirmare, nec refellere in animo eſt: Tantùm dicam nihil adferri quo mihi quidquam ex his opinionibus probetur. Quod verò doctiſſimus Pithœus & Vignerius de Saltu commenti ſunt, id bellè & acutè magis quàm verè dictum. Neque ſuffragatur Ammianus



Digitized by Google

dum ait conſuetudine Francorum partem Salios vocari, cùm liquidò conſtet conſuetudinem pro more gentis ab illo vſurpatam. Longè itaque Romanas eiuſmodi barbararum appellationum etymologias fugere debemus, ne cum illis ineptiamus qui Longobardos à longis barbis dictos ſomniarunt, cùm tamen inter Germanicarum gentium barbara vocabula apud Tacitum reperiantur. Idem & de Burgundionibus ſtatuo, qui itidem à Tacito nominantur; quos tamen Iordanus à Burgis Romanis appellatos eſſe contendit. Vt tamen nihil prætermittam, Salicen oppidum Mœſiæ apud Ammianum lib. XXXI. legitur, vnde Salios deducere poſſent qui ſomnia ſua obtrudere geſtiunt, quandoquidem & ex Pannoniis, aut etiam ex Scythia Francos oriundos aſſerunt quidam apud Gregorium. Igitur ſuperuacuo labore, & anxia curioſitate reiecta, nihil certi de vetuſtiſſimis rebus ſine coætaneis ſcriptoribus poſſe dici pronuntiemus. Porro, hæc lex vna ex duabus eſt quibus Franci regebantur; altera verò lex Ribuariorum. Sic accipio Einhardi memorabilem locum de vita Karoli M. *Franci duas habent leges plurimis in locis valde diuerſas*, quibus Karolum capitula pleraque addidiſſe ſcribit, quæ quidem hodie extant. Hæc quoque lex eſt qua ſub Friderico Ænobarbo Francorum nobiliſſimos Salicos adhuc vſos fuiſſe teſtatur Ottho Friſingenſis lib. IV. cap. XXXII. qua vſam fuiſſe Matthildem Comitiſſam in diplomatibus ſuis apud Sigonium de Regno Italiæ lib. VIII. ipſa docet. qua tandem vetuſtate abolita, Iuris Francici præcipua capita in locum eius nomenque immigrarunt; præcipuè illud decantatiſſimum quod Regni noſtri velut tutelam continet. De tempore verò quo lata eſt, & quid quoque tempore additum vel immutatum ſit, iam accuratè à nobis diſputatum eſt.

## TIT. I.

DE MANNIRE] Adnuntiatio apud Piſtas DCCCLXIV. C. VI. *Et quia non habent domos, ad quas ſecundùm Legem manniri & banniri poſſint, dicunt quod de mannitione vel bannitione legibus comprobari, aut legaliter iudicari non poſſunt.*

1. SI EVM SVNNIS NON DETINVERIT] Editio Germanica Legis Salicæ, vt teſtatur Pithœus. *Si in mallum vocatus fuerit, & is qui vocatus eſt non venit, ſi eum aut infirmitas, aut ambaſcia dominica detinuerit*, &c. AMBASCIA, leg. Burgund. addit. I. tit. XVII. *in ambaſcia ſua aſinum alienum detinere pro opera*. Germ. *Ambacht*. inde *Ambaſiator*, Petrus de Vineis lib. 1. ep. 8. lib. 3. ep. 82. inde *Ambachti*, Gallorum clientes Cæſari.

Digitized by Google

## TIT. II.

FVRAVERIT ] Sic infrà paſſim hoc tit. & in ſeqq. vbicumque *furatus fuerit* legis, in MS. *furauerit* ſcriprum eſt. Sic Symmachus lib. 2. ep. 48. Gloſſarium infrà tir. 29. In legibus Baiuuariorum.

HRANNE ] Hara Varroni R. R. lib. 3. cap. 10.

EXCEPTO CAPITALI ET DILATVRA ] Damnum & dilatura. Leg. Rip. rit. XVII. Præter capitale ſubreptum, & præter dilaturam, hæc etiam multa infertur excepto capirali, id eſt præter ſubreprum vel eius rei pretium, vt infrà rit. XI. Dilatura verò eſt id quod intereſt propter moram. Iacob. Cuiacius. non autem pretium delationis, aur fredi, vt malè apud Pithœum & Lindembrogium gloſſæ vetr. quibus non eo ſtatim fides habenda quod illi ſcripſerint; mihi namque conſtat edita gloſſaria ineptorum hominum & inſciorum opera, à quibus non niſi veſtigium vocum antiquatum quærendum eſt. Hæc dixiſſe ſufficiar, nam non ſemel ab illis infrà diſſentimus, nec illi ſumus qui adeò religioſè editas quiſquilias obſeruemus, vt integrum iudicium non retineamus.

4. DE SVDE FVRAVERIT ] Obſerva grauiùs puniri qui è ſtabulo ſeu hara ſubripiunt, denique ſi quid clauſum, vt infrà ſæpe, quàm qui in campo, ſic l. vlr. § 1. D. de Abigeis, *pleniùs coërcendus*, &c. quamquam Cuiacius hoc tit. & obſeruat. 6. cap. 8. ex Græcis legat *leniùs*, πραότερον, adducto Iuſtini loco de Scythis.

13. SCROVAM DVCARIAM ] Codex Thuani. *Scrofam*, id eſt Scrofam quam cæreræ ſequuntur. Virgilius: *Quis pecori imperitet, quem tota armenta ſequantur.* Tertullianus aduerſus Iudæos, *cùm ducator eius in ea pati haberet.* Sie ducaıor nauis, l. quemadmodum §. Si nauis, ad leg. Aquil. Et quod propiùs ad hunc locnm accedir, gloſſæ ver. *Ducale* ἀγωγὸς ὁ τῶν κτηνῶν. gloſſæ quippe ad iumenıa quæ agmen ducunt reſpiciunt. Vide Sauatonem in notis ad Sidon. pag. 350.

14. SACRIVVM QVI DICITVR VOTIVVS ] Sacriuus Varroni dicitur ad ſacrificium deſtinatus.

Tertullianus tamen de ſanguine reptobi bouis mori optantis. ea verò vox rranſlata eſt ad illos qui locis ſanctis deuouebanrur, vt apud Gregor. Turon. Porro Sacriui iſtud vocabulum teliquum eſt ex ethnicis obſetuationibus, quibus tum Salij tenebanrur cùm ſcribi leges ſuas iuſſernnr, etſi remanſerit tamqnam de votiuis rebus ageretur, quæ Sanctis quibuſdam deuotæ ſunt. Er quod hîc ex Gregorio Turonenſi afferrur, eius exemplum hodie extar in agnis Sancti Petri, ex quorum lana fit pallium. Sacriuus pro votiuo accipirur in Concil. Antiſſiodor. can. III. *Non licet inter ſentes, aut arbores Sacriuas, vel ad fontes vota exoluere,*

Digitized by Google

VOTIVVS] Gregor. Turonenſ. de Miraculis lib. 1. cap. 97. *Anus exigua pauculos gallinarum pullos habebat, quos ex voto Baſilicani ditioni ſubdiderat.* Idem lib. 2. cap. 31. *Illud memoratu dignum eſt quæ ſit manſuetudo pecorum in hac Baſilica* (S. Iuliani Briuatenſis) *votiuorum*, &c. *De his verò quæ votiua ſunt nulli penitus quippiam ſubtrahere licet, nullus priuſquam ad Baſilicam veniat aut commutare præſumit aut emere.* Sic & de gloria Confeſſor. cap. 3. vide de equis à Cæſare Rubiconi conſecratis, Sueton. lib. 1. cap. 81.

16. ICCCC. DENAR.] Hæc nota I ſignificat mille, CIↃ. Iacob. Cuiac.

17. XV. PORCOS] Quidam decem oues gregem eſſe putauerunt, porcos etiam quinque vel quatuor abactos, l. vlt. D. de Abigeis.

SI QVIS DE GREGE XV. PORCOS] Nam & Sues gregatim paſcuntur. in tit. D. ad leg. Aquil. ex Homero.

## TIT. III.

5. SI QVIS VACCAM DOMITAM] An grauidam quæ tauri ruentis in venerem pondus tolerauit? vide tamen Columellam de domitis bobus. Fortè cicurem & manſuefactam, vt intelligatur de ea quæ in villa nutritur, non de aliis quæ cum grege in agris vagantur.

7. TAVRVM GREGEM REGENTEM] Virgilius Georg. III. *Quem legère ducem, & pecori dixère magiſtrum.* Seneca Hippolyto, act. 1. ſc. 2. *ductor indomiti gregis.* Claudianus de IV. coſſ. Honorij,

*Sic paſcua paruus*
*Vindicat, & necdum firmatis cornibus audax*
*Iam regit armentum vitulus.*

Seneca ep. 90. *Mutis gregibus aut maxima corpora præſunt, aut vehementiſſima, non præcedit armenta degener taurus, ſed qui magnitudine ac toris cæteros mares vicit.* Vide de ariete gregis ductore Baſilium in Pſalm. 28.

GREGEM REGENTEM] Atqui armentum eſt, non grex: ſed non mirum ſi id noſtri non curarunt, nam à Iuriſconſultis ipſis confundi videmus, l. 2. §. 2. D. ad leg. Aquil. l. 22. de leg. 1.

10. TAVRVM REGIS] Vide libros Regum, de Regibus Edon.

## TIT. IV.

3. BERVICES] Paulus Diaconus lib. V. cap. XL. Vlpianus in l. 2. §. 2. de Abigeis. *Qui porcum, vel capram, vel verueem abduxit,* vulgata editio habet *Verucem*, ſed Florent. *beruicem*.

TIT. V.

## TIT. VI.

DE FVRTIS CANVM ] Vide Columellam lib. VII. cap. XII. Virgil. Georgic. III. *Nec tibi cura canum fuerit poſtrema.*

1. CANEM SEVSIVM ] Herman. Nuncnarius in lib. de origine Francor. Porcarium canem interpretatur, vel doctum ad inueſtigandos apros: fortaſſe, doctus ad venandum aut indagandum. Sidon. Rutilius Itinerar.

*Inſtrumenta parat venandi Villicus hoſpes,*
*Atque olidum doctas noſſe cubile canes.*

Germani dicunt *Ein ſeus huntd*, vel *Schuynhuntd.* at in legibus Alamannorum & Baiuuarior. *Leithihunt* vocatur, quaſi manu ducatur, *leithen* ducere, *hundt*, canis. nos *Limier* ab ea fortaſſis origine. Exemplar Ψ. habet *Seguſium*, omnino rectè, qui canis Gallicus à loco dicitur, Arrian. in cynegetico MS. vide leg. Burgund. addit. I. tit. X. leg. Alamannor. tit. LXXXII. leg. Baiuuar. tit. XIX. cap. I. num. 1. 2. 3. gloſſæ vet. *Suſes, magni canes.* Papianus tit. XX.

QVI MAGISTER SIT] Fortè, *dreſſé à la chaſſe*, aut qui alios poſſit ducere. Canis venatitius, apud Ruffinum, antiquit. Iudaïcarum lib. IV. cap. VI. Canis doctus, leg. Alaman. tit. LXXIX. c. I. n. I. Fortaſſe & canis ductor, vt in leg. Alaman. tit. XXVIII. Boiorum tit. XIX. cap. I. Fridericus Imper. de arte venandi cap. VI.

2. SEVSIVM RELIQVVM ] Vnum ex multis, inter cæteros.

VELTREM ] Vide Franc. Pithœi notas. Ioh. Belius indicauit hanc vocem apud Xenophontem in cynegetico latere.

PORCARIVM ] Leg. Alaman. tit. XXVIII. *canis Porcaritius.*

VELTREM LEPORARIVM ] Vide Lindembrog. gloſſar. leg. Burgundionum addit. I. c. 10. Alamann. tit. 82. Baiuuar. tit. 19. cap. I. §. 5. Firmicum, tit. V. c. VIII.

QVI ET ARGVTARIVS DICITVR ] *Qui ciat occultos, & ſignis arguat hoſtes.* Gratius de Venatione, F. Pith. hîc tamen de cane leporario agitur, quem argutarij quoque nomine vocitatum docet hic locus, ab argutis naribus & acri olfactu nomen ſortitum. Valerianus Cemel homil. X. *Hic in conflictu æmulis curſibus aurito lepori imminet, ille argutis naribus cerui veſtigia latentis inquirit.* ἴχνευτ Sophocli, & Xenophonti in cynegetico.

3. CVSTODEM DOMVS ] Leg. Alaman. tit. 82. Friſ. tit. 4. Boior. tit. 19.

QVI IN DIE LIGARI SOLET ] Cato R. R. c. CXXIV.

4. CANEM PASTORALEM ] Leg. Friſ. tit. IV. Iuſtin. in legibus Georgicis. vocat κύνα ποιμαίνοντα. Iac. Cuiac. Ioſeph. lib. δ. cap. vlt. κυνὸς ἤτοι θηρευτικοῦ, ἢ ποιμνίων φύλακος. Sophocles vocat κύνας λοχηγέτας. hoc eſt τοὺς ποιμενικοὺς κύνας.

## TIT. VII.

1. **A**CCEPTOREM DE ARBORE FVRAVERIT ] Gregor. Turonenſ. de Miracul. lib. 2. cap. 16. In leg. Friſionum tit. IV. num. III. *canis acceptoritius*. leg. Boior. tit. XIX. cap. 1. leg. Burgund. addit. 1. tit. X I. edit. Til. leg. Alaman. tit. XCIX. gloſſæ vett. *acceptor* ἱέραξ. acceptor & accipiter dicitur, Virgilius enim accipiter dixit, Lucilius acceptor; Soſipater Chariſ. acceptor *domitus* in leg. Ribuar. tit. 36. n. 11. qui idem eſt ac accipiter. Communiter autem accipitrem ſparuarium reddimus, quamquam hîc clarè diſtinguantur infrà, num. 4. ſed ſcitè hîc diſtinguuntur, non malè à vulgo noſtrati coniunguntur, idem enim vtriuſque genus, quamquam diuerſæ ſpecies. In eiuſmodi venatione tribus variis auium ſpeciebus vtuntur, Aquila, Falcone, Accipitre. Priores duæ Pinnariæ ſunt, ſeu Lorariæ, vltima Buccellaria, cuius rurſum ſunt quinque ſpecies. Primus eſt *autour* dictus, femina. Secundus *autour* mas & parum capiens. Tertiæ ſpeciei deeſt maſculus. Quarta ſpatuarius eſt. & Quinta Salech omnium minimus. *Tardif*, artis falconariæ cap. 1. & 8. Porro *acceptor* ad verbum eſt *autour*. Quarta ſpecies Sparuarius, dicitur Fringilarius Thuano lib. 1. de re accipitraria: quamquam Aſtures vocet Thuanus ex Iulio Firmico, ibidem. & Volaterranus lib. 25. *Aſtorgios ponit Pauſanias, quos Italici aſtores dicunt, aſtures alij vocant.* Ita Fridericus de arte venandi lib. 2. c. 29. *Sparuarij ſunt minores aliis auibus de rapina, quibus frequentiùs vtuntur homines, & quia ſecundùm formam membrorum & maneriem plumagij ſimiles ſunt auſturibus, licèt ſint alterius ſpeciei; tamen illi qui appropinquant formæ membrorum conuenienti, & pulchro plumagio, auſturum ſunt laudabiliores.*

3. INTRA CLAVEM ] Obſerua maiorem pœnam in furto rei intra clauem ſeruatæ, vt infrà tit. 2. num. 3. & 4.

5. ANETAM ] Fortè anſerem feminam, aut anatem, leg. Alaman. tit. 99. num. 19. *Anethapich.* in leg. Baiuuar. tit. XX. cap. III. accipiter anetas capiens. Speculum Saxon. tit. III. art. 51.

## TIT. VIII.

2. **I**NFRA CLAVSVRAM ] De clauſura vide infrà tit. X. in rubrica.
EXCIDERIT ] Virgilius Eclog. 3. *Atque mala vites incidere falce nouellas.*

## TIT. IX.

1. **V**A, APIVM ] Apiaria, in leg. VViſig. lib. VIII. tit. vlt. l. 2. & 3. *Si quis apiaria in ciuitate aut in villa forſitan conſtruxerit,*

*& alij damnum intulerit, ſtatim moneatur vt eas in aliis locis transferre debeat, ne fortè in eodem loco hominibus aut animalibus damnum inferant.* Leg. 3. *Si quis ingenuus in apiariis furti cauſa fuerit deprehenſus.* Porro in leg. Baiuuar. tit. 21. c. 8. aduertenda hæc: *Si apes, id eſt examen alicuius ex apili elapſum fuerit.* Et cap. 9. *Si autem in capturis quæ ad capiendas apes ponuntur, id eſt vaſculis apum*, (euolauerunt apes, ſupple) *ſimili modo*, (vt ſuprà cap. 8.) *Interpellat eum cuius eſt vaſculum.* Vide rei Ruſticæ authores.

3. CAVSAM] Id eſt rem, vt infrà tit. XI. n. 2. vide notas ad Marculf. pag. 309.

## TIT. X.

CLAVSVRA] Leg. VViſigotthor. lib. VIII. tit. XI. *Si pecus abſque damno in clauſuram mittatur*, ſuprà tit. 8. num. 2. Capitular. lib. V. cap. CXLVIII. *domus, & villas & ſepta villarum, & piſcatoria manufacta, & quidquid foſſis aut ſepibus, vel etiam alio clauſarum genere præcingitur. Clos, cloſture* noſtris.

1. PENITVS EVM LÆDERE NON DEBET] L. 39. D. ad leg. Aquil. Sic illud expellere debet quomodo ſi ſuum deprehendiſſet, alioqui actio eſt ex lege Aquilia; nam ſi quod damnum ex ea re cepit, habet proprias actiones, de paſtu ſcilicet, l. 14. de præſcript. verbis. Itaque qui alienum pecus in agro ſuo deprehenderit, non iure id includit. Hæc Pomponius. Aliud tamen hodie ſeruatur, nam includimus ſecundùm legem municipalem. vide *Rat* in conſuetud. Pict. ſpeculator. tit. de actore. verſ. *ſed pone iuuen.* Bartol. ad l. 9. §. 1. de damno infecto. Contra Oldrad. Vide *Mingon* ad conſuetudines Andeg. Godofred. ad l. 39. ad leg. Aquil.

3. CONSESSVS NON FVERIT] Sumptum ex lege Aquilia, in qua inficiatione lis creſcit.

9. MINENTVR] Hieremias thren. cap. 3. *Me minauit & adduxit in tenebras.* Vide libros Regum. minare eſt agere. Victor Vticenſis lib. II. *Illa beatorum turba expellentibus quibuſdam Æthiopibus minata eſt foras.* Quæ vox apud nos integra conſeruatur. Anianus ad Pauli ſentent. lib. 1. tit. 18. actum interpretatur quo pecora minare conſueuimus. Cuiac. ad eum locum. Apuleius lib. 9. *Iumenta bibendi cauſa prominabat.* Et lib. 3. *Nos duos aſinos minantes baculis exigunt.* Feſtus, *Agaſones, equos agentes, id eſt, minantes.* mox, *Agere modò ſignificat ante ſe pellere, id eſt minare:* gloſſema videlicet Pauli Diaconi. Vnde Cuiacius dicit ſe aſſentiri Ant. Oiſellio, qui in Auſonij Epig. de Myronis Bucula, *me mouebat vt ſuam*, legebat, *minabat.*

11. SEPEM] Prudentius Hamartigenia,

*Quamuis maceries florentes ambiat hortos,*
*Sepibus & denſis vallentur vitrea rura:*

*Aut populata rodet gemmantia germina bruchus,*
*Aut auibus diſcerpta feris lacerabitur vua.*

Vide infrà tit. 36. de ſæpibus. Vide Columellam, Catonem, Palladium, de maceriis & ſæpibus.

QVEMLIBET LABOREM ] Græcis ἔργον: ἐν τοῖς ἔργοις, pro in aruis, in cultis. Xenophon in cynegetic. Euſtathius odyſſ. ξ. Heſiodus ἔργα καὶ ἡμέραι.

PECORA MISERIT ] Gregor. Turonenſ. de miracul. lib. 1. de Chunis, ſeu Hunnis Gallias vaſtantibus. *Hoſtis in circuitu depopulabatur villas, domos tradebat incendio, agros vineáſque pecoribus intromiſſis vaſtabat.* Alioqui ſi aperta eſſet terra, nec ſæpe aut vallo defenſa, impune erat, vt & conſuetudinibus noſtris. Pithœus. Sic Cicero pro Cæcinna: *Si via ſit immunita, iubet lex quâ velit agere iumentum.* Defendere porro eo ſenſu apud Columellam, & in legibus VViſigorth.

## TIT. XI.

3. INGENVVM DIMISERIT ] Pro, libertate donauerit, vt infrà tit. 28.

5. VALENTEM SOL. XV. AVT XXV. ] Varium mancipiorum fuit pretium, vt & cæterarum rerum venalium, pro tempore ſcilicet, & mancipij qualitate. Finge, aliud eſſe in nouitio, aliud in veteratore, aliud in artifice, in erudito. Vide titul. de Ædilitio edicto, & Pignorium de ſeruis. Communis tamen æſtimatio fuit XX. aureorum, l. 31. D. de Minorib. l. 1. Cod. de comm. ſeru. manumiſſ. Gregor. Turon. lib. 3. cap. 15. ſunt XII. ſolidi, leg. Burgund. tit. 57. Concil. Matiſcon. I. ann. XVIII. Guntchranni R. c. 16. *Sancimus vt nullus Chriſtianus Iudæo deinceps debeat deſeruire; ſed datis pro quolibet bono mancipio* XII. *ſolidis, ipſum mancipium quilibet Chriſtianus ſeu ad ingenuitatem, ſeu ad ſeruitium licentiam habeat redimendi.*

## TIT. XII.

1. SI QVIS INGENVVS ] Hîc paſſim duæ tantùm hominum ſpecies, ſerui & ingenui; non liberti, nec libertini.

5. AVT ADVLTERAVERIT ] Gloſſæ interlin. Thu. *& eam furtiuè aperit*, videndum an rectè.

## TIT. XIII.

1. AVT FLAGELLIS ] Patibulo condemnabantur ſerui pro furto, aut latrocinio, nî eſſet qui redimeret. Gregor. Turonenſis de Miracul. lib. 2. cap. 16. Et etiam aliquando liberi, idem de

Mirac. lib. 1. cap. 73. Seneca epiſt. 7. *Latrocinium aliquis fecit, meruit vt ſuſpendatur.* Gregor. Turonenſ. de gloria Confeſſor. cap. 101. Idem de Miracul B. Martini lib. 1. cap. 21. lib. 3. cap. 53.

CXX. ICTVS] Franc. Pithœus. Capitular. lib. 3. cap. 31. vbi quædam annotaui. Ioſephus lib. 4. cap. vlt. ὁ δὲ παρὰ ταῦτα ποιήσας, πληγὰς μιᾶς λειπούσας τεσσαράκοντα τῷ δημοσίῳ σκύτει λαβὼν, &c. Synodi Matiſconenſ. ſub Guntcranno R. cap. 8. *Si quicumque Clericus hoc implere diſtulerit, ſi iunior fuerit, vno minus* XL. *ictus accipiat; ſi honoratior,* XXX. *dierum incluſione multetur.* Victor Vticenſis pag. 21. *& fuſtes accipiat.* De XL. ictibus vide Buxtorfium Synag. Iud. pag. 410.

PRO DORSO SVO] Sic corium ſerui redimere, leg. Friſon. tit. 3. num. 4. ſic apud Iuriſconſultos ſanguinem ſuum redimere.

## TIT. XIV.

1. SCREONA] Cod. Thuani, *Screuna:* non poteſt eſſe ſcrinium. Fr. Pithœus feliciter interpretatus eſt cameras in humum demerſas & fœno oneratas, in quibus hyeme puellæ conueniunt: idque etiam cum integro nomine apud ruſticos campanos remanere teſtatur, quod Germanis conſuetum. Tacitus: *Solent & vlteraneos ſpecus aperire, eóſque multo inſuper fimo onerant, ſuffugium hyemi & receptaculum frugibus, quia rigorem frigorum eiuſmodi locis molliunt, & ſi quando hoſtis aduenit, aperta populatur, abdita autem & defoſſa aut ignorantur, aut eo ipſo fallunt quod querenda ſunt,* infrà tit. 29. num. 33. *Si quis ſcreonam quæ clauem habet effregerit, & aliquid furauerit. Des-Accords* librum fecit *Eſcrenes*, à iocis ibi habitis.

5. TRAHITVR] Id eſt rapitur, vt ſuprà num. 1. & 4. & infrà tit. 29. num. 38. Marculfus lib. 2. cap. 16. & cap. 39. formulæ leg. Rom. cap. 16. Synodi Turonenſ. II. cap. 21. *Vt nullus ingenuam puellam abſque parentum voluntate trahere aut accipere præſumat.* Vide Virgilium 2. Æneid. de Caſſandra.

*Ecce trahebatur paſſis Priameia Virgo*
*Crinibus.*

IN VERBO REGIS] Vide leg. Rib. tit. 35. num. 3.

6. LITVS] Gloſſæ interlin. Th. *Fiſcalinus, vel Sanctuarius.*

7. INGENVITATEM SVAM PERDAT] Senatuſconſultum Claudianum. Marculf. lib. 2. cap. 29.

8. TVLERIT] Id eſt abſtulerit, ademerit, gloſſæ vet. barbaræ MSS. *ademtis, tultis.* Notæ ad Marculfum pag. 294.

10. DRVCHTE] Pacta, promiſſa; à fide quæ *dreuu* Germanis. Auentinus in gloſſario.

ADSALIERIT] Infrà tit. 15. num. 4.

11. Tertull. lib. 2. ad vxorem.

IN SERVITIVM IMPLICETVR] Infrà tit. 27. num. 3. Sic apud nos, *en formariage le pire emporte le bon.* Vide Burchardum in lege Familiæ.

15. PER VIRTVTEM] Per vim. leg. Alaman. tit. 5. v. 2. & 5. vbi facto opponitur. leg. Longobard. tit. 1. & tit. 17. l. 4. *Et collegerit ſe vna pars cum virtute, & dixerit eamus & expellamus eos de ipſo loco per virtutem foras.* Tertull. aduerſus Iudæos. *Nam præter quod omnibus notum eſt Orientis virtutem,* (id eſt vires) *auro & argento pollere ſolitam.* Anaſtaſius Bibliothecarius ex Theophane, ad an. Chriſti DCXXV. *Imperator* (Heraclius) *ordinauit alium Prætorem nomine Bahanem, & Theodorum Sacellarium cum virtute Romaïca, & aduerſus Arabes miſit.* Theophanes dixit μετὰ Ῥωμαϊκῆς δυνάμεως. Eò retulerim illud Virgilij, *Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?* Et ſanè præcipua militaris virtus fortitudo eſt, vnde virtus etiam in malam partem, pro vi, aut pro copiis: nos *forces.* Franci quidem fortitudinem præcipuam virtutem habuerunt, & vi virtutis nomen tribuerunt. Prudentius Hamartigenia, *inſultat virtute pari, ſed diſpare fato.* Idem ibidem: *Pœnarum virtus non intellecta coërcet.* Paulus VVarnefrid. lib. 6. cap. 27. *Qui Giſulfus tempore Iohannis Papæ cum omni ſua virtute Campaniam venit, incendia & deprædationes faciens* &c. Sic Tertullianus de Pallio. *Præſentis imperij præſens virtus.* Per fortiam. leg. Ribuar. leg. Baiuuar. Marculfus, lib. 1. cap. 18.

16. Et ſi caput hoc in quibuſdam MSS. reperiatur, vt in Cod. Iac. Auguſti Thuani, Anton. Oiſellij, & in Met. Abeſt tamen à pleriſque, Regij quidem & Phylıracei duo non habent, & rectè; nemo quippe dixerit hanc legem Salios redolere, ſed continuò Romanam eſſe omnes agnoſcent. Vnde irrepſerit manifeſtum eſt, particula enim eſt interpretationis Aniani ad leg. 3. Cod. Th. de inceſtis nuptiis. Sanè lege Salica de inceſtis nuptiis nihil cautum fuiſſe adfirmare auſim, cùm in Decreto ſuo Childebertus Rex ſanctionem ea de re ediderit. *Nullus inceſtum vſum ſibi ſociet coniugio, hoc eſt nec fratris ſui vxorem, nec vxoris ſui ſororem, nec vxorem patrui, aut parentis conſanguinei. Si quis vxorem patris acceperit, mortem incurrat, de præteritis verò inceſtis coniunctionibus, per prædicationem Epiſcoporum iuſſimus emendari.* Quod malum in Gallia primis Francorum temporibus, vt qui aut pagani adhuc, aut recèns Chriſtiani fuerint, graſſatum fuiſſe, ex repetitis Canonum ſanctionibus videre eſt. Synodi Agathenſis c. 61. Epaunenſis c. 30. Aurelianenſis III. c. 10. Aruernenſis c. 11. Aurelianenſis IV. c. 27. Turonicæ II. ſub Chariberto R. c. 22. In qua referuntur excerpta ex libris ſacris, canonibus ſuperioribus, & legibus quæ huc pertinebant; nominatímque hæc conſtitutio laudatur. *Itemque ait ſacra ſententia legum, quæ in hac explanatione omni homini tam docto, quàm indocto aperta eſt, vt quiſquis aut ſororis aut fratris filium, aut certè*

Digitized by Google

*gradu* (lege, *vlterioris gradus*) *conſobrinam, aut fratris vxorem ſceleratis nuptiis ſibi iunxerit, huic pœne ſubiaceat, & de tali conſortio ſeparetur, & reliqua.* Vide Capitul. lib. VI. c. 307. lib. legum Theodoſij 3. cap. 12. contra illicita coniugia & de viduis, Synodi Pariſ. III. c. 4. Tomo 2. Concil. pag. 638.

FRATRIS FILIAM ] Hanc certè coniunctionem Romani quoque aſpernati ſunt, Senatu licèt in gratiam Claudij decernente, vt iuſtæ inter patruos fratrúmque filias nuptiæ in poſterum ſtatuerentur. Sed, vt Tacitus ſcribit, nemo repertus eſt niſi vnus talis matrimonij cupitor. Iuriſconſulti quidem ſatis docent reprobata fuiſſe hæc coniugia, dum quod eiuſmodi matrimonij cauſa datum eſſet, cauſa non ſequuta condictione ſine cauſa repeti aiunt. Papinianus in l. vlt. de Condict. ſine cauſa.

ALTERIVS ] Oiſellij Cod. *vlterius.* Legendum vt in Aniano, *vlterioris.*

INFAMIA SINT NOTATI ] Hæc ex Aniani mente, non ex Impp. ſententia; neque enim quid ſimile in lege ipſa reperire eſt. Sed ex quo Gothus ille legerat inceſtis nuptiis contractis neminem ex eiuſmodi coniunctione neque vxorem, neque dotem, neque liberos ſperare debere; continuò ille ſpurios infamia notari commentus eſt, certè præter conſtitutionis mentem. Spurios ſanè illegitimæ coniunctionis & natalium pœnam nota quadam ſuſtinere nemo ambigit. Verè Plutarchus, *Τοῖς μὴ φῦσιν ὡς πεφύκασιν ἐκ δὲ γεγονόσιν αἰδαλέστατα παρακολουθεῖ τὰ τῆς δυσγενείας ὀνείδη παρὰ πάντα τὸν βίον, καὶ πρόχειρα τοῖς ἐλέγχειν καὶ λοιδορεῖσθαι βουλομένοις.* In eam ſententiam videndus Caſſiodorus lib. 2. epiſt. 11. & Ioſephus lib. 4. cap. vlt. Idipſum tradit Caliſtus PP. in epiſt. ad Fratres per Galliam conſtitutos, c. 1. ex quo Burchardus lib. 7. c. 4. *Coniunctiones conſanguineorum prohibete, quòd eas & diuina & ſeculi prohibent leges*, &c. *Leges verò ſeculi infames tales vocant, & ab hereditate repellunt.* Leg. VViſigotth. lib. 3. tit. 5. cap. 1.

## TIT. XV.

EXPOLIAVERIT] *Dépouiller*, Saluianus lib. 7. *Punit expoliatores domorum, cùm ſit expoliator Prouinciarum.*

1. SVPERVENTV] Paulus Varneftidus pag 280. *Super eos veniens*, & paſſim. in Bibl. *irruit ſuper eos.* Gallicè *courir ſus.* Seneca de ira lib. 1. *Germanis quid animoſius, quid ad incurſum acrius.*

3. SI VERO FRANCVS] Obſerua maiorem pœnam aduerſus Romanum, quàm aduerſus Francum.

4. VIÆ LACINAM ] Vet. Cod. Th. *via laciniam.* Vide infrà titul. 33.

## TIT. XVI.

1. VILLAM ALIENAM ADSALIERIT] Vide l. 11. D. ad leg. Iul. de vi publica.

ET QVICQVID INDE ABSTVLERIT] Id eſt capitale, vt ſuprà & infrà paſſim.

## TIT. XVII.

DE SEPVLCHRO VIOLATO] Vide infrà tit. 57.

2. PARENTES DEFVNCTI] Iulius Capitol. in Maximino iuniore. *Quadam parens ſua libros Homericos dedit.* Lampridius in Alexandro, *amicos & parentes Alexander ſi malos reperit, aut puniuit,* &c. Vide Notas ad Marculf. pag. 517.

VT INTER HOMINES NON HABITET] Vide leg. Ribuar. tit. LXXXVII.

3. IN NOFFO] Gloſ. interlin. Cod. Thuan. *in ſarcophago ligneo.*

4. ARISTATONEM] Vide infrà tit. LVII. num. 3. Fr. Pithœum. Vide & Lindembrogium ad Ammianum, de purpura auulſa à ſepulchro Domitiani.

## TIT. XVIII.

DE INCENDIIS] De incendiariis, de arſis. Vide *Beaumanoir* cap. *de haute iuſtice.*

4. CONCISA] Concædes dicit. Tacitus, ſicut Cæſar & Marcellin. Vide Fr. Pithœum, & Spartianum in Hadriano, deſcribitur à Sangallenſi lib. 2. cap. 2. Paulus VVarnef. lib. 3. cap. 4. Strabo lib. 4. de Britannis. περιφράξαντες δένδρεσι καταβεβλημένοις, &c.

## TIT. XIX.

1. COLPVS] Vet. Cod. *colaphus*, vnde noſtris *coup.*

FALLIERIT] Fallire à verbo fallere, nobis *faillir.*

SAGITTA TOXICATA] Venenatis ſagittis vſos olim Gallos, etiam in venatu, Plinius auctor eſt lib. 27. cap. 11. vt & Cornelius Celſus, A. Gellius ex Plinio; & Admiranda ſub nomine Ariſtotelis; quod Germanis in vſu eſſe hodie quoque audiui. Barbaræ gentes vbique ferè & olim vtebantur, & hodie quoque vtuntur. Longum eſſet exempla recenſere. De Getis Ouidius non vno loco, Triſtium lib. 5. de Ponto lib. 1.

*Qui mortis ſæuo geminent vt vulnere cauſas,*
*Omnia vipereo ſpicula felle linunt.*

Romani quinetiam vſi aliquando ſagittis eiuſmodi, ni Plinium de omni

omni hominum genere loquutum fuiſſe intelligamus lib. 18. cap. 1. *Nos & ſagittas vngimus, & ferro ipſi nocentius aliquid damus.* Porro in leg. Baiuuar. multo minor eſt multa, XII. ſcilicet. ſol. etiam ſi quis non modò ſagittam toxicatam emiſerit, ſed etiam ſi alium vulnerauerit, tit. 3. cap. 6. Gregorius Turonenſ. lib. 2. *Sagittas tormentorum ritu effudere illitas herbarum venenis.* Sidonius in panegyrico Maioriani, verſ. 406.

*teretes pars explicat arcus,*
*Spiculáque infuſum ferro latura venenum,*
*Quæ feriant bis miſſa ſemel.*

D. Ambroſius de Tobia, cap. 7. *Quaſi ſeruus ſagitta toxicata ictus paululum procidens, tandem victus veneno procumbit: aut quaſi piſcis qui fuſcina fuerit infixus, quocumque fugerit vulnus vehit.*

10. ADSALIERIT] Suprà tit. XIV. num. 10. tit. XV. n. 4. tit. XVI. n. 1. & 2. Infrà tit. XXXVII. n. 2. tit. XLIV. n. 1. Marculfus lib. 1. cap. 29. *Adſaliſſetis, & grauiter liuoraſſetis.* Vide notas ad Marculfum pag. 294 idem lib. 1. cap. 37. vide notas pag. 300. Capitul. lib. V. cap. CCXII. ex legib. Baiuuar.

## TIT. XX.

De accuſatoribus calumniantibus.

2. VIII. DEN. &c.] Ergo lege Salica calumniatori mulcta pecuniaria infligitur, lege verò Romana talio. Vide notas ad veteres formulas pag. 361. Anaſtaſ. Bibliothecar. in Leone IV. pag. 293. & quæ ad eum locum notaui. Poſtea verò vbique fere obſeruari cœpit in Gallia. Brito Philippid. pag. 324.

*Quædam autem in melius iuri contraria mutans,*
*Conſtituit pugiles, vt in omni talio pugna*
*Sanguinis in cauſis ad pœnas exigat æquas,*
*Victus vt appellans, ſiue appellatus eadem*
*Lege ligaretur, mutilari aut perdere vitam.*
*Moris enim extiterat apud illos hactenus, vt ſi*
*Appellans victus in cauſa ſanguinis eſſet,*
*Sex ſolidos decies cum nummo ſolueret vno,*
*Et ſic impunis amiſſa lege maneret,* &c.

Sed tandem ſublatus eſt, & ad ius Salicum reditum; ſcilicet vt accuſatores calumniari deprehenſi mulcta pecuniaria, & præterea in id quod intereſt condemnentur.

## TIT. XXI.

DE MALEFICIIS] Seu potiùs de veneficiis.
1. HERBAS] Vide Gregorium Turonenſ. pag. 491. veter.

formul. incerti authoris 34. & notas pag. 346. Id à Medicina petitum, quæ remedia vt plurimum ex herbis deducit. Vide Homerum de Machaone. Manilius lib. 3. de Medicina,

*Et vita ſuccos miſcere ſalubres.*

At magia ex medicina nata, Plinius lib. 30. cap. 1. Claudianus.

*Pocula nec triſti gramine miſta bibunt.*

Virgilius Georg. 3.

*Miſcuerúntque herbas, & non innoxia verba.*

Gratianus Imper. in l. 6. Cod. Th. de indulgentiis criminum. *Qui noxiis quæſita graminibus, & diris immurmurata ſecretis, mentis & corporis venena compoſuit.*

3. ] Gregorius Turonenſ. de miracul. lib. 2. cap. 44. & 45.

Maleficivm svperiactatvs fverit ] Noſtris, *Ietter du ſort.* Porro iactare pro iacere non nouum, Frontinus Agrimenſor, pag. 57. de arboribus imminentibus, quarum fructus in fundum vicini decidunt.

Cvm ligatvris ] Tertullianus pag. 814. *In remediis naturalia plurimùm, aliquid & magia circumligat, medicina cum ferro & poculo occurrit.* Idem de ſpectaculis: *Magicis deuinctionibus perfici.*

Miserit ] Mittere, pro ponere.

4. Vt infantes habere non possit ] ἀτόκιον Plin. lib. 29. cap. 4. vbi de Phalangio. *Vis ea annua eſt, quam ſolam ex omni atocio dixiſſe fas ſit, quoniam aliquarum fœcunditas plena liberis tali venia indiget.* Fallitur verò Plinius. Apud Chriſtianos certè abominandum illud eſt, Tertullianus, Minutius, Arnobius. Idem Plinius lib. 27. cap. 8. *Fœcunditatem reſtituere ademptam veneficiis.*

## TIT. XXII.

Credo non tam hîc agi de dolore, quàm de pulſata verecundia & immodeſta contrectatione, & impudica. Vide Herodotum de legatis Perſarum apud Macedones.

3. Svper cvbitvm ] Nam vt Tacitus ait, *Partem veſtitus ſuperioris in manicas non extendunt, nuda brachia ac lacertos.*

4. Mamillam strinxerit ] Ouidius:

*Forma mamillarum quam fuit apta premi.*

Iniuriarum apud Romanos actio competit.

## TIT. XXIII.

Argvmentvm eſt hic titulus, ſcriptam eſſe legem cùm adhuc Paludicolæ eſſent Franci, cui vſui Aſcus; & cùm mare vel flumina accolerent in Belgio, vbi aquæ multæ.

3. Vel ascvm] Hodie *naſcon*, vel *aſcon*, Alueolus cuius in paludibus frequens vſus. Vide. Rapini epigramma. fortè heic ab vtribus, quibus flumina permeari ſæpe dictum eſt. Marcell. Notitia.

## TIT. XXIV.

1. INgenvvs] Id eſt liber. Marculfus lib. 2. cap. 32. Notæ ad Marculfum pag. 326. Gregorius Turonenſ. lib. 8. cap. 41.

Annonam] Gregorius Turonenſ. lib. 8. cap. 42. *Ita vt annonas, fœnum, vinum, & quicquid reperire potuiſſet*, &c. Capitul. lib. 4. cap. 25. gloſſæ, *annona*, *σιτηρέσιον*, nam de annona milirari agitur, ſed ab eadem origine. Inde eſt *area annonaria*, leg. Burgund. tit. 23. cap. 2. qui annonam dederit ſeruo fugitiuo, leg. Longob. lib. 1. tit. 25. l. 25. Annona ad Caballos, Capitul. lib. 4. cap. 73. Vide lib. 1. cap. 118. 131. leg. VViſigot. lib. 12. tit. 1. l. 2. lib. 9. tit. 2. l. 6.

3. Sclvsam] Caſſiodorus Senator lib. 2. c. 19. *Vniuerſis Gotthis & Romanis, & his qui portubus vel cluſuris præſunt.* Balſamon ad Epiſt. Baſilij ad Amphiloch. can. 55. *Clauſura S. Baſilij*, εἰς τὴν κλεισούραν τοῦ ἁγίου Βασιλείου. Tranſlatio Martyrum Georgij, Aurelij, & Nataliæ, p. 47. *Ne fortè eis improuiſis aut legatio fraudulenta fiat, aut certè magis hoſtilis impetus ſuperueniens, cunctarum ad ſeſe viarum aditus continuis ſatagat obſirmare cuſtodiis, atque ea permaximè loca quæ ab anguſti tramite callis excluſas appellant.*

## TIT. XXV.

1. SIve crinitvm] *Quilibet capillatorum*, in Edicto Theoderici R. cap. 145. Decretum Childeberti R. c. 3. *vt nullus de Crinoſis*. Quod ramen abeſt à MS. Regiis, & φ. φ. Agathias tamen lib. 1. cap. 5. ſolos Reges Francorum cæſariem prolixam gerere ſcribit, ſubditos omnes circumtonſos eſſe, nec illis longiorem comam concedi. Quod ita accipiendum cenſeo, vt Romanos tantummodo tonſos fuiſſe intelligamus: aut Reges quidem longam geſtaſſe cæſariem, ſed crinium flagellis diſcriminatam, & optimè comptam, quod aliis non licuit. Capillati Alpium populi, Plinio; inde & Comata Gallia eidem lib. 4. cap. 17. Capilli apud quaſdam gentes probro. Idem Plin. lib. 6. cap. 13. Maiores crines, & indumenta pellium inhibentur, l. vlt. Cod. Th. de habitu quo vti oportet int. vrb. Claudianus de IV. Coſſ. Honorij,

*Ante Ducem noſtrum flauam ſparſere Sicambri*
*Cæſariem.*

Idem de Bello Getico.

*Crinigeri ſedere Patres, pellita Getarum*
*Curia, quos plagis decorat numeroſa cicatrix.*

Sidonius lib. 1. epiſt. 2. lib. 3. ep. 3. lib. 5. ep. 13. Iſidorus lib. 16. c. 13. Iornandes in hiſtoria Gotth. Gregor. Turonenſ. lib. 6. cap. 24. lib. 8. cap. 10. de vita Patrum cap. 12. Claudianus in Eutropium lib. 1.

*Militet vt noſtris detonſa Sicambria ſignis.*

Idem de laudibus Stiliconis lib. 1.

*Ingentia quondam*
*Nomina, crinigero flauentes vertice Reges.*

Ibidem,

*Nec fida valenti*
*Dextera duxiſſet rutilantes crinibus alas.*

2. TOTONDERIT] Tondere, videlicet deturpare, decúſque capitis auferre. Ouidius,

*Turpe pecus mutilum eſt, & ſine crine caput.*

Vnde decaluatio pœna in leg. VViſigott. & Capitul. Caroli M. de Cura capillorum apud veteres, etiam apud Barbaras gentes. Tertullianus de Pallio, *Numidas etiam equus cæſariatos iuxta cutem tonſor, & cultri vertex ſolus immunis.* Franci verò ſpecialiter capillum curabant, quo ſcilicet diſtinguerentur à Romanis ſubditis. Fere olim Galli comati, Capillati Alpium populi Plinio. Poſſet tentari hunc locum accipi debere de Clericatu, nam & tum Epiſcopi ſæpe inconſultis parentibus comam iuuenibus tondebant, vt ad clericatum eos aggregarent. Quidam & inuitos aliquando tondebant; nam & ſæpe vis fiebat vt quis Clericus ordinaretur. Vide inſigne exemplum in epiſtola Paulini, quæ eſt inter epiſtolas B. Auguſtini, ep. 35. pag 145. *Nam ego etſi à Delphino Burdegaliæ baptizatus, à Lampio apud Barcilonam in Hiſpania per vim inflammata ſubitò plebis ſacratus ſim, tamen Ambroſij ſemper & dilectione ad fidem nutritus ſum, & nunc in Sacerdotij ordine confoueor.* Gregor. Turonenſ. lib. 7. cap. 31. *Quia inuitum aliquando eum totonderat, inhians facultati eius.* Quaſi Epiſcopi Clericorum heredes fierent, quod notandum, & pleniùs expendendum. Conciliis itaque id prohibitum eſt. Vide, & Capitul. lib. 5. c. 137. Prior tamen interpretatio magis arridet, vt quaſi de atroci iniuria puero & parentibus facta agatur, cùm decus capitis præcipuum coma ſit, vnde & Clericis comam alere Synodis prohibeatur. Vide. Idem quaſi in notam ſeruitutis illud fieri videatur, vide leg. Burg. lib. 6. num. 4. & diſcute.

## TIT. XXVII.

DE ADVLTERIIS ANCILLARVM] Adulterium hîc impropriè cum ancilla, vide l. 6. D. ad leg. Iul. de adulter. Sic accipitur apud Ambroſium de Abrahamo lib. 1. cap. 4. *Omne ſtuprum adul-*

*terium eſt, & quicquid in ea qua non ſit legitima uxor commiſſum fuerit, adulterij crimine damnatur.* Sic fortaſſe Gregorius Turonenſ. lib. 9. c. 37. *Et licèt eſſet vorax cibi, ac potator vini extra modum quàm Sacerdotalem cautelam decet; tamen nullum de eo adulterium quiſpiam eſt locutus.* Sic etiam fortè eodem lib. c. 34. in fine.

2. REGIS ANCILLA] In leg. Longob. lib. 2. tit. 9. l. 2. Rotharis Regis. Mulier libera quæ ſe ſeruo coniunxit poteſt impunè à parentibus, id eſt proximis, occidi intra annum. poſt annum licet Gaſtaldio Regis, aut actori, aut Sculdaſio, ipſam in curtem Regis ducere, & intra penſiles ancillas conſtituere, id eſt quæ penſum faciunt. & leg. 3. Luitprandi eadem de re. *Sit ancilla palatij, & ipſe ſeruus ſimiliter ad palatium replicetur, & filij qui ex eis nati fuerint, curti Regiæ omnimodo ſeruiant.* Vbi quod palatium dixit, mox curtem appellat. Ancilla Regia in legibus Ribuar. tit. 58. ita Lindembrogius. vel Tilij 60. num. 9. ſerui Regis paſſim, & fiſci.

3. PVBLICE IVNXERIT] Id eſt vxorem duxerit.

IN SERVITIO PERMANEAT] Suprà tit. 14. num. 11.

4. CASTRETVR] Caſtrationis pœna ſeruo non in adulterio tantùm, ſed & in furto, infrà tit. 42 n. 4. κτῶνοζατῶ caulis abſciſſione puniti. Attaliates. p 63. Iuris Græcorum.

7. ANCILLAM ALIENAM] Foras nubere, Tertullianus ad vxorem lib. 3. *Foras nubere ſeruis ſuis interdicunt. Formariage* in conſuetudinibus noſtris.

## TIT. XXVIII.

DE LIBERTIS DIMISSIS] De eo qui alienum ſeruum manumiſerit.

1. ANTE REGEM PER DENARIVM] Marculfus lib. 1. cap. 22. vbi nonnulla notauimus, & vetus inſtrumentum denariale Caroli Calui adduximus ex Tabulario S. Martini Turonenſ. Vuilhelmus Heda in hiſtoria Epiſcoporum Traiectenſium p. 249. n. 13. *Egiboldus natione Friſius vnanimi omnium voto XIII. Epiſcopus ſurrogatur in locum Odibaldi, vir non contemnendæ vitæ, litteris clarus, & ipſi Zuentiboldo Regi acceptus, qui eius contuitu famulam quamdam datis, ut lex Salica docet, in commutatione duobus mancipiis priùs, & poſtea ſecundùm legem Francorum denarium eius excutiens, hoc modo ſeruitutis vinculo liberauit, & donauit ingenuitati. Actum Nuimage.* Synodus Lemoricenſis MS. dicta III.

IV. DENARIOS &c.] Quo caſu nota libertatem manere, ſeu fauore libertatis, ſeu quia ante Regem celebrata eſt, & mulctam tantùm inferri cum peculio.

## TIT. XXIX.

1. TINTINNVM] Nonius: & Iſidorus lib. 3. cap. 22. Phædrus libro 2. *Clarumque collo iactans tintinnabulum.* leg. Gotth. lib. 12. tit. 2. l. 2. Burgund. tit. 4. c. 5. Boiorum cap. 8. tit. 2. § 1. Fortunatus lib. 2. de B. Medardo. Greges tinnibulatos dixit Sidonius lib. 2. ep. 2. VValafridus Strabo.

*Mala fidem, titinna ſonant documenta ſaluto.*

Leg. VViſigotth. lib. 7. tit. 2. l. 11. leg. Burgund. Longobard. lib. 1. tit. 25. l. 31. Meminit & Ado Viennenſ. Cauſa in bobus, ne in ſyluis aberrando amittantur; In equis præcipuè Sagenariis, vt & hodie, & in mulis onerariis, quo tinnitu mulceantur, & ſono laborem leniant, in muſicæ modum ita ferunt; adeo muſica Brutis etiam imperat. Agatharchides lib. 5. de mari rubro, cap. 30. Θρεμμάτων μὲν πλῆθος ἑαυτοῖς ἔχουσι συμπεπορισμένον. κώδωνας δ' ἐξάπτουσιν ἐκ τῶν κεράτων τῶν ἀρρένων πάντων, ὅπως ὁ ἀπ' αὐτῶν ψόφος διώκῃ τὰ θηρία. Malè interpres, *vt tinnitus horum fures arceat fugétque.* Vide in hiſtoria Francor. de Stratagemate per tintinnum. Aimoin. lib. 4. cap. 81.

3. SKELLAM DE CABALLIS] Scella, vel Scilla, equorum clitelliarorum tintinnabulum, quâ voce Aquitani adhuc vtuntur. Græcis κώδων, cuius etiam furem in legibus Georgicis Iuſtinianus coërcet. *Eſquil.* Tholoſatibus. Squillam pro tintinnabulo & nola vocat Petrarca in poëmatibus Italicis. Et Itali etiam hodie *Squillare.*

8. SI VERO IN HORTO] Maior pœna ſi arborum furtum in horto fiat, vt ſuprà, vide.

12. CVLTELLVM] Vide gloſſas Agrimenſ. p. 172.

13. NAPINAM] Columella lib. 11. cap. 2. ſic rapinam facere, id eſt rapos ſetere, vſurpatur in l. 88. §. matre, D. de leg. 2. Columella lib. 2. cap. 2. Cato Rei R. cap. 31. Pictauis *nabine*, locus napis conſitus, vt monuit Ioh. Belius amicus chariſſ.

16. ARBOREM INSERTAM] Seruius Georgic. 2. verſ. *Et ſæpe alterius. Sane inſitas arbores dicimus, inſertas verò cauſas aut fabulas.* Ouidius:

*Firmaque adoptiuas poſſidet arbor opes.*

De adoptione Suetonius. *Inſertus eſt eadem figura.* Vide auctores R. R.

29. SIGNATA] An de ſigno quod imponebatur ad limites notandos, qua de re Siculus Flaccus: *Si notata arbores in regionibus finales obſeruabuntur, intuenda ſunt notæ.* Leg. Longob. lib. 1. tit. 26. l. 3. *Si quis liber homo arborem, vbi theclatura facta eſt, inter fines diſcernendos inciderit.* Vide Reſponſ. Papiani tit. 39. leg. VViſigotth.

lib. 10. tit. 3. l. 3. Baiuuar. tit. xi. cap. 3. num. 2. Et ita Lindembrogius putat, cuius ſententiæ non accedo; nam hîc de finibus nullum verbum, & de anno quod additur contrarium euincit. Vide an huc faciat quod eſt in leg. VViſigotth. lib. 8. tit. 6. vlt. l. 1. in legib. Boior. tit. 9. cap. 12. *Signum quod propter defenſionem ponitur*, &c.

31. RETE AD ANGVILLAS CAPIENDAS ] *Hord* locus apud nos dicitur in flumine, vbi retia tenduntur ad anguillas capiendas. Vide Martin.

32. TREMACLVM ] *Tramail.*

VERTVOLVM ] *Verreul.*

GASAM ALIENAM TRAXERIT ] Caſam alienam trahere. Sic Gregorius Turonenſ. lib. 9. c. 35. *auferre villam*. Quamuis abolita ſit Maſſurij Sabini ſententia, qui putabat fundi furtum fieri poſſe, Inſtit. lib. 4. tit. 1. trahere autem rapere eſt, & inuadere, ſuprà tit. 14. n. 5. Sic Hieronymus ep. 3. ad Heliodorum: *Marcomani trahunt, vaſtant, rapiunt.*

## TIT. XXX.

1. LOGAVERIT VT HOMINEM INTERFICIAT ] Iuuenalis Sat. 13.

> *Si flectas oculos maiora ad crimina confer,*
> *Conductum latronem.*

## TIT. XXXII.

NON de iniuria tantùm hîc agitur vt vulgò dicimus, ſed de iniuria quæ fit per conuicia. Vide de iudicio iniuriarum apud Athenienſes.

1. CENITVM ] Si fides gloſſ. apud Pithœum, Cocles cenitus eſt, ſed vereor ne aliud hîc intelligatur. Fortaſſe hîc cenitus eſt eadem inflexione qua congagatus num. ſequenti, is qui aliquando cœno & ſordibus ad ſummam ignominiam perfuſus eſt à populo. quod iniuriæ genus apud Francos in vſu. Vide l. 1. D. de extraordinar. criminib. §. 1. Eccleſiaſtici cap. 22. verſ. 1. & 2. Auctor Etymologici. *οἱ Ἀττικοὶ τὸν ἐπί τινι ἁμαρτήματι ἁλόντα πηλῷ χρίοντες ἐδημοσίευον.* Alibi idem auctor: *οἱ Ἀρχαῖοι ὅτε ἤθελον ὑβρίσαι τινὰ καὶ ἐμπαῖξαι, πηλῷ ἔχριον τὸ πρόσωπον αὐτοῦ.* Vide Gregor. Turonenſ. lib. 7. cap. 14. leg. Longob. lib. 1. tit. 16. l. 8. vbi de ſponſa. *Peruerſi homines aquam ſordidam & ſtercoratam ſuper ipſam iactaſſent.*

2. CONGAGATVM ] Gallis *conchié*, honos auribus, *chiard*, *κοπρίας*. Scaliger ad Feſtum. Caſaubonus ad Suetonium. Imò non de vitio corporis, ſed de iniuria ab alio illata: gloſſar. Pithœi, *conchagatum, ſordidatum.*

Digitized by Google

3. VVLPICVLAM] Herodes à Domino noſtro ita vocatur Lucæ 13.

4. LEPOREM] Timidum videlicet & fugacem, Græci prouerbialiter, *δειλότερος λαγῶ φρυγός.* Annales Fuldenſes Carolum Caluum leporem vocant. Vide. Magnum certè apud Francos conuicium fuiſſe hinc apparet, quòd fugam ſibi exprobrari non patiebantur, quam dedecus extremum eſſe exiſtimabant. De Gallis Ælianus de varia hiſtoria lib. 12. *ὅτως δὲ αἰσχρὸν νομίζεσι τὸ φεύγειν, ὡς μηδὲ ἐκ τῶν οἰκιῶν καταλιθανουσῶν καὶ ἐμπιπλουσῶν πολλάκις ἀποδιδράσκειν.* Nicolaus Damaſcenus hiſtoriarum ſcriptor Auguſto & Herodi acceptiſſimus, *ἐν συναγωγῇ* apud Abbatem Maximum Eclog. cap. IV. *Κελτοὶ οἱ τῷ ὠκεανῷ γειτνιῶντες, αἰσχρὸν ἡγοῦνται τοῖχον καταπίπτοντα ἢ οἰκίαν φεύγειν. πλημμυρίδος δὲ ἐκ τῆς ἔξω θαλάττης ἐπερχομένης, μεθ' ὅπλων ἀπαντῶντες ὑπομένουσιν ἕως κατακλύζονται, ἵνα μὴ δοκῶσι φεύγοντες τὸν θάνατον φοβεῖσθαι.* Strabo lib. 7. *ἀφοβίαν οἱ Κελτοὶ ἀσκοῦντες, κατακλύζεσθαι τὰς οἰκίας ὑπομένουσιν*, quæ tamen ridet Strabo. Idipſum de Francis nominatim affirmat Laonicus Chalcondyles hiſtor. lib. 11. pag. 59. *Κελτοὺς δέ φασί τινες φεύγειν αὐτοὺς ἐν ταῖς μάχαις οὐ θέμις νομίζειν, ἀλλὰ μαχομένους τελευτῆσαι. καὶ ἀπὸ τούτου Κελτοὶ σφᾶς ἀξιοῦσι περιέχειν τῶν ἄλλων γενναιότητι, καὶ ἑτοιμοτάτους εἶναι ἁπάντων.*

5. MERETRICEM CLAMAVERIT] Vide Conſuetud. Campaniæ vett. p. 456. art. 45.

7. DELATOREM] Conuicium illis temporibus non leue, nam delatores, quibus alioqui præmia magna decernebantur, & à Tiberio cuſtodia legum dicti, apud Tacitum ni fallor, ſub malis Principibus ſæuiebant. Plinius panegyric. *Vidimus delatorum indicium quaſi graſſatorum, quaſi latronum.* Itaque id genus hominum omnes aduerſati, deteſtati, vnde infamia; etſi initio bono publico eſſent introducti, vt & accuſationes, quemadmodum Cicero in Verrem plenè tractat. Martialis. *turba grauis paci*, &c. Poſtea ex conſuetudine fraudis & calumniæ etiam Principibus exoſi. *execrabiles nuntiatores* dicuntur qui fiſco deferunt, l. 4. Cod. de Delatorib. lib. 10. Itaque calumnianres ferro puniti, l. 5. eodem, & illis aliquando lingua euulſa, l. 2. Cod. Th. de petitionibus & vltro datis & delatoribus. Atque adeò in bonis cauſſis ſi idem delator tertiò fuerit, capite punitur, l. 12. 13. 28. Cod. Th. eodem, quòd ſcilicet iam deferendi ſtudium quaſi artem exercere videatur. Vnde apparet delatoris nomen in conuicium tranſiiſſe, quemadmodum latronis. conuicium eſt & iniuria aliquem delatorem appellare, l. 3 Cod. de iniuriis. Denique l. Græca 7. Cod. de delatoribus, ſtatuit eum qui tyrannos deferat, *μηδὲ μίαν τὴν καλεῖσθαι*, ſed calumniatorem. Non tamen eo facto delatio abolita, tranſlatâ eâ in palatinos, qui obtentu officij poſterioribus Rom. Imperij temporibus impunè graſſati ſunt, l. 7. Græca, & l. 2. Cod. eodem. Tacitus lib. 4. *Sic delatores genus hominum publico exitio repertum per præmia elicie-*

Digitized by Google

*eliciebantur.* Delatores ſtrangulantur Capitul. lib. 7. cap. 116. eis lingua capulatur, aut conuictis caput amputatur, ibidem cap. 117. Malè gloſſæ interlin. Thuan. delatorem hoc loco interpretantur. *Mendacem, vel latratorem, vn raporteur*, apud nos.

## TIT. XXXIII.

De viæ lacina] De via clauſa, infrà eod. tit. n. 3. ſuprà tit. 15. num. 4. Vide leg. Ribuar. tit. 81. Vide Agrimenſores pag. 125. & in gloſſa Rigaltij.

1. Impinxerit] Vide gloſſar. Agrimenſorum pag. 180.

3. Clauserit] Hieremias. Thren. cap. 3. *Concluſit vias meas lapidibus quadris, ſemitas meas ſubuertit.*

## TIT. XXXIV.

Sine causa ligaverit] Additur ſine cauſa, id eſt innocentem; alioqui licebat vnicuique furem aut alium quemlibet reum priuata authoritate comprehendere, & ligare, vt poſtea à iudice condemnaretur. quod ſi vel ipſe qui ligauerat, vel alius eum ſoluiſſet, pœna legitima mulctabatur, leg. Ribuar. tit. 73. nam & priuati tenebantur latrones inſequi in ſua vicinia, decretum Childeberti cap. 12. & 13. decretum Chlotarij cap. 16. Locus Taciti de Alea notatus à F. Pithœo, nil ad rem.

3. Romanus] In præfat. leg. Burgund. in præfatione edicti Theoderici. *Barbari Romanique.* Vide Notas ad Marculfum pag. 306.

4. Si autem Francus] Obſerua minorem pœnam in Franco, vt ſuprà cap. 15. aliud in leg. Ribuaria, vbi maiore mulcta Ribuarius quàm Romanus damnatur. Sic in decreto Childeberti n. 7.

## TIT. XXXV.

1. Aut celaverit] Ergo aut de regia venatione generali, vere aut autumno, vt in Annalibus vetuſtis, quod vix credo: aut de quadam venatione quam in communi Franci faciebant, quemadmodum de quibuſdam populis Ariſtoteles narrat, & Itineraria recentia.

2. Cervum domesticum] Inſtitut. lib. 2. tit. 1.

Signum habentem] Id eſt nolam, ita enim campanæ Eccleſiarum vocabantur.

Ad venationem faciendam mansuefactus] Fortaſſe vt quemadmodum aucupes illice vtuntur, ita & ceruis cicuribus Franci venando vterentur, quo cæteros attrahere poſſent. Nam



Digitized by Google

memini me vſpiam legiſſe eiuſmodi venationis modum. De anatibus qui alios inducunt in decipulas, in Pictonibus, docuit Belius.

4. CERVVM QVEM ALTERIVS CANES ] Contrà Iuſtinianus Inſtit. lib. 2. tit. 1. §. Illud quæſitum.

## TIT. XXXVI.

1. VEL RETORTAS ] Leg. Ribuar. tit. 43. & 72. n. 1. 3. Conſtitution. Neapolitanæ. *Tortam vel virgam de nemore incidere*, lib. 3. tit. 38. cap. 4. Italis *ritorta*. Prouerbium vulgare, *la reborte vaut mieux que le fagot*. cùm appendix rem ipſam excedit. Docuit Belius.

2. HERPICEM TRAXERIT ] Varro lib. 4. *Irpices regula cum pluribus dentibus, quam item vt plauſtrum boues trahunt, vt eruant quæ in terra ſunt.* videlicet ad occandum. Id notauerat Iac. Cuiacius. nobis *herce*. quaſi *herpce*. ἅρπηξ, κος. Euripides, Cyclope.

3. POSTQVAM IN CVLMVM ERIGITVR ] Vide Ciceron. de Senectute.

4. POSSESSIO EST ] Agrimenſores pag. 299. *Poſſeſſiones ſunt agri latè patentes, publici priuatique, quos initio non mancipatione, ſed quiſque vt potuit occupauit, vnde & nuncupati. Fundus dictus quòd in eo fundatur, vel ſtabiliatur patrimonium.* Confer Siculum Flaccum p. 4. Impp. Arcadius & Honorius in l. 11. Cod. de Epiſcop. & Cleric. *In Eccleſiis quæ in poſſeſſionibus, vt fieri adſolet, diuerſorum, vicis etiam vel quibuſlibet locis ſunt conſtituta, Clerici non ex alia poſſeſſione vel vico, ſed ex eo vbi Eccleſiam eſſe conſtiterit ordinentur*, & reliqua quæ vide. Iornandes de rebus Getic. p. 2. *Traprobane quoque in qua exceptis oppidis & poſſeſſionibus dicunt munitiſſimas vrbes*, &c. Inde poſſeſſores in Cod. Th. & apud Caſſiodorum, *Honoratis poſſeſſoribus & curialibus*, ad differentiam inquilinorum, & colonorum, cuiuſmodi erat ferè plebecula. Originem inde ducere libet, quòd maior pars agrorum fuerit publicata, cùm deuicta fuit à populo Rom. quæcumque prouincia; Itaque agri publici, proprietas Reipublicæ, poſſeſſio priuatorum. Id aliquatenus colligo ex Ciceronis Agraria 2. *Qui agrum Recentoricum poſſident, vetuſtate poſſeſſionis ſe, non iure, miſericordia Senatus, non agri conditione defendunt; nam illum agrum publicum eſſe fatentur, ſed moueri poſſeſſionibus amiciſſimis ſedibus negant oportere.* Vnde adſignatio agrorum quæ militibus fiebat, ex eiuſmodi agris fiebat, ne quis putet proprietarios pulſos. Suetonius lib. 1. cap. 38. *Adſignauit agros ſed non continuos, nequis poſſeſſorum expelleretur.* Iuriſconſulti de agro militibus adſignato. *Modico honoris gratia poſſeſſori dato.* Sed diſcutiendum ampliùs, nam aqua adhuc hæret. Vide tit. 43. num. 7. Symmachi notas p. 288.

## TIT. XXXVII.

8. MEDIETATE COMPOSITIONIS] Vide tit. 65. n. 1. 2.
LEGEM INTELLEXERIT] Tit. 38. prox. in fine.

## TIT. XXXVIII.

1. NON INTELLEXERIT SECVNDVM LEGEM] Suprà tit. prox. in fine.

## TIT. XXXIX.

DE VESTIGIO MINANDO] Vide Gregor. Turonenſ. de gloria Confeſſor. cap. 81. Decretionem Clotarij n. 2. 16.

VESTIGIVM SEQVENDO] Liuius lib. 1. de Hercule & Caco. *Ipſa veſtigia quærentem dominum eò deductura erant, auerſos boues eximium quemque*, &c. Iamblichus apud Photium num. 94. Perſecutionem Rhodanes & Synonidis à Dama Enucho factam memorat. & pag. 239. ἐδίωκον κατ᾽ ἴχνη Ῥοδάνης καὶ Σινωνίδος, συνεργοὺς αὐτοὺς εἰκάζοντες τῷ τοῦ λῃστοῦ. Inde inueſtigare, & ἀνιχνεύειν.

ADRHAMIRE] Vide notas ad veteres Formulas pag. 334. *Adrhamire* ab affirmare, vt putat Belius. infrà tit. 49. Vide Gloſſarium Pithœi ad Capitul. p. 2. vbi adferuntur verſus. Sed fallitur. Pithœus dum iurare exponit, quod ipſi verſus ab illo adducti euincunt. *Molt les oyſſez arramir, ſerement faire & foy pleuir.* Vbi diuerſa videntur adrhamirio & ſacramentum. fortè illud quod vernaculè dicimus *arrer*, ab arra data. Inſtrumentum Tetbaldi apud Pithœum, ad hunc locum.

SOLEM CVLCAVERIT] Infrà tit. 42. n. 9. & 52. n. 2. *Adiurnatus*. Capitul. lib. 5. cap. 151. *De hominibus Eccleſiaſticis ſeu fiſcalinis qui non erant adiurnati quando in Cœnomanico pago fuimus*. Angloſaxonicè *Andagar*.

## TIT. XL.

3. SPADATVM] Id eſt ſpadonem factum, ſeu caſtratum, infrà n. 13 Horum equorum Germanicis gentibus frequens vſus, quòd ſint laboris & æſtus patientiſſimi, maximè verò in bellis. Ammianus Marcellin. lib. 17. de Quadis, & Sarmatis in ea Sarmatiæ parte, quæ ſecundam proſpectat Hannoniam. *Equorum plurimi ex vſu caſtrati, ne aut feminarum viſu exagitati raptentur, aut in ſubſidiis ferocientes, prodant hinnitu denſiore vectores.* Equi ita mutili hodie ex Sarmatia & Vngaria in Gallias adducuntur multi, vnde communi nomine originis eiuſmodi *vngres* vocamus.



Digitized by Google

8. POLEDRVM] Pullum equinum aliàs *puledrum*, quæ vox integra Italis vſurpatur, *Pulledro Poutre* Ronſardo & Amioto de femina, *Poudreau* de maſculo.

13 ADMISSARIVM] leg Alaman. tit. 69. Varro de re R. lib. 2. cap. 2.

SPADAVERIT] Id eſt ſpadonem fecerit. Iac. Cuiacius. Spadones autem à Spada Perſiæ vrbe in qua primi Eunuchi facti, ſi Stephano fides. Σπάδα ὕστερον, κώμη Περσικὴ ἐν ᾗ πρῶτη εὐνουχισμὸς γέγονεν. Concilium apud Theodonis Villam: *Si quis Presbyterum calumniatus fuerit & ſpadauerit.* Alio capite, *Si quis Presbyterum malè tractauerit & ſpadauerit.* Anton. Auguſtinus emendat. Gratiani lib. 2. dialog. 2. legendum cenſet *ſpathauerit*, malè vulgò *ſpaſſauerit.*

TRIAEN COMPONAT] Sic vetus Cod. Thuani. Legendum *triente*, niſi legas triene. de triente vide Gregor. Turonenſ. de gloria Confeſſor. cap. 109. & alibi. vett. formul. Lindembrogij 143.

## TIT. XLII.

4. ET IN IPSO SVPPLICIO] Supplicium pro tormento. Vt infrà num. 5. 8. Anianus in Caij Epitome apud Aleandrum pag. 9. b.

CASTRETVR] Vide Sigonium de regno Italiæ lib. 6. ad annum 933. pag. 159. Caſtratur autem ſeruus in adulterio ſuprà tit. 17. num. 4.

8. VIRGAS PARATAS HABEAT] Fuſtuarium ſupplicium Senatori lib. 4. epiſt. 10. nam in leg. Burgund. tit. 6. num. 11. *Accepti* ccc. *fuſtibus damnetur*, ita leges illæ interpretantur, quod aliæ frequentiùs dicunt, ccc. *aut* cxx. *ictibus*. Vide infrà pactum pro tenore pacis Dom. Childeberti, & Clotharij R. art. 6 ſuprà tit. 13. num. 1. Gregor. Turonenſ. lib. 1. cap. 41. *Monachos ad militiam cogi iubet, nolentes fuſtibus precipit verberari*, cap. 34. *tamdiu fuſtibus caditur, quoaduſque putaretur exanimis.* Vide Victorem Vtic. pag. 7. 14. 21. 31. 36. Sed ibi de flagellis, quæ ſunt diuerſa. Vide l. 1. Cod. de curſu publico lib. 12. & diſcute.

MINIMI DIGITI GROSSITVDINEM] Caroli Calui adnuntiatio apud Piſtas an. DCCCLXIV. c. XV. *Si verò ſerui Eccleſiaſtici, aut Comitum, aut vaſſallorum noſtrorum hoc facere præſumpſerint, quia in præfato Capitulari continetur, vt* LX. *ictibus vapulent, & hac occaſione indiſcreti homines modum in diſciplina non faciebant; conſtituimus fidelium noſtrorum conſenſu atque conſilio, vt quorumcumque coloni & ſerui pro hoc conuicti non cum groſſa fuſte, ſed nudi cum virgis vapulent; & in ciuitatibus atque vicis ſeu villis Epiſcopi per ſuos miniſtros vel Presbyteros prouidentiam hanc cum Reip. miniſtris accipiant, nec in hac cauſa modus diſciplinæ tranſgrediatur.*

Digitized by Google

Et scamnvm paratvm ] Tormenti & quæſtionis genus Turcis etiamnunc in vſu, quod cùm homines tendat, equuleum poſſumus appellare; nam & medici vnum ex inſtrumentis quibus vtuntur ad oſſa componenda Scamnum vocant. Celſus lib. 8. cap. 20. de femore luxato : *Etiamnum valentiùs intenditur membrum ſuper ſcamnum, cui ab vtraque parte axes ſunt, ad quos habenæ illæ deligantur, qui vt in torcularibus conuerſi rumpere quoque, ſi quis perſeuerauerit, non ſolùm extendere neruos & muſculos poſſunt.* Hippocrates docuerat περὶ ἄρθρων. Tenſionem ad Trocleas vocat Gregor. Turonenſ. lib. 5. cap. 49. quem vide lib. 6. cap. 8. & 35. lib. 7. cap. 32. Vide Magium de Tintinnabulis, & Gallonium. Abdias ſuppoſititius lib. 9 pag 110. b. *Rex iratus iuſſit eum extenſum torqueri, & caſum recludi carcere.* Martyrolog. Notkeri IV. id. Martij pag. 792. *Apud Nicomediam B. Petri martyris iubente Diocletiano, eo quòd de ſuppliciis Martyribus irrogatis ( nam vnus erat ex ſodalibus Dorothei & Gorgonij martyrum qui in cubiculo Regis erant ) liberiùs cauſaretur, in equuleo ſuſpenſus. & flagris toto laniatus corpore, aceto & ſale perfunditur.* Idem idib. Martij de S. Matrona quæ ancilla erat. *in ſcamno extenta atque ligata.* Gregor. Turonenſ. lib. 5. cap. 28. *ad ſtipitem extendi.* Ammian. Marcellin. lib. 14. *Euſebius verò obiecta fidentiùs negans , ſuſpenſus in eodem gradu conſtantiæ ſtetit.* Vide notas Lindembrogij pag. 22.

14. Noctes ] Vide notas ad Marculfum pag. 337. Id quia nox die prior. An verò quia non à dite oriundi, vt Cæſar; ſed à Septentrione vbi hyems ferè continua, & longæ noctes, vt ab ea diei parte denominarent ex qua plurimum apud eos conſtabat. Etſi in compenſationem longiores dies iidem illi habuerint. Inde Cimmeriorum fabulam fluxiſſe reor. & quod N. Paulus etiam fabulatur de tenebrarum regione. Quamquam, niſi fallat memoria, illi Haythonus Armenius concinat : pleniùs diſcutiendum. In legib. Canuti R. cap. 10. *Poſt duodecim hyemes.* Angloſaxones numeraſſe annos per hyemes palam eſt, ex quibus annus illis conſtabat. Baiuuarij per autumnos numerabant, l. Baiuuar. tit. 7. cap. 19. num. 4. Adde Iuuenalem Satyr. 6. *Quinque per autumnos.* Seruius ad Eclogam 1. *Poſt aliquot ariſtas : quaſi ruſticus per ariſtas numeret annos. Aux baux; neuf années & neuf cueillettes.*

## TIT. XLIII.

1. Barbarvm ] Gregorius Turonenſ. lib. 3. cap. 15.

2. Sol. dc. ] Marculfus lib. 1. cap. 18. Notæ ibidem pag. 279. Paulus VVarnefr. lib. 3. cap. 31. *Data eſt redemptio pro capite vniuſcuiuſque viui ſolidi ſexcenti.*

In trvste Dominica ] *Amſtrutio.* in Cod. Reg. Marculfus lib. 1, cap. 18. Notæ ibidem 276. 277. & 278. vbi *truſtem, id eſt fidem.*



Digitized by Google

Decretio Clotarij R. cap. 3.

6. CONVIVAM REGIS ] Suetonius in Veſpaſiano cap. 2. Martialis lib. 9. epig. 93. Marcellinus lib. 15. Senator lib. 1. cap. 43. lex Burgund. tit. 38. n. 2. Claudianus in Eutropium lib. 2.

*Claro quod nobilis ortu.*

*Conuiua eſt domini.*

Iornandes de rebus Geticis cap. 33. de Berimundo: *Suſceptus eſt cum filio ſuo à Rege Theoderico honorificè nimis, adeò vt nec conſilio ſuo expertem, nec conuiuio faceret alienum.* Gallicè *commenſal*. Vetus Cod. Iac. Aug. Thuani habet, *in conuiuium.*

7. POSSESSOR ] Vide ſuprà ad tit. 36. num. 4. & Gregor. Turonenſ. lib. 5. c. 28.

## TIT. XLIV.

1. CONTVBERNIO ] Sidonius lib. 3. epiſt. 9. *Inter armatos tumultuoſos, virtute, numero, contubernio contumaces.* Ita emendaui. Marculfus lib. 2. cap. 16. Contubernium autem hîc non eſt auxilium, vt malè Lindembrogius; ſed cœtus eſt, manus, quo per turbam vis fieret. quod nomen inde deductum eſſe opinor, quòd contubernium extrema & minima centuriæ particula erat quæ ducem haberet, cui præerat decanus, ſiue caput contubernij. Vegetius lib. 2. cap. 8. & 13. apud Cæſarem & Suetonium paſſim. At ſi quis decem virorum cœtum coëgiſſet, turba erat, & de vi tenebatur, l. 4. §. 2. D. vi bonorum raptor. Vnde & ibi Bartolus ex decem populum conſtare exiſtimauit. Et ſi diligentiùs hoc caput legis Salicæ diſcutias num. 3. nouem in contubernio ordine terno adſignari inuenies. Porro qui conuocata ſeditione villas expugnauerint, lege Iulia de vi publica tenebantur; & qui hominem obſederit, incluſerit concurſu & turba, L 3. §. 2. l. 5. D. ad leg. Iul. de vi publica.

4. MEDIETAS SOLVATVR ] Medietas tantùm compoſitionis, & pœna minor in Romano aut liberto occiſo à Francis.

## TIT. XLV.

2. PLVSQVAM SEPTEM ] Æquitas ſumma, turba enim potiùs eſſe videtur quàm conuiuium; inhumanum autem fuiſſet ab vno in turba commiſſum cæteros luere. Auſonius in Ephemer.

*Sex enim conuiuium*

*Cum Rege iuſtum, ſi ſuper conuicium eſt.*

Regem conuiuij intelligit, vt ſint numero ſeptem. Conuicium *ἀθεσία*, vociferatio multorum inconditè clamantium. Capitolinus in Vero: *Septem conuiuium, nouem verò conuicium.* Varro apud Gellium

lib. 15. cap. xi. *Plures eſſe non conuenit, quod turba eſt turbulenta.* Archeſtratus Syracuſius vetus Poëta in γαστρονομίᾳ apud Athenæum lib. 1. pag. 5. non ampliùs quàm quinque conuiuas admittit,

> *Πρὸς δὲ μιᾷ πάντας δειπνεῖν ἁβροδαίτῃ τραπέζῃ.*
> *Ἔστωσαν δ' ἢ τρεῖς, ἢ τέσσαρες οἱ ξυνάπαντες.*
> *Ἢ τῶν πέντε γε μὴ πλείους, ἤδη ϗ ἂν εἴη*
> *Μισθοφόρων ἁρπαξιβίων σκηνὴ στρατιωτῶν.*

Aptè itaque alludit Archeſtratus ad tentorium, ſub quo vnum decem hominum contubernium. Vide Vegetium. Quamquam in Platonis Sympoſio viginti fuerint conuiuæ.

## TIT. XLVI.

1. TRES HOMINES] Infrà tit. LVI. num. 4.

10. PARENTILLAM] Vide infrà tit. LXIII. vbi nota ex Iornande. Fortunatus pag. 99.

*Iuncta parentali culmine Roma fuit.*

Leg. Burgund. tit. 85. art. 1. Capitolinus in Gordiano. *Duxit vxorem filiam Miſithei doctiſſimi viri, quem cauſa eloquentiæ dignum parentela ſua putauit, & præfectum ſtatim fecit.*

11. CAVSA QVÆ INDE ORTA FVERIT] Id eſt pœna ſolemnium non ſeruatorum P. P. MS.

## TIT. XLVIII.

DE AFATOMIE] Forma eſt & modus poſſeſſionis transferendæ ex cauſa poſſeſſionis. Videantur veteres formulæ incerti auctoris cap. 19. 20. 43. 57. & legis Romanæ cap. 15. Edictum Theoderici R. cap. 53. *Tres ſufficiant curiales, dummodo vicinis ſcientibus impleatur corporalis introductionis effectus.* Vide ex conſuetudinibus noſtris Raguellum pag. 507. in verbo *ſaiſine.* Videatur Andegauenſis conſuetudo, & acta poſſeſſionis. traditio in donationibus neceſſariò requirebatur. Vide l. 1. Cod. Th. de donationibus in verbo *Abſceſſu donantis.* l. 8. eod. Adfatimire, & adfatimus, leg. Ribuar. tit. 51. pag. 28. edit. Til. Epiſtolæ adfatimæ. vet. Form. Lindembrogij 50. pag. 1241. donatio eſt, vt videtur Franciſco Pithœo.

## TIT. XLIX.

INTERTIARE] Franc. Pith. gloſſ. Capit. pag. 47. *ἔγγυος ſequeſter. Ἔγγυος intertius.* Gloſſæ Latino-Græcæ, *ſequeſter, μεσίτης, ἔγγυος, συνθηκοφύλαξ.* Capitul. lib. 3. cap. 46. lib. 6. cap. 209.

1. Adhramire] *Adrhamire*, ſuprà tit. xxxviii. Capitul. lib. 4. cap. 29. quod caput tribuitur Pipino Regi Italiæ in leg. Longob. lib. 1. tit. 25. l. 76. Et quod in Capitul. lib. 3. cap. 18. in titulo dicitur, *de Sacramentis in palatio adhramitis*. In veteri MS. Capitulorum apud Aquas, cap. an ix. ſic exprimitur, *de Sacramentis in palatio faciendis*. Sed hoc parum ad rem facit. Hoc autem caput Imp. Karolo tribuitur leg. Longobar. lib. 2. tit. 55. l. 20. Vide Formulas veteres, cap. 1. 2.

Carbonariam] Gregor. Turonenſ. lib. 2. cap. 8. Nithardus lib. 2. *Quamobrem cum paucis Karolus hoc iter accelerans ab Aquitania Cariſiacum venit, & à Carbonariis & infrà ad ſe venientes benignè ſuſcepit. Mox cùm Lodharius à Lodhuuico reuerteretur, & omnes citra Carbonarias ad illum venirent, Moſa traiecta ratum duxit vt Sequanam vſque procederet.* Idem lib. 4. pag. 366.

## TIT. L.

4. Svper ipsos tres] Tres tantùm coniuratores grauiùs teliquis puniuntur, quia cum reo tres præcipuè puto proximiores affirmabant, reliqui tantùm probabant. Id patet ex formula vet. incerti auctoris 19. vbi tres Aloarij, & xii. conlaudantes. Lege autem Alaman. tit. 6. ſolus reus conceptis verbis iurabat, cæteri probabant. Vide notas Formular. pag. 303. & 344.

## TIT. LI.

2. Nolverint venire] De teſtibus cogendis agitur hoc capite, qui nolunt teſtimonij dicendi cauſa in iudicio ſiſtere, quo nomine olim Athenis actio prodita. Iul. Pollux lib. 8. Λειπομαρτύριον δὲ κατὰ τῶν ἰδόντων μὲν, καὶ μαρτυρήσειν ὁμολογησάντων, ἐν δὲ τῷ καιρῷ τὴν μαρτυρίαν ἐκλειπόντων. τὸν δὲ ὁ βουλόμενον μαρτυρεῖν, ἐκλήτευον ἀνάγκη τὸ μαρτυρῆσαι προσταχθέντας, ἔδει δὲ αὐτὸν ἢ μαρτυρεῖν, ἢ ἐξομόσασθαι ὡς οὐκ εἰδείη, ἢ μὴ παρεῖν, ἢ χίλια ἀποτίνειν. Æſchines περὶ παραπρεσβείας. Quod & iure Romano obſeruatum, vt inuiti teſtimonium dicerent in cauſis criminalibus tantùm, l. 4. 5. 8. & 19. De teſtibus. Ex conſtitutione verò Iuſtiniani Græca, l. 16 Cod. eodem, etiam in ciuilibus cauſis coguntur inuiti teſtes eſſe.

## TIT. LII.

1. Admallare] Vide infrà ad tit. lix. Sic infrà, *Vel admallatus ſecundum legem Salicam*. tit. liii n 1. *Secundum legem habeat admallatum*. Inde fortaſſe *Hamallus* ſuprà tit. xlix.

Solem cvlcatvm] Solem occaſum, quæ ſcilicet ſuprema tempeſtas obſeruabatur, vt infrà tit. lxix. Gregorius Turonenſ. lib.

Digitized by Google

lib. 7. cap. 23. Vbi nos quædam congeſſimus non aliena. Vnde & apud Marculfum lib. 1. cap. 37. *ſolſatire*. Romanis quoque idem vſitatum fuiſſe fidem facit lex 12. tab. Illud ipſum ſignificare videtur Homerus Odyſſ. μ.

Ημος τ' ἐπὶ δόρπον ἀνὴρ ἀγορῆθεν ἀνέξη
Κείνων νείκεα πολλὰ δικαζομένων αἰζηῶν.

quibus verbis tempus veſperi deſignauit, ἢ μάλιστα τὸ πλὺ ἑσπέραν ἐπιτεῖναι, vt Strabo interpretatur lib. 1. Vide ſuprà tit. XXXIX. infrà LIV. & LX. Speculum Saxonicum lib. 3. cap. 40. Iuuenalis Sat. 13.

*Hæc quota pars ſcelerum quæ cuſtos Gallicus vrbis*
*Vſque à lucifero donec lux occidat audit.*

Nortmannis hodie *clameur couchée*. Quod ſuprà eſt, *Solem ei collocet*, & infrà, *Solem collocatum*, id eſt diem conſtitutum, *iour aſsigné*. vnde *adiourner*, diem dicere. Sol pro die. Archilocus, & ex eo Ronſardus.

SINGVLAS ADMONITIONES] *Tria edicta*, P. P. MS. *Pour chacun defaut*, F. Pithœus. *Doublement & tiercement*, in ordinationibus Regiis.

ADIACTIVVM] Vide notas ad Marculfum pag. 301. & 343.

RACIMBVRGOS] Gloſſæ interlinear. *iudices*.

PRETIATVM] Preciari apud Caſſiodor. lib. 2. cap. 22. Sic depretiari Tertullian. aduerſus Marcion. lib. 1. cap. 6.

ADPRETIATVM] Leg. Alamann. tit. 75. *Illam optimam vaccam IV. tremiſſes licet adpreciare*. Capitul. lib. 5. cap. 214. *Si quis alterius caballo, aut boui, vel cuilibet quadrupedi vnum oculum excuſſerit, adpreciet illud pecus quid valet, & tertiam partem componat*. Quod caput deſumptum eſt ex legib. Baiuuar. tit. 13. cap. 8. pag. 87. edit. Tilia.

3. GRAFIO] Gloſſæ interlineares, *Comes*.

CERTA RATIO DOMINICA] Vetus Cod. Th. *certè*. Vide ſuprà tit. 1. num. 4. & 5.

NEQVE MITTAT VT CVM IVSTITIA EXIGATVR DEBITVM] *Refus de faire iuſtice*. Infrà tit. LX.

## TIT. LIII.

VIDE leg. Ribuat. tit. 53. pag. 29. edit. Til. & Tabul. S. Dionyſij in fol. min.

1. GRAFIONEM] Paulus VVarneft. lib. 5. cap. 36. pag. 303. Vide notas ad vet. Formulas pag. 337. Iudex fiſcalis dicitur in textu leg. Ribuar. tit. 55. pag. 29. edit. Til. *Si quis iudicem fiſcalem quem Comitem vocant interfecerit*, DC. *ſol. mulctetur*. Deinde quia illa freda exigebant, leg. Ribuar. cap. vlt. exactores Regij dicuntur à Suggero, loco à Fr. Pithœo allato. Ideò autem mihi videtur dici Iudex Fiſcalis Comes, ad differentiam magiſtratuum municipalium; illi enim etiam



Digitized by Google

tum iudicabant, vt paret variis ex locis, præcipuè ex Gregor. Turonenſ. lib. 1. de Miraculis cap. 33. *Decretum eſt ſententia primorum vrbis.* Sunt & multa huius rei alia exempla. de Comitibus autem vide notas ad Marculfum pag. 263. & ſeq.

GASACHIVM] Gloſſæ interlinear. Cod. Th. *cauſatorem.*

## TIT. LIV.

DE RE PRÆSTATA] De rebus creditis, noſtris, *De præſt.* Optatus lib. 3. pag. 55. b. *Præcedente terrore creditores periculis vallabantur, & qui pro præſtitis ſuis rogari meruerant, metu mortis humiles impellerentur in preces.* Iuretus ad Symmach. pag. 263. 264.

## TIT. LV.

1. ÆNEVM] Examen aquæ feruentis, leg. VViſigotthor. lib. 6. tit. 1. c. 3. Adnuntiatio Caroli Calui apud Piſtas an. DCCCLXIII. cap. 20. *Si colonus vel ſeruus inde reputatus fuerit, aut iudicio Dei inde examinet: aut ſi conuictus fuerit, hoc vt ſuprà diximus vnde menſuram adulterauit perdat, inſuper & virgis nudo corio vapulet.* Capitul. lib. 4. cap. 13. Erat & aquæ frigidæ iudicium, de quo Gregor. Turonenſ. lib. 1. cap. 69. & 70. de muliere adulterij à marito accuſata. quæ Lugduni ſententia iudicis in Ararim probationis cauſa demerſa eſt. De vtroque Hincmarus de diuortio Lotharij & Thetbergæ, ad VI. interrog. SEXTA INTERROGATIO. *Quidam dicunt nullius eſſe auctoritatis, ſiue credulitatis, iudicium quod fieri ſolet per aquam calidam, ſiue frigidam, neque per ferrum calidum. Sed adinuentiones ſunt humani arbitrij, in quibus ſæpe per maleficia falſitas locum obtinet veritatis, & ideo credenda eſſe non debent.* HINCMARVS *Chriſtianitas ex antiquo, quæ inter acta eſt & agenda iudicia, ſanxit & frequentauit iudicium quod fit per aquam,* &c. Et paulò pòſt, *Quapropter fieri aquam ignitam ad hæc duo copulata in vnum indaganda iudicia, illud videlicet quod iam per aquam factum eſt, & illud quod per ignem fiendum eſt licet ſint pro temporum varietate diſparia, ſed vnum ſunt operationis myſterio, in quibus ſancti liberantur inlæſi, & reprobi puniuntur addicti Eccleſiæ, quam deſignauit arca diluuij, creditur tradidiſſe auctoritas,* &c. Deinde, *Conſtat nimirum, vt inquiunt, quia in aqua ignita coquuntur culpabiles, & innoxij liberantur incocti, quia de igne Sodomitico Lot iuſtus euaſit iniuſtus,* &c. Vide quæ apud Hincmarum poſt hæc ſequuntur pag. 350. & pag. 357. *Aut ſacramento, aut Dei iudicio expurgate,* &c. Eòdem pertinet quod refert Gregor. Turonenſ. de Miracul. lib. 1. cap. 81. de altercatione Preſbyteri Arriani cum Dia-

cono Catholico, pro fide Catholica. *Accenditur ignis, æneus ſuperponitur, feruet valde, annulus in vnda feruenti proiicitur*, &c. Inſignis locus, & qui omnino legem Salicam illuſtrat, & vetuſtiſſimam eiuſce iudicij formam docet. Vt & de gloria Confeſſor. cap. 14. Videndus idem Gregorius hiſtoriæ lib. 2. cap. 1. de S. Briccio Turonenſi Epiſcopo. De ignitis vomeribus varij meminere. Leges vett. Capitula, Iuo Carnotenſis, Burchardus, Pithœus, & Iuretus. De aliis quoque purgationum generibus, iuramento, duello, pane hordaceo, caſeo, crucis, nos quædam ſcripſimus. De ferro candenti vide Georgium Logothetam pag. 41. vbi etiam de duello. Additur de purgatione ferri igniti. Οὐκ ἔστι τῆς ῥωμαϊκῆς καταστάσεως, βαρβαρικὸν δὲ παραδόσει παρῆκται. mox dicitur eum qui ex barbaris originem ducit, barbarico iudicio vti debere. Vide & N. B. Eadem de re Pachymerius lib. 1. Cantacuzenus lib. 3. cap. 27. Hæc omnia iudicia reprobauit Eccleſia. Agobardus contrà ſcripſit pag. 287. De aquæ iudicio videndus item Adhemarus, & ex eo Sirmondus ad Goffridum. Porro noſtra memoria paucis abhinc annis ſolebant iudices reos maleficij accuſatos mergere, pro certo habentes incertum crimen hac ratione patefieri: quod ſcelus meritò ſecundùm Eccleſiæ canones ampliſſimi ordinis decreta reſecarunt. Sic accipio Nithardum, dum ait Gerbergam vt veneficam aquis præfocatam, quia ſcilicet rea fuiſſe merſione apparuerat. Vnde fortaſſe,

*Et quos naſcentes explorat gurgite Rhenus.*

leg. Longob. lib. 1. tit. 33. cap. 1. *Si quis ſeruum alienum ſine voluntate domini ſui in ſacramentum miſerit, aut manum in caldaria mittere fecerit.* Æneum pro aheno. Vide Ezechielem 24. *Æneum in quo eſt ærugo*, &c. Saluianus pag 252. infrà tit. 67. num. 1. *Æneum portare vbi ſtria concinunt.* Pactum Childeberti & Clotarij infrà num. 4. *Ad æneum prouocatus manum incenderit.* In Decretione Clotarij infrà num. 8. *Ad ſortem veniat, aut ad plebeium promoueatur.* Fortè legendum eſt, *æneum*, non *plebeium*. tit. LIX. infrà: *Vt per æneum, aut per compoſitionem ſe educeret.*

## TIT. LVI.

2. SAGIBARONEM QVI PVER REGIS FVERAT] Ille qui iudicia Regis exequebatur. Vide leg. Burgund. de VVittiſcalcis tit. 76. edit. Til. *Saiones* apud Caſſiodorum. Sed tamen hi iudicabant infrà verſ. 4. *viriſagi*, PP. MS.

4. MALLOBERGIIS] Id eſt locis tectis, inquit Belius, quia ſtatutum eſt conſtitutionibus Caroli M. vt locus malli ſub tecto foret. Capitul. lib. 3. cap. 57. lib. 4. cap. 28. in fine. *La Cour de Maubergeau à Poitiers.*

Sagibarones] Viros ætate & ſapientia maturos interpretor, quibus controuerſias definiendi facultas erat, adeò vt nec poſtea ab his Comes ſeu Grafio appellari poſſit, quemadmodum hîc ſtatuitur. Periti ſcilicet legum, quos poſtea *homines legales* dixerunt; quorum & conſuetudinario veteri iure non minima auctoritas in pleriſque cauſis, vt apud Matthæum Paris, & alios paſſim videre eſt. Illud ipſum eſt quod *iudicium ciuium* vocat Gregor. Turonenſ. lib. 7. cap. 47. Dehinc & ex his delecti videntur qui legis Doctores in Adhemari Chronico, ſub Ludouico Balbo, cuius particulam edidit Pithœus, ſub nomine *Fragmenti hiſtoriæ Aquitanicæ*, de Valgrino Aquitaniæ Duce, qui contra Nortmannos Marciliacum caſtrum conſtruxit, ibique miſit *Robertum Giſdebertum legis doctum*, al. peritum; *& amicum ſuum fideliſſimum nomine Ranulfum, fecitque eum Vicecomitem ſuum.* Adreualdus de Miracul. S. Benedicti lib. 1. cap. 25. *Viſum eſt miſſis Dominicis placitum Aurelianis mutare; Venientes igitur ad condictum locum magiſtri & iudices, vtraque ex parte acerrimè decertabant, aderant namque legum Doctores tam ex Aurelianenſi, quàm ex Vuaſtinenſi prouincia* &c. In diplomate Pipini Maioris domus pro S. Dionyſio. *Vbicumque eorum iuſtitiam inuenimus, ſicut prædeceſſores noſtri, ſeu Comites Palatij noſtri, vel reliqui legis Doctores iudicauerunt.* Prima pars huius vocis, *ſagibarones*, ad *ſaiones* accedit, de quibus paſſim Caſſiodorus, leges VViſigotthor. & Concilia Toletana.

Plus quam tres esse non debent] Suprà tit. XLVI. num. 1.

Ante Grafionem] Qui cùm ſeptem iudicat, ſuprà tit. LII. num. 2. Sagibarones verò numero tres.

## TIT. LVII.

Vide ſuprà tit. XVII. de ſepulchro violato.

3. Ponticulus] Mos antiquæ ſepulturæ, de qua, & de poſitione Columbæ, vide Paulum VVarnefridum lib. 5. cap. 34.

4. Super alium] Sic intelligo Sidonium lib. 3. epiſt. 12. *Quid plura, iam niger ceſpes ex viridi, iam ſuprà antiquum ſepulchrum glebæ recentes.* Nec audiendus Sauaro pag. 203. ad verbum *torſi latrones*. tamquam illi ſpoliandi mortuos cauſa ſepulchrum violaſſent, nam vetus erat ſepulchrum aui multo antè mortui. Vide ſis epiſtolam.

5. Expoliauerit] Gregorius Turonenſ. de gloria Confeſſor. cap. 62. Franciſcus Pithœus ad verbum *Corpus iam ſepultum.* & tit. XVII. B. Baſilius, Πρὸς τοὺς πλουτοῦντας pag. 286. τάχα σε οὐδὲ περιστελοῦσιν οἱ οἰκέται τῷ τελευταίῳ κόσμῳ, ἀλλ' ἀφοσιώσονται τὴν ταφὴν, τοῖς κληρονόμοις λοιπὸν προσχαρισάμενοι κατὰ τὴν δύναμιν. ἤ που καὶ καταφιλοσοφήσουσί σου τότε. ἀπειροκαλία φησὶ καλλωπίζειν νεκρὸν, καὶ πολυτελῶς ἐκκομίζειν, τὸν οὐκέτι αἰσθανόμενον.

τί δὲ ὠφέλιμον τοὺς τελευτῶντας κοσμεῖσθαι τῇ πολυτελεῖ καὶ ἐνδόξῳ περιβολῇ, ἢ συγκατασήπειν τῷ νεκρῷ τὰ πολυτίμητα τῆς ἐσθῆτος. τί δὲ μνήματος ἐπισήμου, καὶ ταφῆς πολυτελοῦς, καὶ δαπάνης ἀκερδοῦς ὄφελος. B. Ambroſius de Nabuthe cap. 1. *Eruderato paulò pòſt tumulum, & ſi cognoſcis egentem argue, niſi fortè hoc ſolum quod cum diuite plura pereunt: ſerica veſtes, & auro intexta velamina, quibus diuitis corpus ambitur, damna viuentium, non ſubſidia defunctorum ſunt.* Iunge l. 14. §. 5. de Religioſ. & ſumpt. funer. Vbi de ornamentis. Gregor. Turonenſ. lib. 8. cap. 21. leg. VViſigorth. lib. 11. tit. 2. l. 1. Boiorum tit. 8. c. 4. Vide Sauaronem ad Sidonium pag. 161. Lindembrogium ad Ammianum Marcell. lib. 16. Quintilianum declamat. 373. Paulum Diaconum lib. 4. cap. 49. Sidonius lib. 3. ep. 3. *Nec elutis veſtimenta, nec veſtitis ſepulcra tribuebant, iuſti ſic mortuis talia iuſta ſoluentes*, l. 14. §. 4. D. de Religioſ. l. 29. de in rem verſo. Propriè tamen ad pœnam hîc ſubiectam arrinet l. 3. § 7. de ſepulcro violato. Vide locum, & l. vlt. de auro argenro mundo. Lactanrius lib. 2. cap. 4. Arnobius lib. 5. Mos ille in vulgo obſoletus, in funeribus Epiſcoporum & Preſbyterorum retinetur. Vide Grauamina de Alliaco à P. Aueniorenſibus. Vide Nouell. 19. Leonis ſapientis, Photium Nomocan. rit. 13. cap. 23. tit. 19 cap. 27. l. 2. Cod. Th. de ſepulcro violat. l. 5. Cod. eod. l. 3. 7. 8. Cod Th de indulgentiis criminum. Valentis Nouellam de ſepulct. Concil. Toletan. IV. can. 45. Sauaronem ad Sidon. pag. 111.

VVARGVS] Gloſſæ interlin. Th. *deiectus*. Vide leg. Ribuar. tit. 87.

HOSPITALITATEM] Hoſpitalitâs Francorum: videatur lex Burgund. Ioſeph. lib. 4. cap. vlt. pag. 109. hîc eſt aquæ & ignis interdictio. Sic infrà tit. LIX. *Panem dederit, aut in hoſpitium collegerit.*

## TIT. LIX.

1. QVI EVM ADMALLAT] Suprà tit. LII. n. 1. *Admallatus.* leg. Ribuar. rit. 32. 3. *Conturare debet quòd eum ad ſtrudem legitimam admallatum habet*, in edit. Til. rit eſt 34. num. 4. pag. 19. Marculfus lib. 1. cap. 21. *Admallandum proſequendúmque.* Notæ ibidem. leg. Ribuar. tit. 52. num. 3. pag 54. & rit. 53. n. 1. edit. Til.

ETIAMSI VXOR EIVS PROPRIA SIT] Vxor recipiens maritum punitur.

## TIT. LX.

1. ERGO VOS TANGANO &c.] *Dény de Iuſtice*, vt ſuprà de Grafione tit. LII. Vide Præfationem leg. Burgund. P. P. MS.

CAVSATOREM] Gregor. Turonenſ. lib. 10. cap. 9. *Cauſaturus acceſſit.* lib. 9. cap. 3. *Exponens cauſas.* lib. 10. cap. 4. *Cauſatus cum*

*ſocio.* Decretio Chideberti R. infrà num. 12. *Cauſator centenarium cum centena requirat.*

## TIT. LXI.

De chrenecrvda] De ceſſione bonorum.

1. Nec svbtvs terram] Theſaurum, aut quid aliud denotat.

De terra illa in pvgno svo colligat] Vide leg. Alaman. tit. 84. *Tollat de ipſa terra, quod Alamanni Curffodi* (aliàs Zurb) *dicunt.* Videantur vett. formulæ, cap. 19. & notæ pag. 343. Mos Germanicus, de quo Plinium accipio lib. 22. cap. 4. Sed & apud Romanos quid non diſſimile obſeruabatur, de Ceſpite, &c.

Vltra svas scapvlas iactare] Quaſi pro derelicto habeat, verè enim relinquimus ea quibus oculos & anticam corporis partem retrahimus, & poſteriora tantùm oſtendimus, 3. Regum cap. 14. *Proiicere poſt corpus ſuum.*

Camisia] Eginhartus, *ad corpus camiſiam lineam, & feminalibus lineis induebatur.* Additio Capitul. Ludouici I. cap. 22. *Alioquin hoc omnino prouideat vt camiſas duas, & tunicas duas, & cucullas duas, & cappas duas vnuſquiſque monachorum habeat.* Victor Vticenſ. lib. 1. *De palliis altaris, prò nefas, camiſias ſibi & femoralia faciebat.* Beda in Martyrologio xviii. Kal. Ianuar. *De ipſis palliis altaris camiſias ſibi & femoralia faciebat.* Quæ ſumpſit ex Victore proculdubio. Hieronymus epiſt. ad Fabiolam de veſte Sacerdotali: *Solent*, inquit, *militantes habere lineas quas camiſias vocant, ſic aptas membris ſuis, & aſtrictas corporibus*, &c.

Discincrvs] Hodie quoque bonis cedentes zonam ſoluunt, & zonam abiicere, pro bonis cedere vulgò apud nos vſurpatur. Porro hîc agitur de ceſſione bonorum.

Discalciatvs] Vide de Calceis lib. Ruth. Calceus in ſcripturis nota dominationis. Pſalm. *Extendam calceamentum meum ſuper Idumaam.* Ad calceamentum pertinet, neſcio an hûc faciat, quod ſcribit Gregor. Turonenſ. in vita B. Leobardi, & B. Venantij, priſco Galliæ ritu vſitatum eſſe vt annulus porrigeretur ſponſæ, vnáque oſculum & calceamentum. de calceis Plutarchus in Theſeo. diſcute.

Diger est] Regius Cod. 2. *dederit*; atqui nil dedit cùm bonis cedat, niſi legas *dediſſet*, aut illi ſcripſiſſent *dederit*, pro *dediſſet*, cùm certum ſit ſatis malæ, ne dicam peſſimæ latinitatis auctores eſſe. Legerem *indigens eſt.* Vid.

Per compositionem] Alibi in eadem lege, *Per compoſitionem ſe educere.* infrà tit. lxvi. num. 1. & 2. *Compoſitionem quam infra patriam facere debuit.* Leg. Longobard. lib. 1. tit. 2. l. 10. *de compoſitionibus qua ad Palatium pertinent.*

## TIT. LXII.

DE ALODE ] Alode Auiatica hereditas dicitur in leg. Ribuar. tit. 56. aliàs 58. p. 31. edit. Til. in fin. tit. Vide Decretionem Childeberti R. infrà num. 1. Auiaticum in conſtitutione Conradi, in legib. Longobard. lib. 3. tit. 8. l. 4. Nepos eſt, non hereditas; quamquam ibi malè accepiſſe videatur Lindembrogius pag. 1360. de Alode. Vide notas ad Marculfum & vet. formulas pag. 251. 252. 272. 233. vbi plura. leg. Baiuuar. tit. 2. cap. 1. n. 4. (in Lindemb. edit. 3.) edit. Til. pag. 31. leg. Baiuuar. tit. 17. cap. 2. (ſic Lindembr.) Til. 3. pag. 105. leg. Ribuar. tit. 56. (ſic Lindembr.) Tilio 58. pag. 30. Vide item leg. Anglionum tit. 6. pag. 483. vbi de excluſione feminarum agitur. Et alia capita omnino cum huius Tituli capitibus componenda. Capitul. lib. 1. cap. 132. *Ex beneficio ſuam familiam nutricare faciat, & de ſua proprietate propriam familiam nutriat.* Mox. *Si in beneficio aut in Alode annonam habeat,* &c. lib. 3. cap. 20. & cap. 81. *Quomodo eadem beneficia conducta ſint, aut quis de beneficio ſuo Alodem comparauit, vel ſtruxit.* Capitul. Caroli Calui cap. 6. pag 331.

6. SED AD VIRILEM SEXVM ]. *Dum extiterit*, leg. Ribuar. tit. 58. Idem apud Athenienſes ſancitum. Κρατεῖν δὲ τοὺς ἄῤῥενας, καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων, ἐὰν ἐκ τῶν αὐτῶν ὦσι, καὶ ἐὰν γένει ἀπωτέρω. Demoſthenes in Oratione πρὸς Μακάρτατον. Vbi illud quoque obſeruare eſt, ſeparationem quodammodo paternorum bonorum fieri: ideo idem Demoſthenes in oratione πρὸς Λεωχάρην. Ἓν μὲν οὖν ὁμολογεῖται, τὸ κρατεῖν τῆς κληρονομίας τοὺς ἄῤῥενας, καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων. ἁπλῶς γὰρ τοῖς ἐγγυτάτω πρὸς ἀνδρῶν, ὅταν μὴ παῖδες ὦσιν, ὁ νόμος τὰς κληρονομίας ἀποδίδωσιν. Quod ſcilicet perpetuò obtinebat cùm de legitimis hereditatibus agebatur. Lex verò Salica etiam in paterna hereditate. Idque olim apud Armenios obſeruatum Iuſtinianus ſuſtulit Nouell. 21. Sic Ribuarij leg. Ribuar. tit. 58. Sic Saxones leg. Saxon. tit. 39. Sic Angli vetuſti, leg. Angliorum tit. 6. Sic olim Hebræi, vnde refertur Iobum cauiſſe teſtamento vt filiæ cum fratribus portionem ferrent. Iob. cap. vlt. Vide Marculfum lib. 2. cap. 12. Inſtitut. tit. de legitima agnator. ſucceſſ. §. cæterum. *Vt plerumque hereditates ad maſculos confluerent.* Videndus Philo de vita Moſis pag. 468. διά τι ταῖς κληρονομίαις ἄῤῥεσι δίδωσι. & pag. 469.

## TIT. LXIII.

DE PARENTILLA TOLLERE VVLT ] De modo eiurandæ cognationis.

TOLLERE VVLT ] Propter onera inimicitiarum, vindicandæ mortis,

Digitized by Google

& iuramenti: vt hereditas proximos, ſic permulta onera ſequuntur. Onera proximorum apud Athenienſes, quæ mercede quadam hereditatis rependebantur. Vide Demoſthenem in oratione πρὸς Μακάρτατον.

1. PARENTILLA ] Iornand. de regnorum ſucceſſione pag. 11. *parentela coniuncti*. Vide ſuprà tit. 46. num. 10.

## TIT. LXIV.

DE CHAROCNA ] Vet. Cod. Th. *charoena*. Sic Cod. Expilij.

1. PER VIM ] Cod. Expilij, *Per virtutem*.

## TIT. LXV.

DE COMPOSITIONE HOMICIDII ] Tacitus de Germanis. *Luitur homicidium certo armentorum aut pecorum numero*. Vide leg. Scotorum, in lib. *Regiam maieſtatem*. huc reſpicere videtur Salomon Prouerb. 6. ℣. 35. *Nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima*. Sic apud Afros. Leo African. Part. 2.

## TIT. LXVII.

1. STRIÆ ] Hincmar. de diuortio Hlotarij & Tetbergæ ad 15. interrogat. *Quidam veſtibus carminatis induebantur, vel cooperiebantur; alij autem cibo à Sortiariis dementati, alij verò tantùm carminibus à ſtrigis faſcinati, & quaſi enerues effecti reperti ſunt; quidam autem à lamiis ſiue genichialibus feminis debilitati*, &c.

## TIT. LXVIII.

CABALLO EXCORTICATO ] MS. Expil. *decotato*. apud nos viliſſimi qui equorum morticinia decoriant, & ferè inteſtabiles.

1. CABALLVM ALIENVM ] An viuum, an mortuum? puto mortuum, quia corium domini eſt.

DECORTICAVERIT ] Decorticare ſuprà tit. 29. num. 10. *eſcorcher*. in Cod. MS. Leſcurij & Expilij, *decotauerit*, id eſt caudam abſtulerit, & deturpauerit.

2. SI VERO NEGAVERIT ] Infitiatione lis creſcit, vt in lege Aquilia.

## TIT. LXIX.

1. DE RAMO ] Mos Germanicus, Tacitus Annal. 1. p. 31. *Truncis arborum antefixa ora*. Gregor. Turonenſ. lib. 9. cap. 19.

3. SI QVIS CAPVT HOMINIS ] Vetuſtiſſima Gallorum hæc obſer-

obſeruatio, auctore Poſidonio, quámque à Romanis vetitam, vt docet Strabo, Franci rurſum intulerunt. Strabo lib. 4. Πρόσεστι δὲ τῇ διανοίᾳ (aliàs τῇ ἀνοίᾳ) καὶ τὸ βάρβαρον, καὶ τὸ ἔκφυλον, ὃ τοῖς προσβορείοις ἔθνεσι παρακολουθεῖ πλεῖστον, τὸ ἀπὸ τῆς μάχης ἀπιόντας, τὰς κεφαλὰς τῶν πολεμίων ἐξάπτειν ἐκ τῶν αὐχένων τῶν ἵππων, κομίσαντας δὲ προσπατταλεύειν τὴν θέαν τοῖς προπυλαίοις. φησὶ γοῦν Ποσειδώνιος αὐτὸς ἰδεῖν ταύτην πολλαχοῦ, καὶ τὸ μὲν πρῶτον ἀηδίζεσθαι, μετὰ δὲ ταῦτα φέρειν πρᾴως διὰ τὴν συνήθειαν. Apollonij Tyrij hiſtoria, apud Photium. *Decollabatur, & caput eius ad faſtigia porta ſuſpendebatur.* Venationum certè notas, & ferarum captarum capita nobilium valuis affigi hodieque mos eſt, ex illo veteri, & immani, vt veriſimile eſt, deſcendens. Manilius lib. 4.

> *Habet hoc ſtudium, poſtes ornare ſuperbos*
> *Pellibus, & captas domibus præfigere prædas,*
> *Et pacare metu ſyluas, & viuere rapto.*

INIMICVS SVVS] Franc. Pithœus de eo qui in duello vicit interpretatur, ſed pace eius dictum ſit, non ita accipiendus hic locus; ſed de inimico & faidoſo, vt tum loquebantur, licebat enim priuatas inimicitias armis perſequi, & inimicos qui aliquem ex agnatione ſua occiderant aut malè mulctare, aut impunè occidere.

IN PALO MISERIT] Vide Gregor. Turonenſ. lib. 9. cap. 19.

## TIT. LXX.

DE repudiis, ſeu de ſponſalium diſſolutione. leg. Alaman. tit. 55. *Componat eam quod deſponſauit & dimiſit, cum* XL. *ſolidis. Et cum* XII. *ſacramentalibus iuret, cum quinque nominatis & ſeptem aduocatis, vt pro nullo vitio, nec tentatam eam habuiſſet, nec vitium in illa inueniſſet; ſed amor de alia eum adduxit, vt illam dimiſiſſet, & aliam habuit vxorem.* Nec diſſimile quod veteri iure Romano obſeruabatur. Seruius Sulpitius lib. de dotibus, apud Gellium lib. 4. cap. 4. *Qui vxorem ducturus erat, ab eo vnde ducenda erat ſtipulabatur eam in matrimonium ductum iri: qui daturus erat itidem ſpondebat. Is contractus ſtipulationum ſponſionúmque dicebatur ſponſalia. Tunc quæ promiſſa erat ſponſa appellabatur, qui ſpoponderat ducturum ſponſus. Sed ſi poſt eas ſtipulationes vxor non dabatur, aut non ducebatur, qui ſtipulabatur ex ſponſu agebat, iudices cognoſcebant. Iudex quamobrem data acceptave non eſſet vxor, quærebat. Si nihil iuſta cauſa videbatur, litem pecunia æſtimabat, quantique interfuerat eam vxorem accipi aut dari, eum qui ſpoponderat aut qui ſtipulatus erat, condemnabat.* Quod obſeruatum ſcribit ad id tempus quo ciuitas vniuerſo Latio lege Iulia data eſt. eadem & Neratius de nuptiis. Vide Ariſtotelem Politic. lib. 5. cap. 4. L. 1. Cod. de ſponſal. l. 2. Cod. de repud. l. 2. D. de diuort.



Digitized by Google

## TIT. LXXI.

EXTAT hic titulus num. xcviii. in Cod. Reg. 2. & φφ. 2. quem ab omnibus abeſſe ſcribit Pithœus. Huc facit Speculum Saxonicum lib. 3. art. 1. *Ædificia prediorum ſeu villarum propter nullam aliam iniuriam ſuccidi, ſeu ad terram proſterni debent, niſi in ipſis fuerint virgines aut mulieres violenter oppreſſæ, aut poſt factum introducta; tunc enim domus illa per ius condemnantur, ſi non, vt iuris eſt, excuſentur. Poſtquam condemnata iam fuerint ædificia eiuſmodi, ſi reus poſtmodum abſoluitur ab actione, deſtructa iam ædificia non exſoluentur, quia ea à reatu non excuſauit cùm iure fuerant excuſanda.* Verùm cùm eiuſmodi condemnatio iure fiat, & Romanis quoque legibus in crimine maieſtatis non ſit ignora, palam eſt non de hac condemnatione legem Salicam hîc agere, ſed illud quale ſit mihi incompertum eſſe ingenuè profiteor. Suſpicor tale quid hîc deſignari, quod in Arabia ſolitum fieri, & σκοπελισμὸν appellari ſcribit Vlpianus l. 9. de extraordinar. criminibus. Fortaſſe & ad terminos effoſſos, limites exaratos, arbores terminales euulſas referri poteſt. de qua re Edictum Theoderici R. cap. 104. Fortaſſe & ad clauſum agri aditum; qua figura & condemnare portam, pro obſtruere & occludere vulgò dicimus. ſed hoc diuinare eſt.

1. CONDEMNAVERIT] Formul. vet. Lindembrog. 38. pag. 1235. *Vt nullus ex vobis iam dictum abbatem, vel ipſum monaſterium, nec homines, nec res ſuas quas ad præſens habere videtur, vel in antea Chriſto propitio à bonis hominibus ibidem conlatum fuerit, nullus inquietare, nec condemnare, vel aliquid de rebus ſuis minuere omnino præſumat.* Sed ibi de iudicibus loquitur. Putarem condemnare eſſe damnum dare, *endommager la terre d'autruy.* Sic in leg. Burgund. tit. 48. num. 3. *Ceterum ſi aut brachium cuiuſcumque, aut tibia ſupradicto ordine fracta, & euidenti fuerint debilitate damnata.*

---

## *DECRETIO CHILDEBERTI R.*

1. CVM NOSTRIS OPTIMATIBVS] De his nonnulla ad Marculf. lib. 1. cap. 25. adnotauimus. Olympiodorus apud Photium, τῶν μετὰ Ῥοδογαίσου Γότθων οἱ κεφαλιῶται ὀπτιμάτοι ἐκαλοῦντο, εἰς δώδεκα συντείνοντες χιλιάδας.

2. ATTINIACO] Locus eſt durante ſecunda Regum noſtrorum dynaſtia percelebris, palatium quippe fuit in quo plerique conuentus habiti. Vita Ludouici Pij. *Dominus Rex conuentum generalem coïre iuſſit in loco cui vocabulum eſt Attiniacus*, &c. Ibidem indictum placitum à Lothario, apud Nithardum lib. 2. Rodulfus quoque Rex

Franciæ, inquit Frodoardus ad an. DCCCCXXIV. placitum tenuit apud Attiniacum; ac tandem cum Carolo Rege fœdere Remis inito, Attiniacum reddidit an. DCCCCXXIX. vicus eſt in vltimis Rhemorum finibus cis Moſam ſitus, qui antiquum nomen hodie retinet *Attigny*. Hîc verò omnia quotquot vidi exemplaria, Reg. Oiſel. c. 2. non *Attiniaco*, ſed *Antoraco* habent, quod etiam editio Tillij nominatim exhibet. Eſt autem *Antonacum* oppidum ad Rheni fluenta Romanis notiſſimum, cuius meminit Itinerarium Æthici, quod vulgò Antonino adſcribitur. Notitia Imperij Occidentalis ſub diſpoſitione Ducis Moguntiacenſis; Præfectum militum Acintenſium Antonam locat. Quod etiam Alemannis à Iuliano ereptum, munitionibus deinde inſtructum, & mœnibus reparatis ornatum fuiſſe narrat Ammianus Marcellin. lib. 18. Regum tandem Francorum Palatium fuit, & ſedes eorum qui Vueſtriæ Auſtraſiæ, ſeu Franciæ Orientali imperarent. Fortunatus lib. 10. carm. 12.

*Antonacenſis caſtelli promptus ad arces*
*Inde propè accedens, ſarcina pergo ratis.*

Mox,

*Denique dum præſunt Reges in ſedibus aulæ,*
*Ac menſæ officio prandia feſta colunt.*
*Retibus inſpicitur quo ſalmo faſce leuatur,*
*Et numerat piſces, cùm ſit in arce ſedens.* & cætera quæ ſequuntur. Quibus verbis eleganter publici conuentus, ſolemnibus diebus à Regibus noſtris haberi ſoliti, deſcribuntur. Calendis Martij vtplurimum primæ familiæ Reges conueniebant. feſtis poſtea diebus Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes celebrari placita moris erat. Qua occaſione lubet hîc aſcribere Roberti R. diploma B. Dionyſij Monachis conceſſum, *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Robertus diuina ordinante clementia Rex Francorum, ſemper Auguſtus,* &c. *Curtem itaque noſtram cùm in ipſo caſtello haberemus, vt nos ab inquietudine ipſius Eccleſiæ & fratrum ibi Domino famulantium longè faceremus: Deo & glorioſo protectori noſtro S. Dionyſio ex conſultu Archiep. & Epiſcop. quorum nomina ſubterſignauimus, & optimatum Francorum, placuit ſerenitati noſtræ ab hodie & deinceps remittere vt ſolemnem curiam, hoc eſt in Natale Domini, in Theophania, in Paſcha & in Pentecoſte, neque nos neque ſucceſſores noſtri in ipſo Caſtello vlterius vllo modo præſumamus celebrare. Data* VIII. *Kl. Februar. Indict.* II. *anno* I. *regnante Roberto Rege glorioſo.* Vnde & iudiciarij conuentus (Parlamenta vocabant) quater in anno, in Natali Domini, in Purificatione, Paſcha & Pentecoſte, haberi ſoliti. Sed vt ad Antonacum reuertamur, Caſtellum eſt ad Rhenum non longè à confluentibus, Coloniæ paret, *Andernach* vulgò vocant; quæ vox cùm non longè ab *Antonaco* abſit, proximior eſt *Anternaco.* Sic enim illud ipſum caſtrum, de quo ſermo eſt, Annales Fuldenſes vo-

cant ſub an. DCCCLXXVI. *Hludouicus* (Germaniæ Rex) *quadam nocte ſe ſubtraxit de caſtris, & Rheno flumine tranſito in caſtello Anternaco cum ſuis conſedit.*

AVIATICAS RES] Alode, ſuprà tit. LXII.

3. PER PRÆDICATIONEM EPISCOPORVM IVSSIMVS EMENDARI] Sic Synodi Aurelianenſ. III. c. x. *Illud etiam adiiciendum eſſe credidimus, vt in Epiſcopi diſcuſſione conſiſtat, de his qui in ciuitate ſua & territorio conſiſtunt, & tali ſunt ordine ſociati, vtrum ignoranter ad illicita coniugia venerint, an per contumaciam quæ ſunt interdicta præſumpſerint,* &c.

EXCOMMVNICATVS FVERIT] Synodi Aurelianenſ. III. anno 26. regni eiuſdem Childeberti, c. x. *Non priùs ad communionem recipiantur quàm inceſti adulterium ſeparatione ſanauerint.* Synodi Turonicæ II. c. XXI. *Quamdiu in tanto verſatur ſcelere à Chriſtiano cœtu atque conuiuio & Eccleſiæ communione priuabitur.* Itaque cùm Charibertus Rex vxoris ſuæ ſororem connubio iunxiſſet, à B. Germano Pariſienſi Epiſcopo communione priuatus eſt cum vxore. Gregor. Turonenſ. lib. 4 cap. 26. id impunè antè fecerat Chlotarius Rex. Idem Gregorius lib. 3. cap. 6. De anathemate, vide Lindembrog. pag. 1353. S. Ioh. Chryſoſt. δεῖ τῷ μὴ δεῖν ἀναθεματίζειν ζῶντας ἢ τεθνεῶτας. ibid.

ET INSVPER DE PALATIO NOSTRO SIT OMNINO EXTRANEVS] Excommunicationis effectus ad temporalia.

4. TRICENARIA LEX] Theodoſij iunioris. Valentinianus Nouell. lib. 2. tit. 8. *Humano generi profunda quiete proſpexit.* & tit. 12. vbi Anianus. Procopius de bello VVandalico lib. 1. pag. 94. νόμου δὲ ὄντος Ῥωμαίοις, ἢν τινες οὐχ ὑπὸ τῆς οἰκείας χερσὶ τὰ σφίσιν αὐτῶν ἔχοιεν, καὶ τρίβοιτο χρόνος εἰς τριάκοντα ἐνιαυτοὺς ἥκων, τούτοις δὲ οὐκέτι ἐξεῖναι κυρίοις ἐπὶ τοὺς βιασαμένους ἰέναι, ἀλλ᾽ ἐς παραγραφὴν αὐτοῖς ἀποκεκλεῖσθαι τὴν ἐς τὸ δικαστήριον εἴσοδον, νόμον ἔγραψεν ὅπως ὁ τῶν Βανδίλων χρόνος, ὃν ἐν γῇ τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ διατρίβουσιν, ἐς ταύτην δὴ τὴν τριακοντοῦτιν παραγραφὴν ἥκιστα φέρηται. Edictum Theoderici R. c. LXIX. *Tricennalis legis ſaluberrimum conſtitutum.* Leg. VViſigothor. lib. 10. tit. 2. l. 3. & l. 4. *Tricennalis ergo tranſcurſio temporum cùm iam ſic conſtanter inoleuerit in negotiis actionum, vt non iam quaſi ex inſtructione humana, ſed veluti ex ipſa rerum proceſſiſſe natura videatur.* Conſtitutio Chlotarij MS. Vide Synodum Aurelian. III. c. XII. vbi tricenaria tempora Eccleſiæ quoque obſtare ſcribitur. Id poſtea immutatum, & XL. annorum præſcriptione contra eam opus eſt. Vide Cod. de triginta vel XL. ann. præſcript.

7. BANNIVIMVS] Vide notas ad Marculf. pag. 306. & 307. & Lindembrog. pag. 1362.

## PACTVM PRO TENORE PACIS dominorum Childeberti & Clotharij Regum.

4. AD ÆNEVM PROVOCAVERIT] Vide ſuprà leg. Salic. tit. LV.

6. INVOLAVERIT] Noſtris *voler*, Optatus lib. 4. *De inuolato gremio.* Et infrà, *Poſſeſſio Dei eſt turba fidelium, ex quo cottidie fur Diabolus cupit aliquid inuolare.* Iuuat ſic recenſere plurium vocum noſtrarum origines, quas Barbaras aut nouitias plerique exiſtimant. Vet. Gloſſar. κλέπτω *furor, inuolo.* Hygenus fab. 201.

CCC. ICTVS ACCIPIAT FLAGELLORVM] Vide ſuprà ad tit. leg. Sal. XIII. flagella porro aliud ab ictibus in l. 2. Cod. Th. de curſu publico. Vide Philonem contra Flaccum pag. 998.

## DECRETIO CLOTHARII REGIS.

HÆc conſtitutio pars ſuperioris eſſe videtur, pacti ſcilicet inter Childebertum & Clothatium initi; tum quòd pactum illud quod antecedit fine congruenti & epilogo careat; tum quia pacis fœdus dicitur, neque tamen vlla pacis mentio, de qua in fine huiuſce conſtitutionis agitur verſ. 15. vt ex MS. ſuppleuimus, & verſic. 17. itaque cum præcedenti coniungi debet.

1. CONLVDIO] Marcell. lib. 18. & 30. Symmach. lib. 1. ep. 5. lib. 3. ep. 20. & 50. lib. 4. ep. 36. Maioriani Nouella de Epiſcopali iudicio. Edictum Theoderici cap. 114. Decretio Childeberti ſuprà cap. 7. leg. Baiuuar. tit. 8. cap. 6. l. 11. Cod. de Iuriſdict. Gloſſæ, *Conludium.* συνδυασμὸς, aliæ, *compactum, colluſio.*

2. VESTIGIVM COMPROBATVR LATRONIS] Infrà verſ. 16. *Si quis ad veſtigium minandum.* Vide leg. Salic. tit. 39.

3. TRVSTIS ADQVIRAT] Quid Truſtis hîc.

8. AD PLEBEIVM] Io. *aneum*, ſeu *inium*, vt in MS. nam de ſortibus hîc agitur & purgationibus.

13. ATRIO ECCLESIÆ] Vide Concil. Toler XII. c. 10. can. diffiniuit 35. cauſ. 17. qu. 4. Iuon. part. III. c. 121. Capitular. lib. 1. cap 140. lib. 4. cap. 13. 28. lib. 5. cap. 90. 91. Vide titul. in vtroque Cod. de his qui ad Eccleſias confug. Sozomenum lib. 5. de Stilicone. Homiliam S. Chryſoſtomi de Sacerdotio pag. 549. Leo Marſican. lib. 3. cap. 26. *Atrium ante Eccleſiam, quod nos Romana conſuetudine paradiſum dicimus.* Vide notas Lind. ad Pauli Diac. hiſtor. Longob.

Qvibvs atria clavsa non svnt ] Concil. Tolet. XIV. triginta paſſus tribuit. vidi conſtitutionem Honorij MS. vbi L. paſſus tribuuntur.

Arpennis ] Vide notas ad veteres Formul. pag. 349. Agrimenſores pag 297. Pontanum Origin. lib. 6. pag. 579. Gregorius Turonenſ. lib. 1. cap. 6. *Vnum ſtadium habet aripennes quinque.* Leg. Baiuuar. tit. 1. cap. 14. num. 2. vbi dicitur arpentum, leg. VViſigoth. lib. 8. tit. 4. l. 25. & lib. 4 tit. 1. l. 24.

15. Contentio excvsatvr &c. ] Vetus codex MS. ita habet.

*Leg.* Omnium rerum excuſatus reddatur fugitiuus, aut inde pretium domino reformetur.

Omnium rerum excuſatio reddatur futurum, aut ſi de pretium domino reformetur.

De fiſcalibus vt contra dominum cenſuimus pro tenore pacis iubemus, vt in truſte [1] electi [2] centenarij ponantur, [3] pro quorum [4] fide atque [5] ſollicitudine pax prædicta ſeruetur. [6] Et quia propitiante Domino inter nos germanitatis charitas indiſrupto vinculo cuſtodiatur, centenarij inter communes prouincias licentiam habeant latrones perſequi, vel veſtigia aſſignata minare, & in truſte qua [7] defecerit, ſicut dictum eſt, cauſa remaneat. Ita vt continuò capitale ei qui perdiderit reformare [8] feſtinet, & latronem [9] perquirat, quem ſi in truſte [10] perinuenerit medietatem ſibi vindicat, &c.

1 electorum
2 centenariorum
3 per
4 fidem
5 ſollicitudinem
6 *id.* Et quo inantea
7 defecerint,
8 feſtinent,
9 perquirant,
10 perinuenerint.

vt ſuprà cap. 12. quod eiuſdem Codicis authoritate, traiectum inde auferri, & hîc legi debet.

Omnivm rervm excvsatvs reddatvr ] Videatur Synod. Aurelian. I. c. 3. 4. & 5. Variar. Formular. cap. 22. & notæ.

---

## *HÆC SVNT CAPITVLA QVÆ gloriosiſſimus Karolus in lege Salica mittere præcepit.*

IN Rem. Cod. *Capitula quæ in lege Salica Domnus Auguſtus Karolus anno Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti* DCCCIII. *Imperij verò ſui anno* III, *addere iuſſit.*

FINIS.

Digitized by Google

# INDEX RERVM ET VERBORVM,

## Quæ in notis C. V. Hieronymi Bignonii continentur, & explicantur.


A

Acceptor. 146
Accipiter. ibid.
Adfatimus. 167
Adfatimire. ibid.
Adiactiuus. 169
Admallare. 168. 173
Admonitiones. 169
Adpretiatus. ibid.
Adrhamire. 163 168
Adulterare. 148
Adulterium cum ancilla. 156
Ædificia condemnata. 178
Æneum. 170. 181
Afatomiæ. 167
Alode. 175
*Ambacht.* 142
Ambaſcia. ibid.
Ambaſiator. ibid.
Amtruſtio. 165
Ancilla aliena. 157
Ancilla Regis. ibid.
*Andagar.* 163
Aneta. 146
*Anethapich.* ibid.
*Andernach.* 179
Anternacum. ibid.
Antonacum. ibid.
Annona. 155
Annos per hyemes Angloſaxones numerabant. 165. Baiuuarij per autumnos. ibid.
Apiaria. 146
Apium vas. ibid.
Aquila. ibid.
Arbor inſerta. 158
Arbor ſignata. ibid.
Armentum & grex confunduntur. 144
Arpennis. 182
Arpentum. ibid.
*Arrer.* 163
*Aſcon.* 155
Aſcus. ibid.
Aſtores. 146
Aſtorgius. ibid.
Aſtures. ibid.
Atrium Eccleſiæ. 181. 182
Attiniacum. 178. 179
*Attigny.* 179
Απόκιον. 154
Auiaticæ res. 180
*Autour.* 146

B

Bervices. 144
Bonis cedentes zonam ſoluunt. 174
Bonorum ceſſio. ibid.
Burgundiones. 142

C

CABALLVM excorticare. 176
excotare. *ibid.*
Caballus ſpadatus. 163
Cæſariem longam geſtabant Reges Francorum. 155
Calceamentum. 174
Calceus nota dominationis. 174
Calumniator. 153
Camiſia. 174
Canis acceptoritius. 146
Argutarius. 145
Cuſtos domus. *ibid.*
Ductor. *ibid.*
Gallicus. *ibid.*
Leporarius. *ibid.*
Ligatus. *ibid.*
Magiſter. *ibid.*
Paſtoralis. *ibid.*
Porcarius. *ibid.*
Seguſius. *ibid.*
Seuſius. *ibid.*
Venatitius. *ibid.*
Capillati Alpium populi. 155
Capillatus. *ibid.*
Capilli apud quaſdam gentes probro. *ibid.*
Capillorum cura. 156
Capillum Franci curabant vt diſtinguerentur à Romanis ſubditis. *ibid.*
Capita hoſtium cæſorum Galli portis affigebant. 177
Capita ferarum captarum nobilium valuis affixa. *ibid.*
Capitale. 143. 152
Carbonaria. 168
Caſtratio. 157
Caſtratio pœna ſeruorum in furto & homicidio. 157. 164
Cauſa. 147
Cauſator. 173
Cenitus. 159
Ceruus. 161. 162
Ceruus domeſticus. 161
Manſuefactus. 161. 162
Signum habens. 161
Chrenecruda. 174
*Clameur conchie.* 169
Clauſura. 147
Clerici vi ordinati. 156
*Clos.* 147
*Cloſture.* ibid.
Colaphus. 152
Colpus. *ibid.*
Comes. 169
*Commenſal.* 166
Compoſitio. 174
Concædes. 152
Concagatus. 159
Conciſa. 152
Condemnare. 178
Coniunctio cum fratris filia. 151
Conludium. 181
Conuentus publici à Regibus Francorum habiti. 179
Conuiua Regis. 166
Conuiuium. 166. 167
Contubernium. 166
Corium ſuum redimere. 149
Corpus ſepultum expoliare. 172. 173
*Cour de Maubergeau.* 171
*Courir ſus.* 151
Crinitus. 155
Crinoſus. *ibid.*
Cultellus. 158
*Curſſodi.* 174

D

DECALVATIO. 156
Decorticare. 176
Decotare. *ibid.*
Defendere. 147
Delator. 160
Delatorum pœna. 160. 161

*Deny*

*Dény de Iuſtice.* 173
Diger. 174
Dilatura. 143
Diſcalciatus. 174
pro Dorſo ſuo. 149
*Doublement & tiercement.* 169
*Drouu.* 149
Druchte. *ibid.*
Ducale. 143
Ducator. *ibid.*

E

EIN *ſcuz buntd.* 147
Epiſcopi ſæpe inconſultis parentibus iuuenibus comam tondebant. 156
*Eſcrenes.* 149
*Eſquil.* 158
Exactores Regij. 169
Examen aquæ feruentis. 170
Excommunicationis effectus ad temporalia. 180
Excorticare. 176
Excotare. 176
Expoliare. 151

F

F*aillir.* 152
Falco. 146
Fallire. 152
*En formariage le pire emporte le bon.* 150
Flagella. 181
Franci duabus legibus vtebantur. 142
Franci fortitudinem præcipuam virtutem habuerunt. 150
Fringillarius. 146
Fuga apud Francos magnum decus. 160
Furauerit. 143
Furtum de ſude grauius punitur. *ibid.*
Fuſtuarium ſupplicium. 164

G

GASACHIVS. 170
Graſio. 169. 172
Gregatim ſues paſcuntur. 144
Grex. *ibid.*

H

HARA. 143
Herbas miſcere. 154
*Herce.* 162
Homicidij compoſitio. 176
Homines legales. 172
*Hord.* 159
Hoſpitalitas. 173
Hranne. 143
*Hundr.* 145

I

IACTARE, pro iacere. 154
*Ietter du ſort.* 154
Ictus accipiat. 149. 164. 181
Igniti vomeres. 171
Implicare in ſeruitium. 150
Inceſti coniugij Rei per prædicationem Epiſcoporum emendati. 180. Excommunicati. *ibid.*
de Inceſtis nuptiis lege Salica nil cautum. 150
Inficiatione lis creſcit lege Salica. 176
Ingenuum dimittere. 148
Ingenuus. 148. 155
Interdictio aquæ & ignis. 173
Intertiare. 167
Inuolare. 181
Iudex fiſcalis. 169
Iudicium aquæ frigidæ. 170
Iudicium ciuium. 172

L

LABOR. 148
Latrones inſequi in ſua vicinia. 161

Lege Salica maior pœna afficitur Romanum quàm aduerſus Francum. 151
*Leithen.* 145
Leporem aliquem vocare apud Francos magnum conuicium. 160
Lepus Carolus Caluus vocatus. *ib.*
Lex Salica ſcripta cùm adhuc Paludicolæ eſſent Franci. 154
Liberi aliquando pro furto patibulo condemnati. 148
Libertum dimittere. 157
Ligare hominem ingenuum. 161.
furem. *ibid.*
Ligaturæ. 154
*Limier.* 145
Litus. 149
*Loithibuntd.* 145
Longobardi. 142

M

Magia ex Medicina nata. 154
Maleficium. 153
Maleficium ſuperiactare. 154
Malli ſub tecto. 171
Mallobergium. *ibid.*
Mancipiorũ varium precium. 148
Mancipiorum communis æſtimatio. *ibid.*
Mannire. 142
Manumiſſio per denarium. 157
Minare. 147
Mittere pro ponere. 154
Morruum ſuper alium ponere. 172
Mulier in terra Salica non ſuccedit. 175
Muſica etiam brutis imperat. 158

N

Napina. 158
*Naſcon.* 155
Noctes ſeptem. 165
Noſſo. 152
Nola. 161

O

Optimates. 178

P

Pallium fit ex lana agnorum S. Petri. 143
in Pallum mittere. 177
Parens. 152
Parentilla. 167. 176
de Parentilla ſe tollere. 175. 176
Parlamenta. 179
Placita ſeu Parlamenta olim quater in anno habita. *ibid.*
Pœna maior in furto rei intra clauem ſeruatæ. 146
Poledrus. 164
Ponticulus. 172
Poſſeſſio. 162
Poſſeſſor. 162
*Poutre.* 164
Præſtare. 170
Pretiatus. 169
*Pulledro.* 164
Purgationum varia genera. 170. 171

R

Racimbvrgi. 169
*Refus de faire iuſtice.* ibid.
*Reborte.* 162
Repudium. 177
Res præſtata. 170
Retorta. 162
*Riterta.* ibid.
Romanus lege Salica maiore pœna punitur quàm Francus. 151. 161.
aliud lege Ribuaria. 161

S

SACRIVVS. 143
Sagitta toxicata. 152
Sagittis venenatis Galli olim vſi in venatu. ibid.
Sagibarones. 171. 172
Saiones. 171
*Salech.* 146
Salica lex. 141. 142
Salicen oppidum. 142
Salij. 141. 142
Sanguinem ſuum redimere. 149
Scamnum. 165
ſuper Scamnum tendi. ibid.
*Schuynhuntd.* 145
Scluſa. 155
Screona. 149
Screuna. ibid.
Scroua ducaria. 143
Serui pro furto aut homicidio patibulo condemnati. 148
Seuſius reliquus. 145
Signum. 161
Skella. 158
Solem collocare. 169
Solem culcare. 168
Spadare. 164
Spado. ibid.
Sparuarius. 146
Sponſalium diſſolutio. 177
Spurij illegitimæ coniunctionis & natalium pœnam nota quadam ſuſtinent. 151
Squilla. 158
Squillare. ibid.
Striæ. 176
Sunnis. 142
Superuentus. 151
*Suſes.* 145

T

T[illegible]vs gregem regens. 144
[illegible]us Regis. ibid.
Terram in pugno ſuo colligere. 174
Terram vltra ſcapulas ſuas iactare. ibid.
Teſtes cogere. 168
Tintinnabulum. 158
Tintinnum. ibid.
Tondere. 156
Trahere. 149. 159
*Tramail.* 159
Triaen. 164
Triens. ibid.
Tremaclum 159
Tricenaria lex. 180
Truſtis Dominica. 165
Tulerit. 149

V

VACCA domita. 144
Vas Apium. 146
Veltris. 145
Veltris leporarius. ibid.
Venatio generalis. 161
Veneficij rei aquis præfocati. 171
Verbum Regis. 149
*Verreul.* 159
Vertuolum. ibid.
Veſtigium minare. 163
Viæ lacina. 151. 161
*Viri ſagi.* 171
Virgæ paratæ. 164
Virtus. 150
*Vngre.* 163
*Voler.* 181
Votiuus. 143. 144
VVargus. 173

Z

ZONAM abiicere. 174

# INDEX AVTHORVM

## Qui in notis C. V. HIERONYMI BIGNONII citantur.

### A


ABDIAS. 165
Adhemarus. 171. 172
*Adnuntiatio apud Piſtas.* 142. 144. 170
*Admiranda ſub nomine Ariſtotelis.* 152
*Ado.* 158
*Adreualdus.* 172
*Ælianus.* 160
*Æſchines.* 168
*Agatharcides.* 158
*Agathias.* 155
*Agobardus.* 171
*Agrimenſores.* 161. 162. 182
*Aimoinus.* 158
de *Alliaco.* 173
D. *Ambroſius.* 153. 156. 173
Amiot. 164
*Ammianus Marcellinus.* 141. 142. 152. 155. 163. 165. 166. 179. 181
*Anaſtaſius Bibliothecarius.* 150. 153
*Anianus.* 147. 150. 151. 164. 180
*Annales Fuldenſes.* 160. 179
*Antonini itinerarium.* 179
*Antonius Auguſtinus.* 164
*Apollonij Tyrij hiſtoria.* 177
*Apuleius.* 147
*Archeſtratus.* 167
*Archilochus.* 169
*Ariſtoteles.* 161. 177
*Arrianus.* 145
*Athenæus.* 167
*Attaliates.* 157
*Auentinus.* 149
*Auſonius.* 147. 166
*Authores Rei ruſticæ.* 158


### B


BALSAMON. 155
*Bartolus.* 147. 166
B. *Baſilius.* 147. 172
Beaumanoir. 152
*Beda.* 174
*Ioh. Belius.* 145. 158. 162. 163. 171
*Biblia Sacra.* 151
*Burchardus.* 151. 171
*Burchardi VVormacienſ. Epiſcopi lex familiæ data.* 150
*Buxtorfius.* 149


### C


CÆSAR. 142. 152. 165. 166
*Caij Epitome inſtitut.* 164
*Caliſtus PP.* 151
*Cantacuzenus.* 171
*Capitolinus.* 152. 166. 167
*Capitularia Caroli M.* 147. 149. 151. 153. 155. 156. 161. 163. 167. 168. 169. 170. 171. 181
*Capitularia Ludouici I.* 174
*Capitularia Caroli Calui.* 175
*Caſaubonus.* 159


Digitized by Google

*Caſſiodorus*. 151. 155. 162. 163. 166. 169. 171. 172. 175
*Cato*. 145. 148. 158
*Cicero*. 148. 160. 162
*Claudianus*. 144. 154. 155. 156. 166
*Codex Iuſtin*. 160. 162. 164. 168. 173. 177. 180. 181
*Codex Theodoſ*. 150. 154. 155. 160. 162. 167. 173. 181
*Columella*. 144. 145. 148. 158
*Conſtitutiones Neapolitanæ*. 162
*Conſuetudines Andegauenſ*. 147. 167
*Conſuetudines Campaniæ vett*. 160
*Cornelius Celſus*. 152. 165
*Ioh. Chryſoſtomus*. 180. 181
*Cuiacius*. 143. 144. 145. 147. 162. 163

D

*Nicol*. DAMASCENVS. 160
*Decretum Gratiani*. 181
*Demoſthenes*. 175. 176
Des accords. 149
*Diploma Pipini Maioris domus*. 172

E

ECCLESIASTICVS. 159
*Eginhartus*. 174
*Ecloge Maximi Abbatis*. 160
*Einhardus*. 142
*Etymologicum magnum*. 159
*Euangelium D. Lucæ*. 160
*Euripides*. 162
*Euſtathius*. 148
*Ezechiel*. 171

F

FESTVS. 147
*Fortunatus*. 158. 167. 179
*Fridericus Imper*. 145. 146
*Frodoardus*. 179
*Frontinus*. 154

G

GALLONIVS. 165
*Gellius*. 152. 166. 177
*Georgius Logotheta*. 171
*Gloſſæ Agrimenſorum*. 158. 161
*Gloſſæ vett*. 143. 145. 146. 148. 149. 155. 159. 161. 167. 169. 170. 173. 181
*Gotofredus*. 147
*Gratius*. 145
*Gregorius Turonenſ*. 142. 143. 144. 146. 148. 149. 153. 154. 155. 156. 157. 159. 163. 164. 165. 166. 168. 170. 171. 172. 173. 174. 176. 177. 180. 182
*Guillelmus Brito*. 153

H

HAYTOINVS *Armen*. 165
*Herman. Nuncnarius*. 145
*Herodotus*. 154
*Heſiodus*. 148
*Hieremias*. 147. 161
*D. Hieronymus*. 159. 174
*Hincmarus*. 170. 176
*Hippocrates*. 165
*Homerus*. 154. 169
*Honorij conſtitutio MS*. 182
*Hygenus*. 18

I

IAMBLICHVS. 163
*Iob lib*. 175
*Iordanus*. 142
*Iornandes*. 156. 162. 166. 167. 176
*Ioſephus*. 145. 149. 151. 173
*Iſidorus*. 158
*Iulius Firmicus*. 146
*Iuo Carnotenſis*. 171. 181
*Iuretus*. 170. 171
*Iuſtiniani Inſtitutiones*. 159. 161. 162. 175

*Iuſtiniani leges Georgicæ.* 145. 158
*Iuſtiniani nouellæ.* 175
*Iuuenalis.* 159. 165. 169

*L*

LACTANTIVS. 173
*Lampridius.* 152
*Laonicus Chalcondyles.* 160
*Leges*
*Alamannor.* 145. 146. 150. 164. 168. 169. 177
*Anglion.* 175
*Baiuuariorum.* 143. 145. 146. 147. 150. 153. 158. 159. 165. 169. 173. 175. 181. 182
*Burgundion.* 142. 145. 146. 148. 155. 156. 158. 161. 164. 167. 171. 173. 178
*Canuti Regis.* 165
*Friſonum.* 145. 146. 149
*Gotthorum.* 158
*Longobardorum.* 150. 155. 157. 158. 159. 168. 171. 174. 175
*Ripuariæ.* 143. 149. 150. 152. 157. 161. 162. 167. 169. 173. 175
*Saxonum.* 175
*Scotorum.* 176
*VViſigotthorum.* 146. 147. 148. 151. 155. 156. 158. 159. 170. 172. 173. 180. 182
*Leo Africanus.* 176
*Leo Marſican.* 181
*Lex Aquilia.* 147. 176
*Lex* XII. *tabularum.* 169
*Lindembrogius.* 143. 152. 159. 165. 166. 173. 175. 180. 181
*Liuius.* 163
*Lucilius.* 146

*M*

*Hier.* MAGIVS. 165
*Manilius.* 154. 177
*Marculfus & nota ad Marculfum.* 147. 149. 150. 152. 153. 154. 155. 157. 161. 163. 165. 166. 168. 169. 170. 173. 174. 175. 178. 180. 182
*Martialis.* 160. 165. 166. 173. 174. 175
*Martin. Martinius.* 159
*Matthæus Paris.* 172
Mingon. 147
*Minutius.* 154

*N*

NERATIVS. 177
*Nithardus.* 171. 178
*Nonius.* 158
*Notitia vtriuſque Imperij.* 141. 155. 179
*Notkerus.* 165
*Nouellæ Leonis.* 173
*Nouellæ Maioriani.* 181
*Nouellæ Valentis & Valentin.* 173. 180

*O*

OISELLVS. 147
*Oldradus.* ibid.
*Olympiodorus.* 178
*Optatus.* 170. 181
*Ordinationes Regiæ.* 169
*Ottho Friſingenſis.* 142
*Ouidius.* 152. 156. 158

*P*

PACHYMERIVS. 171
*Palladius.* 148
*Pandectæ.* 143. 144. 147. 148. 151. 152. 156. 158. 159. 166. 168. 172. 177. 178
*Papianus.* 145. 158
*Paulinus.* 156
*Paulus Diaconus.* 144. 173
*Paulus VVarnefridus.* 150. 151. 152. 165. 169. 172

Digitized by Google

# INDEX AVTHORVM.

*N. Paulus.* 165
*Petrarcha.* 158
*Petrus de Vineis.* 142
*Phædrus.* 158
*Philo.* 175. 181
*Photius.* 173
*Pignorius.* 148
*Pithœus.* 141. 143. 145. 148. 149. 152. 161. 163. 167. 169. 171. 172. 177. 178
*Plato.* 167
*Plinius.* 152. 154. 155. 156. 160. 174
*Plutarchus.* 151. 174
*Pollux.* 168
*Pontanus.* 182
*Poſidonius.* 177
*Procopius.* 180
*Prouerbiorum lib.* 176
*Prudentius.* 147. 150
*Pſalmorum lib.* 174

**R**

RAGVELLVS. 167
*Rapinus.* 155
Rat. 147
*Regum libri.* 144. 147. 174
*Roberti R. diploma.* 179
Ronſard. 164. 169
*Ruffinus.* 145
*Rutilius.* ibid.
*lib. Ruth.* 174

**S**

SALVIANVS. 151. 171
*Sangallenſis.* 152
*Sauaro.* 143. 172. 173
*Ioſ. Scaliger.* 159
*Senatuſconſultum Claudianum.* 149
*Seneca.* 144. 149. 151
*Seruius.* 158. 165
*Seruius Sulpitius.* 177
*Siculus Flaccus.* 158 162
*Sidonius.* 145. 153. 156. 158. 166. 172. 173
*Sigonius.* 142. 164
*Sirmondus.* 171
*Sophocles.* 145
*Soſipater Chariſius.* 146
*Sozomenus.* 181
*Spartianus.* 152
*Speculator.* 147
*Speculum Saxonicum.* 146. 169. 178
*Stephanus.* 164
*Strabo.* 152. 160. 169. 177
*Suetonius.* 144. 158. 162. 166
*Suggerus.* 169
*Symmachus.* 143. 162. 181
*Synodus*
*Agathenſis.* 150
*Antiſsiodorenſis.* 143
*Aruernenſis.* 150
*apud Theodonis villam.* 164
*Aurelianenſis.* 150. 180. 182
*Epaunenſis.* 150
*Lemoricenſis MS.* 157
*Matiſconenſis.* 148. 149
*Pariſienſis.* 151
*Turonica.* 149. 150. 180
*Toletana.* 172. 173. 181. 182

**T**

TABVLARIVM *S. Dionyſij.* 169
*Tacitus.* 142. 149. 151. 152. 164. 160. 161. 176
Tardif *de arte Falconeria.* 146
*Tertullianus.* 143. 149. 150. 154. 156. 157
*Theophanes.* 150
*Thuanus.* 146
*Tranſlatio Martyrum Georgij, Aurelij, & Natoliæ.* 155

Digitized by Google

# INDEX AVTHORVM.


*V*

VALERIANVS *Cemelienſis*. 145
*Varro.* 143. 162. 163. 166
*Vegetius.* 166. 167
*Vetus inſtrumentum Caroli Calui.* 157
*Vett. formulæ Lindembrogij.* 164. 167. 178
*Victor Vticenſis.* 147. 149. 164. 174
Vignier. 141
*Virgilius.* 143. 144. 145. 146. 149. 150. 154
*Vita Ludouici Pij.* 178
*Volaterranus.* 146
*VValafridus Strabo.* 158
*VVillelmus Heda.* 157

*X*

XENOPHON. 145. 148

*Z*

ZOZIMVS. 141


FINIS.

193

# LACRYMÆ

IN LVCTVOSO
BONIS OMNIBVS FVNERE
ILLVSTRISSIMI VIRI

## HIERONYMI BIGNONII,

REGIS CHRISTIANISSIMI
IN SANCTIORE CONSISTORIO

## CONSILIARII,

ET IN SVPREMA TOTIVS REGNI CVRIA
Primarij fiſci Patroni,

CVM SVSPIRIIS AC GEMITV
PROFVSÆ

*A IOANNE ALBERTO PORTNERO.*

*ARGENTORATI, Anno Chriſtiano* CIↃ. IↃC. LVI.

b b

Digitized by Google

*Tacitus Annal.* XVI.

Detur hoc illuſtrium virorum poſteritati, vt quomodo exequiis à promiſcua ſepultura ſeparantur; ita in ſupremorum traditione accipiant habeántque propriam memoriam.

*Ariſtophanes in Equit.*

ΕΥΛΟΓΗΣΑΙ ΒΟΥΛΟΜΕΘΑ ΤΟΥΣ ΠΑΤΕΡΑΣ ΗΜΩΝ, ΟΤΙ ΑΝΔΡΕΣ ΗΣΑΝ ΤΗΣΔΕ ΓΗΣ ΑΞΙΟΙ ΚΑΙ ΤΟΥ ΠΕΠΛΟΥ.

Digitized by Google

# PRÆFATIO.

Illuſtriſſimis Viris, HIERONYMO, Conſiliario & Aduocato Regio, ac THEODORICO BIGNONIIS, fratribus, HIERONYMI filiis.

*IOANNES ALBERTVS PORTNERVS S. P. D.*

ILLVSTRISSIMI VIRI,

TARDIVS omnino, quàm par eſt, officio & pietati meæ erga Illuſtriſſimi Parentis veſtri manes ſatisfacio. Verùm hoc quidquid eſt moræ, non obliuioni, (quomodo enim ea in me cadere poſſit tot nominibus vobis obſtrictum?) ſed magnitudini luctus, vnde difficulter me collegi, imputandum eſt. Hæc ſola ratio me tamdiu ſilere coëgit, ac in animum ſæpe reuocauit illud vetus; Curæ leues loquuntur, ingentes ſtupent: vocem nimirum intercludit oborti doloris impetus, præſertim cùm ſubitò nec tale quid timentem inuadit, ſimul & opprimit; oppreſſo enim vehementiâ triſtitiæ animo vniuerſæ mentis facultates ac ingenij iacent, neque ad præclaras cogitationes poſſunt erigi. Id quod mihi perlectâ primùm Illuſtriſſimi Iacobi Puteani, de parentis veſtri viri ſummi obitu, ad me Epiſtolâ, perueniſſe agnoſco, quem caſus

iſte tanquam impræuiſo ictu percuſſum ita exanimauit & deiecit, vt non niſi ægrè, & poſt temporis aliquod interuallum ad me redierim. Lacrymas quoque idem, qui verba negauit, affectus intra fontes ſuos cohibuit ac velut abſorpſit, adeò vt verſibus eas complecti inter initia non potuerim, ſerò admodum recuperatis viribus, quas aſſidui mœroris languor conſumpſerat. Ne autem, quod imprimis cauendum erat, in ſilicem obriguiſſe, ac omnem veſtri memoriam ex animo abieciſſe viderer, expectare nolui donec priſtinum vigorem recepiſſem, ſed quamuis imperfecto conatu, multúmque adhuc debilitatis arguente venerationem meam erga defunctum, obſeruantiam erga vos profiteri malui, quàm, ſi tacere perſeueraſſem, in ambiguo relinquere, verecundiâne id an negligentiâ accidiſſet; quorum alterum timidi & abiecti, alterum inciuilis & ingrati hominis futurum erat. Viſum quoque eſt opperiri nonnihil, donec accepti è deſideratiſſimi parentis morte vulneris crudus adhuc in animis veſtris ſenſus aliquantum remiſiſſet, quem vt recentem contingere ac irritare intempeſtiuum, ita plagâ iam ad cicatricem ferè perductâ adhibitis ſolatiis mollire non vtile minùs quàm iucundum eſt. Itaque nondum elapſo ab exceſſu eius trimeſtri, neque adeò violento luctu vt leuiſſima commemoratione lædi poſſit, neque adeò inueterato, quin quotidie adhuc recurrat, ſimul veſtro dolori leuamentum, ſimul meo remedium iſto, quod vobis offero, carmine quærere decreui; in quo tamen nihil, quod vel meritis illius quem defleui, vel opinioni veſtræ reſpondere, nihil denique quod placere vobis queat, præter animum ſcribentis, inueniri poterit. Addidi Elogia illuſtrium clariſſimorúmque virorum de maximo parente veſtro & ad alios quondam & nuper ad me ipſum ſcripta, non vt viro ſuiſmet radiis ſplendidiſſimo mutuaticiam facem præferrem, ſed vt noſtrorum hominum, qui vulgò ſua tantùm mirantur, conſpectui exhiberem raram illius & ſine exemplo virtutem,

coniunctámque cum ſumma eruditione inuſitatam morum integritatem, cum ampliſſimâ dignitate ſingularem modeſtiam, atque vt tot tantáſque dotes alienis & probatiſſimæ quidem fidei teſtimoniis commendatas in lucem producerem. Neque neſcius fui longè plura & propemodum innumera huius generis proferri ac cumulari potuiſſe, ſed hæc pauca & ad laudes eius prædicandas, & ad implendam inſtituti huius menſuram ſuffectura credidi: cætera, quæ Præfationis huius modus non capit, tota nouit Gallia, & in annales ac faſtos relata grata olim poſteritas cum voluptate leget. Accuratam enim illius in reddendo iure diligentiam, incorruptam in Regem ac Rempublicam fidem, mirificam Hiſtoriarum eruditæ antiquitatis, omniúmque ferè ſcientiarum cognitionem, generoſam in ſecundis moderationem, in aduerſis conſtantiam, in arduis dexteritatem cum reliquis virtutis ac gloriæ titulis hîc enarrare paginæ huius anguſtias excedit. Neque mihi aliud propoſitum nunc eſt, quàm vt de meo erga Illuſtriſſimi parentis veſtri vmbram cultu vobis conſtet, ac tum prioris ſilentij mei, tum allocutionis huius ratio reddatur. Præter hoc ſupremum, quod mortui cineribus debui, tibi officium quoque, ILLVSTRISSIME HIERONYME BIGNONI, de nouâ dignitate gratulandum cenſui, ídque eo magis, quo te illam priùs meritis virtutum, quàm ſuffragiis ampliſſimi ordinis conſecutum eſſe noui. Vbertatem enim doctrinæ, copiam eloquentiæ, morúmque tuorum comitatem nemo ſanè in dubium vocare poterit, qui tua conſuetudine vnquam vſus eſt. Ego certè, quem antehac ea ſæpius dignatus es, me à colloquiis tuis nunquam niſi maximo cum fructu receſſiſſe, ingenuè profiteor. Quare dignum virtuti tuæ obtigiſſe theatrum tantò impenſiùs lætor, quantò certius melioris ſpei augurium eſt, cùm honores merentibus conferuntur, & ad gerendam rempublicam non ambitione, aut gratiâ prouecti, ſed iudicio & ab æſtimantibus aſciti promouentur. Et hæc quidem publi-

Digitized by Google

ca, cur gaudeam, cauſa eſt; priuatim autem, quidni læter incolumi & manente amicitiâ noſtrâ, tuam creuiſſe dignitatem, quam vt fortiter ac inuicto animo difficillimis temporibus auſpicatus es, ita vt eam ad imaginem paterni exempli bono publico ac tuo diu ac feliciter ſuſtineas, ex animo voueo. Cùm enim flagrantiſſima Illuſtriſſimi parentis veſtri, erga me beneuolentia vobis, VIRI NOBILISSIMI, tam arcta neceſſitudine me coniunxerit, vt nulla propior vel excogitari vel optari poſſit, par omnino ac æquitati conſentaneum eſt, me iis, quæ proſpera vobis aut aduerſa eueniunt, perinde ac meis affici. Neque profectò vlla ſiue temporum iniuria, ſeu caſuum viciſſitudo delere ex animo meo poterit ſuauiſſimum incomparabilis viri, quo me proſecutus eſt, affectum, cuius vt monumentum aliquod publicè extaret, fragmentum poſtremæ illius ad me Epiſtolæ hîc ſubiungere volui. Dedi etiam amicitiæ florentiſſimi ac litterarum ſtudioſiſſimi iuuenis, cognati mei, vt dolorem eius carmine epico expreſſum vobis vnà cum meo nuncuparem: cuius perinde ac meam pietatem ſi æqui boníque conſulueritis, operæ pretium me feciſſe, ac pulcherrimum officij mei fructum retuliſſe exiſtimabo. Valete NOVA REIP. FORI AC LITTERARVM PRÆSIDIA ET ORNAMENTA, & cultori veſtro, quemadmodum facitis, facere pergite. Scrip. x. Kalend. Iulij, A. O. R. CIↃ. IↃC. LVI.

# OMINOSVM SOMNIVM

In luctuoſo bonis omnibus funere
Illuſtriſſimi Viri HIERONYMI BIGNONII
Regis Chriſtianiſſimi in Sanctiore Conſi-
ſtorio Conſiliarij, & in ſuprema totius
Galliæ Curia Fiſci Regij Patroni,

## EXPLICATVM

### A IOANNE ALBERTO PORTNERO.

*HACTENVS & terras vrnis & floribus vrnas*
*Annua complerunt geminato funera luctu,*
*Sed priuata tamen. verùm maiora canenda*
*Nunc inſtant, velátque pios Reſpublica vultus.*
*Tu mihi Phœbe pater, vóſque aſpirate canenti*
*Aonio Pindi reſidentes vertice Diuæ,*
*Et claros Heroum obitus memorare decoro*
*Carmine ſola potens, noſtris conatibus æqua*
*Sis rogo, Melpomene; nunquam maiora dolendi*
*Argumenta dedit rigidi inclementia fati.*
*Vere nouo paribus ſpatiorum linea metis*
*Æquarat noctique diem, noctémque diei,*
*Paulatímque diem in plures produxerat horas,*
*Plus media nitidi fulgens Arietis, alti*
*Dum relegit biſſena poli ſol aureus aſtra,*
*Et properat Tauri radiantia viſere ſigna,*
*Nondum equidem læti facies pulcherrima veris,*
*Sed primus tenuiſque color ſignauerat annum,*
*Vt cùm mane nouo ſtellis Aurora fugatis*
*Venturi roſeo ſolem notat ore diei.*
*Fortè ſerenato ridebant omnia cælo,*
*Et lenis ſtreperas Zephyrus tepefecerat auras,*
*Cùm mea diuerſis fallentem tempora curis,*

Digitized by Google

*Ire ſuburbanos me ſolum inuitat in hortos*
*Neſcia mens fati inſtantis, ſortiſque futuræ:*
*Illic dum tenerâ iacens reclinis in herbâ*
*Effuſos molli adrepens in ceſpite ſenſim*
*Oblitóſque ſui lentus ſopor illigat artus.*
*Aſt aliò inuitam abripiunt non irrita mentem*
*Somnia, & è patria ſublatum finibus vrbis*
*Parte alia, atque iubent aliis conſiſtere terris.*
*Non vltra Imbripolis, non hæc mihi caſtra ridentur*
*Regina Boiorum, non ripa binominis Iſtri,*
*Sed properè excitum admotis Cyllenius alis*
*Trans Rhenum, tardúmque Ararim, cursúque citato*
*Præcipitem Rhodanum velocibus auehit auris;*
*Sequana quà ſocios amnes & Matrona iungunt,*
*Maioríque minor titulos tranſmittit & vndas.*
*Quà ſita magnificum populoſa Lutetia tollit*
*In ſublime caput, propioráque ſidera ſummo*
*Pulſat, & aërias tranſcendit vertice nubes.*
*Non ibi conſuetam Ludouici Regia Pompam*
*Seruat, & aſſiduos auguſta Palatia cœtus*
*Admittunt, vacat indicto turbata repentè*
*Curia iuſtitio, occurrunt ſqualentia paſſim*
*Ora, rubent vultus multóque humentia fletu*
*Lumina, diſperſique iacent poſt terga capilli,*
*Et mœſtas plerique ferunt ad ſidera palmas.*
*Quis ferus hic, inquam, dolor eſt? quæ Numinis ira*
*Horrentis ſedem Imperij, ciuéſque beatos*
*Percutit, & magnam fœdauit luctibus vrbem?*
*Mox tanti cauſas cupientem inquirere motus*
*Accepit Puteana domus, tabularia Regum*
*Quæ tenet, & ſeruat pluteos cuſtode* IACOBO.
*Heu mihi! quos illic vultus, quæque ora tueri*
*Attonito, qualéſque datum eſt contingere dextras!*
*Heu quàm diſſimiles illis, quas antè ſolebat*
*Ferre amor! Ingreſſum tacito me murmure amici*
*Agnoſcunt, mœſtóque iubent conſidere vultu.*
*Hos inter, velut ſtellis ſociata coruſcis*
*Cynthia, ſed qualis venturos nuntiat imbres,*
*Obtectóque latet denſa inter nubila vultu,*
*Eminet indutus lugubri veſte* THVANVS.
*Hic etiam oppreſſo ſuſpiria pectore fundunt*

SEVÆVS, *cultóque potens* RVGEALTIVS *ore,*
DONIATIVS*que grauis, claróque* GENVTIVS *ortu;*
*Omnes purpureo delecti ex ordine Patres*
*Conſilij membra, & ſummi decora alta Senatus:*
NVBLETIVS *pars magna fori, doctúſque clientes*
*Eloquio regere, atque illuſtres dicere cauſas;*
MONMORIVS *quàm diues opum, tam diues honorum;*
*Aſtrorúmque vias & magni tempora ſecli*
*Noſcere, & immenſi gnarus deſcribere cœli*
BVLLIALDVS *ſuperos ſpatiis æqualibus orbes;*
*Et fraterna* VALESIADÆ *dilectáque Phœbo*
*Pectora nec finem lachrymis, nec vulnere norunt*
*Quis tanto queat afflictis ſuccurrere rebus.*
LAVNOIVM *vox ipſa fugit; Permeſſidos vndæ*
*Caſtalias qui potat aquas, cui tempora lauro*
*Cincta virent, venerum veterúmque oblitus amorum*
MENAGIVS *canit abiectâ teſtudine leſſum;*
*Mœſta* CAPELLANI *tragicos ſolertia verſus*
*Concipit, & grandes molitur Muſa cothurnos.*
*Anteit hos pietas* PVTEANI, *inuictáque tantis*
*Mens generoſa malis ſuperat virtute dolorem,*
*Affectum ratione domat, ſapientia ſæuum*
*Temperat, & validis luctum compeſcit habenis.*
*Hic petit amplexus peregrè venientis amici,*
*Sed lento timidóque gradu, non læta ſalutem*
*Lingua refert, artúſque ad ſingula verba tremiſcunt.*
*Quæ tanta hæc veſtros, inquam, mutatio vultus*
*Inceſſit? Superúmve animis grauis incubat horror?*
*Aut veſtros infanda lues populata penates*
*Publica priuatis cumulauit funera damnis?*
*Attoniti ſiluere omnes, ſolúſque moneri*
*Cœperat, & mœſtis* PVTEANVS *talia verbis*
*Dicere, quæ memori manſere recondita mente.*
*Iampridem aſſueti duris, & plurima paſſi,*
*Quæ rerum fatique vices mortalibus ægris,*
*Ingratíſque ſolent immittere numina terris,*
*Struximus elato nuper monumenta* MOLÆO,
*Quo ſacra iactabat ſe Curia Principe, nullo*
*Quem fregere metu viréſve iræve potentum,*
*Quem mediis ipſi immotum ciuilibus vndis*
*Vidimus, & tantùm patriæ Regique timentem,*
*Donec ſalua viri meritis & tuta periclis*

cc

*Huic vltro magni curam dedit aula ſigilli,*
*Sed partum mors ſæua decus poſt quattuor actas*
*Suſtulit æſtates, & funere merſit acerbo.*
*Iſta, licèt nullo clades reparabilis æuo,*
*Parua tamen ſuperis viſa eſt, iuſſeque ſorores*
*Imperfecta aliorum abrumpere ſtamina Parcæ.*
*Concidit exanimis noſter* CVMONTIVS, *ille*
*Flos populi illibatus, & ingens gloria Patrum,*
*Cui non vile togam precium, non ambitus orbi*
*Exitiale malum, ſed factis cognita virtus,*
*Et mores peperere probi, quos geſſit honores.*
*At nunc vocem intercludit, prohibétque referre*
*Quæ mallet neſcire animus, tamen impete facto*
*Pergendum, & tanti memoranda eſt cauſa doloris.*
BIGNONVS *fuit, & vitam cum luce reliquit,*
*Et felix ſuperas cæli tenet incola ſedes.*
*Vixit honos patriæ, & Celtarum maxima gentis*
*Gloria, & exiguo tegitur concluſa ſepulcro.*
*Conticuit doctæ triſtis facundia linguæ,*
*Et ſilet exanimis cuius pendebat ab ore*
*Cura fori, legúmque decus, quo tota loquente*
*Curia, & attoniti ſtupuerunt ſepta Palati.*
*Hunc non tam clari generis fiducia, vera*
*Quàm virtutis amor, ménſque inconcuſſa periclis,*
*Et parta ingenio doctrina fama ſagaci*
*Supra vulgus iners tulit, atque Heroïbus illis*
*Addidit, annoſis quorum laus tradita chartis*
*Durat, & immenſum reſonat diffuſa per orbem.*
*Non meliore tibi quiſquam,* SERVINE, *beatum*
*Cælicolas inter medios qui tranſigis æuum,*
*Iure alius poterat ſuccedere; ſolus Atlantio*
*Qui geſtaret onus, qui toto pectore cælum*
*Exciperet, fuit Alcides, hunc ſumma parentis*
*Cura parem impoſitæ firmato robore moli*
*Fecerat, & vires naſcenti adiunxerat æquas.*
*Diceris ipſe polo dubij,* LVDOVICE, *Senatus*
*Nutantes rexiſſe animos, tacitóque futurum*
*Inſtinctu ſucceſſorem monſtraſſe; probauit*
*Iudicium Fortuna tuum, monitúſque ſequuntur*
*Fata tuos, cunctique ferunt ſuffragia Patres,*
BIGNONIVM*que legunt; læua tonuiſſe relatum eſt,*
*Et placuit ſuperis electio preuida Diuis.*

*Hoc cupiit ſpretas Aſtræa reuiſere terras*
*Vindice, & hoc legum populis dare iura patrono;*
*Hoc probitas, priſcúſque pudor, moréſque decori,*
*Et veri non fictus amor, tutela ſalutis*
*Publica, & Aoniæ viguerunt præſide Muſæ.*
*Libera, nec Regum deuincta potentia Roma,*
*Et ſolij diuinus apex, reuerentia ſceptro*
*Debita, iuridici libertas æqua Senatus,*
*Purpureæque vetuſta togæ ornamenta nitorem*
*Illibata ſuum tanto cuſtode tenebant.*
*Pax niueos velata ſinus, & candida rerum*
*Hoc ſuaſore quies nullis agitata periclis*
*Subſtitit, & ventos tutò contempſit & vndas.*
*Vidimus, & ſeri norint audita nepotes*
*Facta viri, exhauſtóſque infracta mente labores,*
*Cùm virtus metuenda bonis, cùm fama noceret*
*Clarior, & timidas proferret Curia voces;*
*Cùm plena exilijs miſerorum limina Regni,*
*Et ſtreperent iuſſis perfuſa cædibus vrbes;*
*Cùm gemerent ſanis pridem euacuata tributis*
*Oppida, & immiſſos fugeret plebs anxia faſces.*
*Quas etiam ingenti curas ſub pectore voluit!*
*Quæ prudens reſponſa dedit præſagáque vates*
*Dicta! vbi ciuili patriam feruere tumultu*
*Vidit, & infeſtis ferri contraria ſignis*
*Signa, & cognatas armis contendere dextras;*
*Cùm fera in obſeſſo gererentur bella Senatu,*
*Lymphatámque furens in partes ſcinderet vrbem*
*Impetus, & morbo peior medicina priore*
*Dum traxit validos ægris cum partibus artus.*
*Quæ tum* BIGNONI *pietas! quo robore duris*
*Obſtitit, vt tumidas rupes immota procellas*
*Excipit, & flantes infra ſe deſpicit Auſtros.*
*Hinc Regi ſeruata fides, non victa periclis,*
*Non mutata malis, pretio non vendita turpi:*
*Hinc cauſæ mens æqua bonæ, pro iure Senatus*
*Libera, & ambiguis vox imperterrita rebus,*
*Aſſiduæ pro pace preces, ac muneris ingens*
*Cura ſui, & nullo temerata modeſtia faſtu,*
*Secretique lares, nec auara vota ſenectæ*
*Tutam illi ſtabilémque domum, fidámque quietem*
*Effecere, alios dum ſpes velocior æquo*

*Præcipites afflixit humi, nimiúmque feroces*
*Prodidit in mediis fortuna volubilis auſis.*
*Ciuiles ſancita domi ſanauerat iras,*
*Cognatúmque nefas, & iniqua repreſſerat arma*
*Conſiliis pax fulta bonis; iam Curia priſco*
*Reddita legitimo decori pollebat honore,*
*Iure forum, & pacis florebant artibus vrbes;*
*Iam ſuus & poſt tot diſcrimina liber ouánſque*
BIGNONVS *ſolito tractare negotia ritu,*
*Et Patribus pro Rege loqui dubiáſque ſolutis*
*Nexibus ingenio ſolerti euoluere cauſas;*
*Per tres exactos ( tot enim poſt ciuica vixit*
*Bella ſenex ) annos bene continuauerat, æger*
*Quamuis ſæpe graui teneros arthritide neruos*
*Adſtringi, ſauóque premi ſua membra dolore,*
*Lentáque nodoſæ ſentiret vincla podagræ,*
*Cùm ſubitò magnis agitantem publica curis*
*Commoda, funeſto febris ardens ſuſtulit igne;*
*Vt matutinis ridentes floribus hortos*
*Torridus immiſſo populatur ſirius æſtu.*
*Heu mihi! quas vno clades in funere terris*
*Intulit vna dies! non illâ Gallia ſolùm*
*Morte iacet, neque priuatas gens vna querelas*
*Fundit, & ereptum tantùm ſua littora plorant.*
*Hinc tamen exorſæ lacrymæ causámque dolendi*
*Principiúmque petunt, fidóque orbata miniſtro*
*Regia, quam ſolij fulgor ſacreque verendus*
*Maieſtatis apex, & hon os Dîs proximus ipſis*
*Flere vetant, triſti cohibet ſuſpiria vultu.*
*Altior auguſti planctus venit æde palatî,*
*Mœrori cedit grauitas, mutatáque pullâ*
*Purpura veſte latet; tanto ſpoliata Patrono*
*Curia iam non priuatas cognoſcere lites,*
*Non maiora ſequi, precibúſve inſiſtere iuſtis*
*Audet, & obſcuro teſtatur murmure cœtus*
*Occubuiſſe ſui decus, atque obſtructa diſerti*
*Ora viri, cuius Regum facundia mentes*
*Et populi indomitos poterat componere motus.*
*Luget ſacra cohors, magnáque illuſtris in vrbe*
*Pontificum conuentus inops ſolaminis hæret,*
*Et vires animis & deſunt verba dolori.*
*Aſt vbi deductum patulâ tellure recondi*

*Funus, & in fragili deponi contigit vrnâ,*
*Iam repetita nouis acuuntur vulnera cauſis*
*Triſtiáque ingentes augent ſpectacula luctus,*
*Prælatas quatit aura faces, inuita miniſtri*
*Iuſſa obeunt, geſtántque ardentes ordine ceras,*
*Et clari nomen generis, pictæque feruntur*
*Effigies, in imaginibus noſcuntur honora*
*Maiorum facies, & auita munera laudis,*
*Cum patrij titulis meriti, cum ſtemmate longo,*
*Quóſque ataûm virtus illi tranſmiſit honores*
*Spectantur, proprij rutilo nitet æmula cœlo*
*Gloria* BIGNONI, *radiíſque inſignis & auro*
*Informes procerum clypeos, æríſque vetuſti*
*Annoſam vincit ſeriem non indiga laudis*
*Quam virtus aliena parat, ſibi ſufficit ipſa*
*Et reliquas præit vna faces. Captiua ſequuntur*
*Agmina, & in iuſto ducuntur ſerua triumpho.*
*Huc ades & prædas quiſquis miraris opimas,*
*His aduerte oculos ſpoliis; ſine ſanguine geſto,*
*Non homines, non caſtra capi, non oppida bello,*
*Sed deuicta trahi vitiorum monſtra catenis,*
*Pallentem inuidiam, & falſæ mendacia linguæ,*
*Iras, inſidias, ſexcentáque nomina fraudum*
*Ferre iugum, & domitos vinclis præbere lacertos,*
*Et vano innocuam latratu inceſſere famam*
*Aſpicies, veræque agnoſces præmia laudis.*
*Virtutum comes it decori chorus, atque relicta*
*Migrat humo, repetítque poli conuexa ſereni.*
*Prima triumphantem pietas comitatur honorem,*
*Hæc ſuperos homini, & terris cœleſtia iungit,*
*Soláque virtutes longè ſupereminet omnes.*
*Proxima iuſtitia eſt,* BIGNONO *hac mœret adempto*
*Et trahit inuerſis obtuſum lancibus enſem.*
*Hanc Regi ſeruata fides, hanc aurea mixto*
*Libertas fremitu paſſíſque emota capillis,*
*Cautáque compoſito ſequitur prudentia greſſu;*
*Et pacis ſincerus amor, ſed tempora marcent*
*Nuda, nec intextis de more ornantur oliuis.*
*Demittit vultum trepidis conſtantia rebus,*
*Agnoſcitque vices, & vinci poſſe fatetur.*
*Nec valet aſſiduo mens iam mihi turbida luctu*
*Omnia virtutum complecti nomina; paucas*



Digitized by Google

*Enumeraſſe, ſat eſt. Videas deſcendere cœlo*
*Numina & ætherias nobiſcum plangere mentes.*
*Horrida fraxineam procul abiicit ægida Pallas;*
*Et vacuis iterum indignans diſcedit Athenis.*
*Huc delapſa polo mortalia funera ſpectat*
*Suetorum Cytheræa parens oblita leporum,*
*Nec formæ memor ipſa ſua fletu irrigat ora,*
*Et iam non teneros iuuenum meditatur amores,*
*Sed raptum dolet æqua ſenem: iam Flora virentes*
*Linquit agros, neglecta Ceres ſata deſerit, imis*
*Æquoreis pelagi rector caput exerit vndis,*
*Et rapidus cæcis latè fremit Æolus antris.*
*Te quoque Phœbe pater radios texiſſe ſerenos*
*Commemorant, ſacriſque diu immugiſſe cauernis.*
*Interea longo deducitur ordine funus,*
*Et cineres breuis vrna tegit: circumſtat amore*
*Proxima Natorum pietas, comitantur amici,*
*Collegæque pij vacuiſque curulibus illic*
*Stare Patres, ſummique illic ſedem eſſe Senatus*
*Dixiſſes, tanto ſolemnes rite frequentant*
*Exequias, meritóque ſenem dignantur honore.*
*Hinc properè auguſti repetunt excelſa palatî*
*Mœnia, ſumuntúrque togæ, lectúſque parenti*
*Filius extincto ſucceſſor, fauſta precatus*
*Omnia, tum primùm genitoris munus obiuit.*
*Huic patrius ſedet ore lepos, & ſpiritus alto*
*Pectore defixus non tantùm nominis illum*
*Heredem officiique probat, nam viuida in ipſo*
*Emicat, & vera patrem notat indole virtus.*
*Proſequitur læto dicentem Curia plauſu,*
*Et votis ſtudiiſque fauet, primóque loquente*
*Præſide placatas verbis accommodat aures.*
*Ille obitum patris, & caſus miſeratus acerbos*
*Conſilio ſiſtit iuuenem, cui cuncta parentis*
*Dona ſui, atque adſint ſtimuli virtutis auitæ.*
*Hunc monet, vt foueat, patriáque in ſede repoſtum*
*Lætis excipiant animis: ſententia cunctis*
*Iſta placet, reddunt hilares ſubſellia voces,*
*Et paulùm veterem minuunt noua gaudia luctum.*
*At nos hîc mæſtos colimus ſecreta penates,*
*Inter & aſſiduos parua interualla doloris,*
*Atque alij ſanctos placamus carmine manes;*

Digitized by Google

*Pars croceos tumulo flores, & fundit Amomum,*
*Cúmque roſis violas & lenta papauera ſpargit.*
*Pars ſolido ingenij monumenta in marmore ſculpunt;*
*Et ſtatuas puróque dicant ex ære columnas.*
*Iſta domi molimur, & hæc ſolatia mœror*
*Inuenit, & claris decernit munera buſtis.*
*Sed tamen ereptum non ſola Lutetia plorat*
BIGNONVM, *tanti flet conſcia Gallia lethi,*
*Flent Druidæ, Saliique gemunt, vlulántque frementes*
*Per ſiluas Bardi, denſiſque in ſaltibus errant*
*Pariſij, longiſque leues Sueſſona in armis,*
*Et Biturix, ſtudiiſque Aurelia nobilis, acer*
*Haduus, & Leuci, & ponunt fera colla Sicambri.*
*Vaſco oculos, guttiſque humectat grandibus ora,*
*Neuſtria vicino luget contermina ponto,*
*Andini Turonéſque, & multâ Santonus arte,*
*Armorici, ſtrictóque truces Tungri enſe ſuperbos*
*Deiiciunt vultus, & queſtibus aëra pulſant.*
*Oceano fuſas Ligeris, rapidóque Garumna*
*Amne vehunt lacrymas, atque oſtia turbidus implet*
*Sequana, Tyrrhenum Rhodani lutulenta feruntur*
*In mare, nec lætas allambunt flumina ripas.*
*Nubiferis poſiti celſas in montibus ornos*
*Allobroges gemitu feriunt, planctúque canoro*
*Adria, & abiectis nunc eiulat Inſuber armis,*
*Et Ligur, & notis in vallibus Apenninus*
*Marcet, & antiquis etiamnum clara trophæis*
*Roma dolet, fumant iterum cæca antra Veſuui,*
*Trinacriáque picem cum ſulphure fundit ab Ætnâ*
*Mulciber, & cineres vicina per æquora ſpargit.*
BIGNONVM *quoque Belga canit, ſeu cinis Iberi,*
*Hoſtis Celta tuus; ſeu libertate recepta*
*Integer, & ſumtis Batauus metuendus in armis.*
*Hic Moſa coniunctus Vahali, Rhenóque bicorni,*
*Hic illum reſonat Scaldis, procul ira, feroces*
*Bellantum procul hinc auſus; mors iſta furorem*
*Diſtulit, & ſæuos audita recondidit enſes.*
*Magna ſed hinc modico diuulſa Britannia ponto,*
*Ad Tameſin ſalices inter, campóſque virentes*
BIGNONVM *memorat, teneráque hunc cantat in herbâ*
*Paſtor, & extinctum Daphnin deplorat Amyntas.*
*Triſtia hyperboreum conturbat nuncius axem,*

Digitized by Google

Et lacrymis glaciale fretum, Arctoúmque liqueſcit
Imbre gelu, ac ſubitos miratur Suecia riuos.
Hac etiam vaſti penetrato gurgite Rheni
Vangiones, Nemetéſque, & cultos fama Treboccos,
Mattiacáſque adiit gentes. Alemannia paſſis
Crinibus, & mitis poſitis flet Tencterus armis,
Vindelici, Rhætíque, & quæ tibi proxima tellus
Norica. Me intuitus reſpexerat: his ego dictis
Euigilo, & pulſo vaneſcunt cetera ſomno.
Sed mihi ſollicitâ durant hæc ſomnia mente
Fixa, locíque hominúmque animo obſeruatur imago,
Et creſcunt auctæ ancipiti formidine curæ.
Interea inuito proceſſit veſper olympo,
Cùm vera ad fictos acceſſit cauſa timores,
Et Puteana domum defertur Epiſtola, viſis
Quæ præſtat perlecta fidem, iuſtóſque dolores
Imperat, & longo mortis genus ordine narrat.
Ergo mihi veris poſthac BIGNONIVS heros
Flendus erit lacrymis! ergo tot honoribus amplo
Venit ſumma dies, & ineluctabile fatum,
Et carum mors dira caput ſæuo abſtulit ictu!
Præterita intendunt inſtantem gaudia luctum,
Quâque frui nequeo ſenſus erepta voluptas
Angit, & occulto iam viſcera corripit igne.
Cùm memini, quo me fuerit complexus amore;
Cúmque animo ipſa viri facies, & pulchra recurrit
Canities, moréſque probi, laudatáque virtus;
Et priſcæ ſtudium hiſtoriæ, quam Græca vetuſtas,
Vel Romana dedit, primiſve Eccleſia ſeclis
Condidit, aut patriis mandauit Gallia faſtis.
Cùm mihi colloquiis ſubeunt tranſacta diſertis
Tempora, BVLLIALDO comite, iſte ſecundus ad illum
Dux mihi doctrinæ extiterat, iuriſque patronum;
Siue VALESIACO, quo non præſtantior alter
Seu calamos tractare leues, ſeu ſacra Pelaſgûm
Pandere, ſeu Latiæ reſerare arcana ſenectæ.
Cúmque animum amplexus poſtremi ac dulcia tangunt
Oſcula, quæ diſcedenti libauerat æger,
Mens ignara ſui ſtupet, & toto obruta luctu
Linquitur, ac gelido venæ ſudore rigeſcunt.
Heu mihi, quanto etiam abſentem BIGNONVS amicum
Affectu, & verè patrio dignatus amore eſt,

Quod

*Quod nomen dedit ipſe ſibi! nunc fata maligna*
*Anulſum nato patrem, natúmque parenti*
*Diſiungunt, noſtriſque nihil commota periclis*
*Illatâ tantùm lacrymas è clade relinquunt.*
*Cedendum ſuperis, & tam parere neceſſum eſt,*
*Quàm decreta pati. Cœli mittuntur ab axe,*
*Pectora qui triſtes agitant mortalia caſus.*
*Verùm eadem, placitis animos quæ ſubjicit iſtis,*
*Religio, haudquaquam queſtus excludit amantum,*
*Quin potiùs fauet his pietas, ipſúmque tonantem*
*Nouimus illorum non intercedere curis,*
*Quos ſtudium non error agit, quos mentis honeſtæ*
*Impetus, & meritis obnoxia gratia magnis*
*Reddere ſupremos defunctis vrget honores.*
*Nunc Manes ſaluete pij, tutóque recumbens*
*Vmbra vale, gelido patriæ telluris in antro,*
*Te nunc grata quies, & feſſum ſuſcipit vlnis*
*Terra ſuis, cineréſque ſinu cuſtodit opaco.*
*Vermibus oſſa patent, animáque abeunte per auras*
*Exangues artus, & morbida membra putreſcunt.*
*Immunis ne carpe viam, quicumque per iſtam*
*Ire paras agri partem, ſed mitibus illam*
*Floribus, & viridi monſtratam contege myrto.*
*India diuitias tumulo tranſmittat Eoas,*
*Balſama Niliacæ gentes, & aromata mollis*
*Donet Arabs, graciléſque miniſtrent thura Sabæi.*
*Nos violas calathis & lilia pulchra feremus,*
*Purpureáſque roſas, & ſuaue rubentem hyacinthum,*
*Pallentéſque inter taxos, triſtéſque cupreſſos*
*Palma leui conſurget humo, depreſſáque ramos*
*In ſublime feret, celsóque cacumine Pindo*
*Æmula mirantem propior ſpectabit olympum.*
*At tu cœlicolas inter ſedéſque beatas,*
B I G N O N I, *rutilum cœli complecteris axem*
*Integer, & latâ atherias mente incolis arces.*
*Nubiláque & Cauros & cæca tonitrua tutò*
*Deſpicis, & curas hominum miſeraris inanes.*
*Hic te æterna fouet ſummi ſapientia patris,*
*Nec quicquam neſcire ſinit, credendáque nobis*
*Sacra vides, recluſa patent myſteria regni,*
*Cœleſtéſque throni, & ſuperûm diuina poteſtas.*
*Exhibet hìc tibi ſe toto Prudentia vultu,*

*Et noſtris maiora docet conatibus, error*
*Quantus in humanis rebus; quàm lubrica celſos*
*Circum agat fortuna duces; quàm ſplendida fallax*
*Regna bonum, & quantis obnoxia ſæpe periclis*
*Purpura Sidonio metuat quos terret in oſtro.*
*Hìc tecum moderata forum, cùm roſtra teneres,*
*Tecum erepta ſolo æquatos examine lances*
*Alma Themis gerit, & fido ſe iungit alumno.*
*Hìc promiſſa Fides manſura gaudia vitæ*
*Donat, & auguſto ridens Clementia vultu*
*Gratuitas affundit opes, tibi plauſibus ingens*
*Aula fauet, fidique animam ſuper aſtra Miniſtri*
*Pacata regione locant, ſuperóſque Quirites*
*Inter ad æterna deducunt culmina lucis.*
*Hìc ſacer, & toto radiantis numine cæli*
*Plenus agit clarum ſuperatâ morte triumphum*
*Spiritus: hìc partam Chriſti virtute ſalutem*
*Libat ouans animi; alatæ latus vndique turmæ*
*Cingunt, pérque choros rerum deuota parenti*
*Carmina inaudito modulatur Muſica cantu.*
*Hìc Regum cernis trabeas, cæloque receptos*
*Heroas;* CAROLIque *tui veneranda tueri*
*Ora potes; noſtris pietas quo vindice terris*
*Creuit, & armatam domuit qui legibus Arcton,*
*Dum ſuperis terras, Aquilis dum Lilia primus*
*Iunxit, & Imperij Regno ſociauit honorem.*
*Hìc Caroli ſtirps tota oculis offertur, & altum*
*Perpetuis latè radiis illuſtrat olympum.*
*Hìc læto* CAPEVINGA *domus ſplendore coruſcat,*
*Continuáque Duces ſerie, Regúmque nepotes*
*Et Regum tibi ſiſtit auos; hìc lucida fulget*
ROBERTI *probitas, ſanctis* LVDOVICVS *in armis*
*Eminet, & nitidis meritum caput inſerit aſtris.*
BORBONIIS *rutili collucent ignibus orbes,*
*Et belli paciſque ſimul ſtat laudibus ingens*
HENRICVS, *patrióque tumet* LVDOVICVS *in auro.*
*Emicat hìc ordo Procerum, Patrêſque togati*
*Sidera ſumma tenent ac toto vertice denſas*
*Tranſcendunt nubes, & gaudia pura capeſſunt.*
*Hìc magno* SERVINO *hæres; Collega* TALÆO
*Iungeris; & vita celebres & morte* THVANOS
*Conſpicis; hìc ſocio* PVTEANOS *lumine luſtras*

*Obuius, & teneris omnes amplecteris vlnis.*
GROTIVS *hic tecum, & culto* SARRAVIVS *ore*
*Inter* SEGVERIOS *degunt, clarúmque* MOLÆVM.
*Hic* BIGNONE *tuus ſuperos* PEIRESCIVS *axes*
*Metitur, rerúmque obitus ſpeculatur & ortus.*
*Tyndaridæ gemino concordes ſidere fratres*
MEMMIACI, *leníque nitet* RIGALTIVS *igne.*
*Hìc patriæ* IANNINVS *honos, princépſque Senatus*
HARLÆVS *iuncti* VERDVNO *mollia ducunt*
*Otia, ſacrorúmque pios reſpirat amores*
VÆRÆVS, *doctique comes facunda* MAGISTRI
*Lingua venit, roſeóſque gerunt poſt nubila vultus*
SILLERII *fratres, & quis memorare canendo*
*Tot decora, & ſeris illuſtria nomina faſtis*
*Debita complecti numeris queat? antè tumentis*
*Oceani aduerſo ſurgentes littore fluctus*
*Ille mihi, aut Libycas citiùs numerarit arenas.*
*Hæc inter* BIGNONVS *agens conſortia dulci*
*Paſcitur ambroſia, & genuini nectare fontis.*
*Illum ſemideis medium, latíſque vagantem*
*Cœtibus immixtum, & felicia regna tenentem*
*Ætheреæ admiſere faces. Huic ſidere ab omni*
*Ceditur; Arctoas cupienti viſere partes*
*Vrſa locum, ac vltro facilis ſtellata Bootes*
*Plauſtra dabit: ſeu feruentem tranſlatus in Auſtrum*
*Oppoſitas luſtrare plagas, antarcticus axem*
*Quà polus arentem, & nimio loca torrida ſole*
*Aſpicit, acceſſiſſe velis tibi Sirius ignes*
*Ipſe ſuos, aurúmque ſuum tibi nobilis Argo*
*Tranſmittet, mitique Orion vertice luci*
*Aſſurget* BIGNONE *tuæ: ſeu ſigna tueri*
*Zodiaci, obliquo medium quâ circulus æthra*
*Diuidit, ac anni diſtinguit tempora tractu,*
*Mens aueat, tibi non Aries, non horrida Tauri*
*Cornua, non ſidus ſocio cum Caſtore Pollux,*
*Sed pulchram Erigone feſſo dabit optima ſedem.*
*Inde reges ſeruatæ æqualia pondera libræ,*
*Et paribus cum nocte diem diſcernere metis*
*Iuſſus, præcipiti neque preſſas frigore terras*
*Conſtringes, ſeros neque tellus ſentiet æſtus;*
*Inter vtraſque vices medio tutiſſimus ibis*
*Tramite, & innocuo percurres ſidere cœlum.*

*Hic quoque iuſtitiæ Myſtes, iuríſque ſacerdos,*
*Sacra feres Themidi, trutinámque examine certo*
*Librabis: ſic officij ſimulacra prioris*
*Perdurant vitæque manent exempla peracta.*
*Nos votis,* DILECTE DEO, *comitamur euntem*
*Quò te fata vocant, non hîc commenta Quirini*
*Patris & occiſi veneramur Cæſaris aſtrum.*
*Mortales natura creat, ſed viuida virtus*
*Eripit imperio necis & cæleſtibus æquat*
*Quos ſemel eſt dignata. Nec aſſentatio vilis,*
*Nec regni metus, aut crudelia iuſſa tyranni*
*Immeritas donare vlli, meritáſve negare,*
*Quem rapuit Libitina, queunt poſt funera laudes.*
*Nos tibi libertas quos recti conſcia iuſſit*
*Reddimus, & iuſtos tantùm ſacramus honores,*
*Poſtquam liuor edax, viuos qui rodit iniquis*
*Dentibus abſceſſit, ſtimulóſque in morte reliquit.*
*Te primùm,* BIGNONE, *tuis canit integra curis*
*Gallia, & in medij foribus tibi digna palatî*
*E ſaxo monumenta ſtruit, ſtatuámque merenti*
*Erigit effigiémque locat meliore metallo.*
*Facundas* SORBONA *tuis accommodat artes*
*Elogiis, illic Tyrio te inſignis in oſtro*
*Rector, & argutâ collaudant pulpita voce.*
*Pieridum te docta cohors, qua Gallica conſtat*
*Præſide* SEGVERIO *cultis Academia mœrens*
*Verſibus extollit, priſciſque heroibus addit.*
*Nuncius huc rerum domina qui venit ab vrbe,*
*Ingentes illic tumulos, & vaſta parari*
*Mauſolea refert, poſitóſque ex ære coloſſos*
*Auſonij lacrymas aris, & carmina templis*
*Inſcribunt Patres, celſaque in ſede Quirini*
BIGNONVM *æterno celebrant capitolia cultu.*
*Sunt etiam in Batauis, velox vbi Tethyos vndis*
*Rhenus & oceano Vahalis coniungitur, æqui*
BIGNONO, *gnarique chelyn pulſare canoram.*
*Hic ſtilus & Latiæ excellit facundia linguæ,*
*In numeros & docta ferax præconia, ſolers*
*Iam Lugdunenſem declamat Rhetor ad aram,*
*Non veterem & priſci memoratam vatibus æui,*
*Sed noſtram, quam Belga tenet, quam pulcra iuuentus*
*Inſidet, & variis veniens miratur ab oris*

Hîc tua marmoreis inſcribit nomina tumbis
HEINSIVS, & ſoluit laceros Elegia capillos
In laudes fœcunda tuas, hîc Voſſius amplam
Curat & ornatam myrtho tibi conſecrat vrnam.
Nos quamuis rapidus cis Rhenum diuidat Iſter,
Quantum quiſque poteſt, tantum conamur & vni
BIGNONO ingenium, viréſque impendimus omnes.
Et iam noſtra ſuis excudit carmina prælis
Alſatiæ caput ARGYROPE, quam ex omnibus vna
Vrbibus, excisis poſtquam migrauit Athenis,
Pallas amat ſedem, Phœbúſque Helicone relicto
Incolit, & Clarios hîc obliuiſcitur amnes.
Hunc retinet BOECLERVS, & illum tota dearum
Agmina, tranſlatáque ſequuntur ſede Camœnæ.
Hæc ætas tibi noſtra dicat, BIGNONE, ſed olim
Poſteritas maiora feret, ſeríque nepotes,
Inuidia procul & ſtudiis, quæ ſæpius obſtant
Iudicio, & denſa obuoluunt caligine ſenſus;
Cùm tua geſta legent, & ſupremi acta Senatus
Euoluent, memori reddent tibi debita cultu,
Præmia Pyramidéſque tuo de nomine dictas.
Serpente ornabunt hedera, lauróque virenti,
Sertáque donabunt conſcripti quercea Patres,
Et tua pro roſtris ſolito ſplendebit imago
Clarior: hanc quondam tenera cum pube iuuentus
Suſpiciet, mirata decus, curſúque citato,
Hæc eadem vt faciens eadem ferat, ibit in altum,
BIGNONIque lubens veſtigia ſumma ſequetur.
Hîc illi clypeus gemmis diſtinctus & auro
Fulgebit, medios titulis implentibus orbes,
Quos pietas obſtricta dabit, quos ſedula ſculpet
Praxitelis manus, & ferro cœlabit acuto:
BIGNONO in terris victurum nomen adepto,
Ob merita & cauſam Regis, Regníque ſalutem
Peruigili defenſam animo, facienda Senatus
Gallicus & Populus fidei hæc monumenta locarunt.
Cetera in Annales ibunt deſcripta vetuſtos,
Traditáque hiſtoria ſerò ventura docebunt
Secula, & hoc patrio ſignabunt nomine faſtos.
Huc omnis ſe turba Deûm conuertit, & vni
Militat æqua viro; cum Gorgone Pallas & haſtâ
Aduenit, & Delphis oracula mittit Apollo,

*Arcanóque animat firmatos numine vates.*
*Atlantis Tegae nepos, tibi fama iubenti*
*Paret, & immenſum laudes diffundit in orbem.*
*Alma Ceres terram, cum ponto flumina Nereus,*
*Iuno auras, longi ætatem ſcriptoribus æui*
*Pandit ſupremus Diuûm pater atque hominum rex.*
*Non ferro Gradiuus atrox, non Mulciber igne*
*Præclarum conſumet opus; Cytherea maritum*
*Placabit, ſæuúmque patrem: ſeruataque doctis*
*Gratia perpetuos chartis durabit in annos.*
*Non Chronus hanc ſegnis minuet, non triſtia pulſi*
*Sidera Saturni, nec edax delere vetuſtas,*
*Non illam implacido fumantia tartara Diti,*
*Non furiarum abolere minæ, nec iniqua ſororum*
*Stamina tam pulchros poterunt violare libellos:*
*His genium vitámque dabunt, pia numina, muſæ*
*Æternáque tegent redimita volumina lauro.*
EGREGII FRATRES, *ac illo digna parente*
*Progenies, teneros ſenſim dediſcite fletus,*
*Sit lacrymis iræque modus, tacitóque dolori.*
*Veſtrûm* ALTER *rerum è mediis ſolatia curis*
*Vera petat, decoríſque memor, vitæque paternæ,*
*Fortunæ ingentes animos opponat & auſus.*
*Officij quò iura vocant, quò iuſſa Senatus,*
*Quò Regis mandata trahunt, patriæque rogantis*
*Ducit amor proferre pedem, nulláſque morari,*
*Quas ſcelerum rabies, aut ſors inimica procellas*
*Obiicit, aut Genius dominantis ſuſcitat aulæ;*
*Eloquio mulcere Patres, ac litibus anſam*
*Eripere, atque fori ſolemnia iurgia legum*
*Comprimere imperio, & populi decidere cauſas*
*Grande ſibi pulcrúmque putet: ſic digna parenti*
*Iuſta ſuo fieri credat, ſic vera parari*
*Virtutis ſimulacra, patrem cùm filius îſdem*
*Artibus, & laude ingenij cùm ſiſtit eâdem.*
*At* MINOR, *& priuata gerens doctæ otia vitæ*
*Ignotos Arabum ductus, Chaldæáque voluat,*
*Et quæ priſca orbi monumenta reliquit Idume,*
*Quæ Pharus, & ſi qua eſt naſcenti conſcia Nilo*
*Gens abſtruſa tenet; quæ verba loquatur Araxis*
*Potor, & Armeniæ quæ barbarus accola terræ*
*Norit, & Aſſyriæ populos intelligat ora,*

*Cui ſueta eſt ſciuiſſe parum. Romana vetuſtas*
*Cui puero & vixdum iuueni ſapientia Graium*
*Excoluit viuacem animum; cui plectra Maronis,*
*Aſcraique ſenis, Samij præcepta Magiſtri,*
*Et quæ Zeno pater dedit, intonſúſque Cleanthes,*
*Quæ Plato Socraticis dictata notauit in hortis,*
*Et ſenſus, Stagira, tui, cui iura Solonis*
*Imberbi patuere. Cui quod Tullius ingens*
*Dixit, & Annæi grauior facundia quondam*
*Prodidit, à teneris iampridem innotuit annis.*
*Vos miſeris geminas vno pro lumine terris*
*Oſtendit natura faces, mens vna duobus,*
*Vnus amor, paribus ſtudiis, paria omnia fama,*
*Virtutíſque ambo fratres exempla paterna*
*Promittunt; & pulchra ſeges iam ſurgit in herbâ,*
*Votorúmque facit patriam, grataque potentem*
*Lætitia, firmúmque ſuo de ſtipite robur*
*Ducit, & illuſtri natorum in imagine totus*
*Reſpirat meliore ſui iam parte ſuperſtes,*
Subductúſque neci Genitor poſt funera viuit.

## VIRO NOBILISSIMO atque ampliſſimo Domino Io. ALBERTO PORTNERO, Reip. Ratiſp. Conſiliario meritiſſimo.

INCIPE *Muſa virum lugubri promere cantu,*
*Quo ſe adeo fortis iactabat Gallus alumno:*
*Qui famâ Oceanum, Lunæ confinia mente*
*Atque etiam noſtras ingenti nomine terras*
*Attigit. Ille quidem nullo mihi cognitus vſu.*
*Nec facie, virtute tamen rebúſque patratis,*
*Et dictis (*PORTNERE*) tuis, heu flebilis orbi*
*Francia! totne tibi ſubducunt lumina Parcæ?*
*Tot claros cecidiſſe viros? nexúque malorum*
*Funera funeribus ſuccedere, triſtia fatis*
*Fata premi? quonam læſiſti crimine Diuos?*
*Non tibi hîc pridem merita vir laude receptus*
*Philoſophos inter proceres, adſcriptáque cœlo*
*Nomina, quod radio populis deſcripſerat ille,*
*Occidit, & totum induxit caligine Pindum.*

*Proh ſuperi! quæ tum lacrymæ? quos Dinia queſtus*
*Effudit, diſcincta comas, velamine ſciſſo?*
*Spectatrix dedit ipſa mali Lutetia planctus,*
*Porticus inſonuit gemitu, fleuere Camœnæ,*
*Sequana contraxit fluctus, tumulúmque recentem*
*Allapſus fremuit: cupiátque auertere curſum,*
*Nî ruituro altas opponant littora moles.*
*Nunc quoque ſe inuito genius tuus eripit orbi:*
*Namque erat is verè genius tuus: ille ſalutis*
*Præcipuum monſtrabat iter, ſeu tempora pulcra*
*Annueret Fortuna togæ, ſeu poſceret arma.*
*Viſáque dum cœlo nimium turgeſcere tanto*
*Gens Braccata bono, propria hæc ne dona manerent*
*Præſtat, & egregium repetit per funera pignus.*
*Heu probitas! heu iuris amor, conceſſaque paucis*
*Priſca fides! vbi nunc generoſa modeſtia vultus,*
*Eloquij ſublime decus, vis blanda mouendi*
*Senſu virûm, placidóque vndantes melle lepores?*
*Cuncta ſilent? prodéſtque nihil, tot pectore rerum*
*Euentus, tot iura hominum, ſecretáque quondam*
*Sceptrigeræ tenuiſſe domus, artémque tremendi*
*Cuſtodem ſolij? celſæque mentis amica*
*Non ſua proiecto reſerat penetralia vulgo.*
*Atqui equidem tantus fatis melioribus heros*
*Dignus erat: metas tranſcendere debuit æui,*
*Aut aliquem ſe ferre Deum, cœlóque reponi.*
*Si quis iudicio grauis, & virtutis honoræ*
*Conſpectus, ſtolidæ fugit contagia plebis:*
*Si meritis ornare togam, ductare Senatum*
*Conſilio & Regem potuit, ſi dicere iura,*
*Emendare fori tabem commentáque linguæ*
*Venalis, (commune malum) ſtudiiſque tueri*
*Rem populi, & multis caput obiectare periclis;*
*Is* BIGNONVS *erat: teſtis ſacer ordo Senatus,*
*Curiáque, & magni facies mœſtiſſima Regis,*
*Geſtatæque inſigne togæ, & tot mille clientes:*
*Nunc iacet, ac placidâ compoſtus pace quieſcit.*
*Quis (modò dum gerat humanos in pectore ſenſus)*
*Hîc teneat lacrimas? cedens Iber ipſe doloris*
*Vi magni, iniuſtos ſentit prorumpere fletus,*
*Inuitiſque frequens contundit pectora palmis.*
*Aſt vrbs Borbonij cuſtos fidiſſima Regis*

*Vrbs,*

Vrbs, cui par nulla eſt, luctu grauiore tenetur,
Quippe viro ſpoliata ſuo, cultúmque relegat
Qui lætam decorare ſolet, mœſtámque cupreſſum
Ædibus inducit. Circumſtant nobile funus
Pullati proceres, & quos dum fata ſinebant,
Florenti propior ſociarat nexus amoris.
Nec vulgus lacrymis parcit: iuuenéſque viríque
Impatiente fremunt luctu, accensíque dolore
Bacchantur, totámque vrbem ſingultibus implent.
BIGNONVM vox quæque ſonat: circum alta remugit
Lupara: funeſtus ferit aurea ſidera clamor.
It ſonus, & gliſcens terras atque æquora ſubter
Fundamenta quatit: ſentit Prouincia murmur:
Iura tremit: dubius timet vltima quæque Tulingus:
Sequanicus ſtupefactus Arar iam lene meandum
Haud cenſet, neque celat vtram nunc vrgeat vndas
In partem, penitíſque furens turbatur arenis.
Non is luctus habet gentes, quas continet amplum
Elyſium: accepti circumdant hoſpitis vmbram:
Pars inſigne viri decus admiratur, & oris
Proſequitur ſpeciem vultu, totúmque pererrat
Lumine: pars vocum pulſat diſcrimina plectris,
Exercétque cohors & cantibus æthera mulcet.
Iam GROTI lætare: tuum tibi reddit amicum
Mors facilis, ruptáſque olim dat iungere dextras.
I, tende aduerſum, caro da vincula collo,
Necte genas: non te toruo vetat Æacus ore.
Tecum Galli adſint, quorum ſapientia laudes
Orbe vehit, ſtelliſque altè rutilantibus infert:
Illuſtres animæ veſtro date brachia circum
BIGNONO, ex innectis dulcem præcingite frontem
Floribus & longos ſocij gaudete per annos.
Vos animam interea, Celtæ, decórate ſupremo
Munere, & has ſaltem pro factis reddite grates.
Erigat æternum marmor ſublime ſepulchrum:
Relliquias inferte viri: perſoluite iuſta:
Manibus aſportate roſas, & flore recente
Accumulate locum, & flori ſuperaddite carmen:
Hîc ſitus in modico tectus BIGNONE ſepulcri
Marmore, quem totum totus vix ceperit orbis.
Ipſe ſub hac decori ſacrabo carmina veſtro,
Et quia non oculis licuit (ſic fata tulere)



Digitized by Google

*Mente ſequar, ſolóque animos in nomine paſcam.*
*Et quando, ô Superi, vobis expellere tantum*
*E viuis heroa ſtetit, nec rumpere fata*
BIGNONVS *potuit; ſaltem ſeruate* THVANVM
*Incolumem: maneat ſenio florente ſuperſtes*
BVLLIALDVS, *veneréſque meras qui fundit ab ore*
MENAGIVS: *multa* CAPELANVS *luce fruatur:*
*Sis ſoſpes* PVTEANE *tuis, duréſque ſenectâ,*
*Párque* VALESIADVM *ſuperet ſua tempora fratrum.*
*Hos ſeruate Dij: ſunt his quoque nomina magna*
*Et magnum decus: hos olim ſpectiſſe iuuabit.*
*At tu quem fugimus, qui nos fugis, euge ſolutus*
*Corporeo requieſce iugo: tibi meta laborum*
*Grata venit: partémque tui ſibi vendicat vrna,*
*Pars erepta neci pelagúmque ſolúmque peragrat*
*Laude tui, populiſque altæ ſimulacra reuelat*
*Virtutis, ſi qua inueniat, qui talia tendant*
*Fata ſequi, paribúſque auſis ad ſidera ſpectent.*
*O felix anima! ô felix, cui præmia virtus*
*Tanta parat: magis atque magis tua gloria fata*
*Vincet & extremas perſtringet lumine gentes.*
*Te memorabit atrox inter conuiuia Dacus,*
*Implebit tua fama Getas, neque Bactra latebit*
*Vltima, nec fuſcis erit ignorata Moluccis.*
*Te quocumque velis æuo, quacumque moueri*
*Parte poli, ſtellam ſtellis fulgentibus addent*
*Numina, formoſaque dabunt igneſcere luce,*
*Et patriam ex alto ſemper ſpectare relictam.*

Digitized by Google

# IN OBITVM

## ILLVSTRISSIMI VIRI D. D. BIGNON

Comitis Conſiſtoriani, & Regis in Suprema Curia Aduocati Catholici

### ELEGEIDION.

*PLANGITE Rectores Legum, lugete Clientes,*
*Quem meritò lugent quotquot in orbe boni.*
*Iure licet memorem lacrymis explere dolorem,*
*Aſſiduè erumpant more perennis aquæ.*
*Ille, ſtupente Themi, ſic Gallica Iura regebat,*
*Crederet vt quiſquis Iuris adeſſe Patrem.*
*Eximius recti cultor, ſeruator honeſti,*
*Spes miſeris fulſit, præſidiúmque bonis.*
*Noſtra perorantis mirata eſt Gallia linguam,*
*Nec forſan meliùs dixerit ipſa Themis.*
*Ante oculos ſtetit hinc pietas, hinc neſcia flecti*
*Sincera vt Regi, ſic populiſque fides.*
*Aſtrææ monſtrante viam ſuper aſtra coruſcans*
*Tranſit, vbi meritis digna corona datur.*
*Hunc cœlo HEROEM merito ſic iure locarunt,*
*Iuſtitia, & conſtans cum pietate fides.*

I. THEVART Doctor Med. Pariſ. & R. M. mœrens canebat, die 9. Apr. 1656.

## Ad Parentalia Clariſſimi Viri HIERONYMI BIGNON Regij Aduocati Catholici

### EPICEDIVM.

*NOndum MOLÆI reſides ex funere acerbo:*
*Cogimur heu! lacrymis ora rigare nouis.*
*Haud pridem ante pari mentem cruciata dolore*
*Noſtra parentarat Muſa, TALÆE, tibi.*
*Tertius ecce vocat nos ad lugubria rurſum*
*Funera BIGNONI caſu; & atra dies.*

*(O ſæuum noſtri curſus, crebrúmque procellis*
*Æquor! vt hoc duris mortibus horret iter?)*
*Ille bonus felixque tuis (Academia) rebus,*
*Et mihi (propter te, credo,) benignus erat.*
*Sed quis non, magnus te vir vehementer amauit?*
*Abiecta eſt anima non ſtuduiſſe tibi.*
*Auguſti ad Patres conſcriptos ille Senatus*
*(Reddit vbi ex adyto iura ſuprema Themis)*
*Regius Orator, vita non ſegnis honorem,*
*Summo virtutis geſſit honore grauem:*
*Nec virtute modò (vera eſt ſine lumine Virtus*
*Nulla, niſi in plebis ſimplicitate rudi)*
*Sed claro ingenio, doctrinaque ignibus auxit:*
*Nec viuo in terris doctior vllus erat:*
*Tantáque in exili miracula corpore cernens,*
*Nemo non animis obſtupuiſſet hebes.*
*At quàm humiles de ſe ſenſus, ſibi vilis, habebat?*
*Magnis verè animi maximus ille bonis.*
*Iam quis facundos celebret,* BIGNONE, *lepores*
*Neſtoreo fuſos dulciùs ore tibi?*
*Curia, cum Patribus; populoſa frequentia ſeptis*
*Circumfuſa loci; Gallia tota, canat:*
*(Quis non affluxit? cui non tam ſæpe, tot annos,*
*Auditus doctâ voce replere forum?)*
*Partem aliquam (Docti) noſtras referatis ad aures,*
*Per me poſteritas inuidioſa rogat:*
*Quos nodos, & quæ tenebroſa ænigmata Iuris*
*Ille reſoluebat, litigiique dolos:*
*Quæ, quibus, aut Populi, aut Cleri, bella ille gerebat,*
*Aut Fiſci, vitiis, integritate potens:*
*Tum quid de ſummâ patriæ regnique ſalute*
*Extremo cantu dixerit albus olor:*
*Et quâ clade forum Patréſque (ò tempora!) & omnes*
*Mortuus afflictos liquerit ipſe Bonos.*
*Namque erat illius defleri digna per Orbem*
*Per ſe iam virtus, eloquiique fides.*
*At quoniam quaſi murus erat; quaſi Agrippa Quiritum*
*Et Regi & populo, Iuſtitiæque tenax:*
*Ecce, vt deuixit, clades horrenda repente*
*Accidit: (hiſtoriæ credere parce, Pudor)*
*Sic antiqua ruit quercus, ſic illa ruinam*
*Ex alto ingentem monte caduca trahit.*

Digitized by Google

*Plange ſuper fato hoc, Academia; plange, Senatus,*
*Plange, arbor cecidit, Gallia tota, tibi.*
*At quibus heu! tanti tot planctus inter, Amici*
*Priuatim ad funus conquerar ipſe modis?*
*Optandum mihi nempe foret, doctiſſima Muſas*
*Verba ex colloquiis poſſe referre viri:*
*De veteri Canonum inprimis (Eccleſia) Iure:*
*De diſciplinâ Conciliiſque tuis:*
*Quo vero ſplendore, tui & virtute, Miniſtri*
*Sedibus in propriis munera quique gerant:*
*Quâ pleriſque noui Iuris, Clerique, medelam,*
*Fas modò ſit vitiis, lege viâque dari.*
*Hoc dicam: inuidiâ licèt infrendente virorum*
*Ad quos hac ſpectat Iura docere palàm:*
*Nemo adeò verſatus in his; taléſve repertus*
*Sermones vſquam texere poſſe mihi:*
*Quos ſimul atque Scholâ videas; Iuriſve forenſis*
*Finibus egreſſos exeruiſſe caput:*
*Ad quoſvis Canones, quævis oracula priſci*
*Caligant Iuris mox, reuocántque gradum:*
*Cum rudibus quaſi diſcipulis res omnis agenda:*
*Certa venit rerum quæque probanda fides:*
*Lex illis, Schola ſola, etiam virtutis auita:*
*Diuini Iuris, mens ſua ſola, Canon;*
*Quin apud hos plerumque nocet ſermonibus vti*
*Talibus, & mores excoluiſſe Patrum.*
*Coniicio iam quanta mihi, te, Gaza, reperto,*
*B*IGNONE*, obtigerat; quámque beata dies!*
*Ius erat vrgendum tenuis, mihi lite, Decani;*
*(Inter Apollineos iúſque locúſque choros)*
*Ad te adij, Aſtræam ſemel implorare coactus;*
*Ius mihi ſeruatum, victáque cauſa fuit.*
*In mediâ iam luce fori, te orante, libellum*
*Fortè meum audierat laude,* TALÆE*, dari:*
*(Multiplicem contra, edideram quem nuper auari*
*Militiam Cleri, multiplicémque gulam)*
*Regius hic tùm me vir magno amplexus amore eſt*
*Admiſitque ad opes largiter ille ſuas.*
*Felix certamen! felix, vota omnia præter,*
*Litigium! ex ſpinis vua merúmque meis!*
*Attamen hunc nos te exanimem* BIGNONE*, videmus;*
*Extinctum hoc lumen, lingua, capútque tacet.*

*O mihi mors! ô quantâ tuæ iactura Mineruæ!*
*Regnóque, & ſtudiis dura ruina meis!*

Cl. De la Place P. Rectorius, Nationis Gallicæ Decanus in Vniuerſit. Pariſ. M. DC. LVI.

## *F. I. FRONTO C.R.*

*HIERONYMO BIGNONIO IN AVDITORIO Pariſ. Aduocato Regio & publico, eiúſque Fratri,*

H. FF. S.

IN acerbiſſimo caſu quem hiſce diebus paſſi eſtis, qui Senatum Pariſienſem, Galliámque totam vnà cum Domo veſtra luctu impleuit, tanto ipſe dolore perculſus ſum, vt mihi ereptam lucem, mihi abſciſſum gaudium, omnémque Litterarum amorem in me penitus extinctum exiſtimauerim. Cúmque ab libris nonnihil conſolationis pro more quærere cogitarem, ſquallere ipſi mortuo Bignonio, & ab oculis, quos aliàs recreare ſolebant, lachrymas extorquere viderentur. Vix fletus exterſeram quos Illuſtriſſ. Matthæi Molé dira mors prouocauerat; vix mœſtitia ex amiſſo clariſſimo Patrono concepta elanguerat, & aliquantam remiſſionem (finem enim nunquam poteſt) acceperat, cùm altera mors æquè dura, reíque publicæ æquè funeſta, Litteratis autem omnibus non minùs luctuoſa nobis annuntiata eſt. Mihi certè religio ſit lachrymis, & gemitibus in hoc caſu modum velle imponere: quin potiùs & vobis, & ciuibus veſtris, & Senatui Pariſienſi toti luctum ſuaderem, ſi me authorem habere vellent: Virum enim multorum ſæculorum amiſimus, cui nec ea quæ præceſſere parem, nec quæ ſequentur ſimilem facilè dabunt. Qui vnus loco plurimorum ſit: quo ablato in ſolitudinem redacti videmur. Quòd ſi longa in luctu perſeuerantia, & implacabilis dolor aliquando excuſationem meruere, maximè amiſſo Bignonio. Qua in re, quid primum lugere debeam non inuenio: an Regni calamitatem, cuius columnæ concutiuntur? an Senatus Pariſienſis iacturam, cuius os & lingua, & ferè anima ipſa comprimitur? an reipublicæ Literariæ noctem quandam, cuius Sol ipſe, & caput, & princeps extinguitur? an verò priuatum dolorem veſtrum, qui Patrem optimum, Docto-

rem domeſticum, & familiarem quidem, ſed ſapientiſſimum, qui familiæ columen clariſſimum, morum magiſtrum prudentiſſimum, amiſiſtis? Quamquam in his omnibus, quid eſt vobis quod peculiare, & non cum aliis commune ſit? Patrem ſcilicet optimum ablatum doletis. Quis clientum, quis miſerorum, & inopum illum tamquam Patrem non adiuit, non ſenſit, non laudauit? Vt mihi quondam Vir ille magnus, cuius aurea effata penitus animo infixa ſunt, dixerit, quendam à ſe præferri nobiliſſimis aliis quos commendatum iueram, *iure miſeriæ, & priuilegio paupertatis*. Qui ſic erga infimos & mediocris conditionis homines animatus eſt, nonne is omnium pater eſt? & indidem venit quod vt nemini deeſſet, numquam labori pepercit: valetudine ſemper infirma ab aliquot annis vſus: nec vita curæ illi fuit, niſi vt pluribus ſuccurreret. Ingemiſcitis abſtractum à vobis Doctorem ſapientiſſimum & aſſiduum. Ita eſt. Illum nempe qui orbem ipſum docere potuit, & verè docuit: qui ſæpè mirante Rege, plaudente Senatu, toto conſeſſu ſtupente in Auditorio Galliæ diſſeruit. Quem Richeleius Dux, ſtupor ille regni & orbis, nomen pridem mundo ſacrum, regum terror, ingeniorum acerrimus inſpector, ponderatórque meritorum ore ſuo laudauit, cuius eloquentiam ſuſpexit, eius dicendi vim expertus, & omnium qui in Literis florerent, doctiſſimum confeſſus. Amiſiſtis præterea familiæ columen præclarum: Verùm ex quo in collegio Regiæ aduocationis admiſſus, & in nobiliſſimo illo Triumuiratu qui noſtris temporibus mirum in modum claruit, Senatúmque Pariſienſem ornauit, Talæi, Molæi, Bignonij, celebratus eſt, multáque cum luce enituit; ex quo orationum ſuarum varia & multiplici eruditione, conſiliorum pondere, ſententiarum grauitate, vitæ innocentia Regno affuit, ſéque illi deuouit, non vnius deinceps, ſed omnium familiarum & vrbium, totiúſque Galliæ firmiſſimum columen, luménque clariſſimum habitus eſt. Vt nunc ſe Gallia maximo ornamento magnanimóque defenſore orbatam conqueri poſſit, & deſtitutam. Denique Chriſtianarum virtutum exemplum ſplendidiſſimum, morúmque magiſtrum prudentiſſimum perdidiſtis. Sed cui Vir ille magnus ſua modeſtia, ſanctitate, integritate, conſtantiâ non præluxit? Quis in religione Chriſtiana ſtrictioris obſeruantiæ ſectator Bignonij pietatem non miratus eſt: eiúſque veſtigiis inſiſtere non pro magno honore habuit? Nonne ab ipſo & qui in Clero, & qui in laicis, & qui intra clauſtra cohibentur multa didicere, non ad ſcientiam tantùm, ſed etiam ad diuinum cultum pertinentia? Et ſi Bignonio non abſimiles fuiſſent cæteri Catholici & Romani, in noſtras

partes dudum heterodoxi conceſſiſſent. Sed quid hîc Literatorum dolorem perſequar? inter quos ſic eminuit, vt SCIENTIARVM REX ab omnibus haberetur. Quàm latè fama doctrinæ illius peruagata eſt, (quò autem vſque non peruenit?) tam latè mortis eius luctus ſe extendet. Nec in Gallia ſolùm, ſed in Italia, Hiſpania, Hollandia, Germania, Sueuia, Anglia, & vbique terrarum, & vbique locorum, ſi aliquid hominis ibi erit, Bignonius deflebitur, & inter fletus omnibus ornamentis, omnibus titulis, omnibus honoribus, quos pietas inſignis, rara eruditio, vitæ integritas, patriæ amor meruere vmquam, condecorabitur. Itaque habetis ſocios luctus veſtri tot ferè quot orbis habet incolas; pauperes imprimis qui apud ipſum primum locum tenuere; Reges & Principes, quos ſummè veneratus eſt, & quorum iura magna cum authoritate aſſeruit; Senatum Pariſienſem, in quo velut ſydus ſplendidum multos annos effulſit; Galliam totam, cuius gloriæ & ſaluti dies ſuos deuouit; Literatos omnes quos doctrina ſua maxima, ampliſſima, accurata in admirationem & amorem ſui pertraxit; denique quotquot hominum ſunt qui eum norunt, quos benignitate & comitate ſua ſibi deuinxit. Quæ ſi parum efficacia videbuntur, vt conſolationem aliquam vobis afferant, fatebor dolorem veſtrum non aliunde quàm à vobis ipſis remedium accipere poſſe. Cùm enim eius doctrinæ, pietatis & amoris erga patriam participes & ſucceſſores ſitis, apud vos ſolos non omninò Bignonius extinctus exiſtimandus eſt, qui ſpiritus illius reliquias, documentorum memoriam, egregiorum facinorum venerationem, morum ſimilitudinem, tamquam hereditatis veſtræ portionem longè præcipuam, & patrimonij fundum vberrimum conſeruatis. Quænam autem me in participationem & ſocietatem luctus veſtri compulerint, pauci ignorant. Et vos ipſi cumprimis ſcitis, qui vidiſtis quàm familiariter ipſum conſuluerim, quàm iocundè diſſerentem audierim, quàm ſæpè ipſum in dubiis adierim, quàm benignè ſemper ab illo exceptus ſim: vt eo amoto vix quicquam cum literis deinceps commercij habere libeat. Ciiùs fortè doloris mei monumenta vobis miſiſſem, aut etiam palam edidiſſem, niſi mihi abſenti, & procul ab vrbe Pariſiorum poſito in pago Andegauenſi, mors illa luctuoſiſſima nuntiata eſſet. Continere manum non potui, quin ſaltem Epiſtolâ mœrorem meum veſtro coniungerem: quæ ſi multa habet parum eleganter ſcripta, nec luce digna, memineritis quæſo ab animo mœſto & pæne deiecto nihil elegantis, & ornati poſſe produci. Hoc tamen affirmare auſim, æternam fore apud me Bignonij memoriam, & amorem perpetuum: in hæc enim, quamdiu viuo, mors nihil iuris habet:

Vóſque

Digitized by Google

Vóſque illius filios quibuſcumque ſtudiis & officiis me proſecuturum iuro. Valete.

*Datum in Prioratu S. Germani de Benaio Andegauenſi pago,* XIII. *Kalendas Maias, A. D.* MDCLVI.

---

# LESSVS

## In obitum perilluſtris & incomparabilis viri D. D. Hieronymi Bignonii Comitis Conſiſtoriani & in Principe Senatu Aduocati Catholici

ERVMPE *tandem liber in gemitus dolor?*
*Datum eſt ſtupori iam nimis diu tuo.*
*Impar age tanto Funeri, omnes explica*
*Cordis receſſus? loquere qui dudum ſiles?*
*Et voce caſſâ,* REGIÆ *ſilentia*
*Acerba* VOCIS *omnibus bonis dole?*
*Dixiſſe Gallis haud enim ſatis foret,*
*Deſlenda ſuperat orbitas mortalibus*
*Hæc vna cunctis, terra quos ſinu tenet.*
*Ecquid moraris? nimius an ne ſis times?*
*Violéſque Legis Iuſta Funerariæ?*
ASTRÆA *Sortis ipſa dum memor ſuæ,*
*Laribus relictis triſte Iuſtitium indicit,*
*Quò tibi vacaret tota, muneri deeſt.*
*Tenere Cauſa tam grauis modum vetat:*
*Priuatus iſte conuenit nec Publicæ*
*Luctus Ruinæ, diuidendus ſingulis.*
*Auguſtioris ſanctius Numen fori*
*Terras reliquit, ille Terrigenûm decus,*
*Et ſi Penates nominatim fas Deos*
*Vocare, votis conſecratus Cælitum,*
*Ereptus ille eſt Inclytus* BIGNONIVS
*Diuinioris Corculus ſapientiæ,*
*Vnáque diues ac inexhauſtum penu*
*Qui rarioris litteraturæ cluit,*
*Promúſque condus Eruditionis perit.*
*Interpres ille Iuris, & Legum Arbiter,*
*Spirans ſtupendæ Mnemoſynes ſacrarium,*
*Acriſque nexu iuncta Iudicij ſimul*
*Vis inſolenti, periit heu nobis quoque.*



Digitized by Google

*Tantùm patebant tam breui corpuſculo*
*Scientiarum plena latifundia.*
*Tantùm premebat molis exigua ſinu*
*Virtutis ille ſplendida, conſors Deûm:*
*Humilique ſenſu mentis egregia bona*
*Celabat ore, laudis impatiens ſuæ.*
*Fecere ſed hunc facta quam Diuis parem,*
*Tulere fata: neu dehinc liceat queri.*
*Lugere namque iuſtus haud dolor poteſt,*
*Miſeros reliquit, factus hinc beatior:*
*Doluiſſe rebus huius, inuidentia eſt:*
*Suis at humanum affici quemque eſt malis.*
*Ita quô dolemus gaudet æternum, Cruce*
*Cùm gloriari ſola quam cuperet ſibi*
*Gloria fuiſſet, pectori perenniùs*
*Inſcripta, fuſo quàm ſit ære Stemmati,*
*Sanctior Auito digna quæ titulum daret*
*Pietas Sepulchro, dignior qui viueret*
*Meliore vita: ſic datum votis frui,*
*Vbi vita Mors eſt, dulce Chriſto commori.*

*Ampliſſimo illuſtriſſimóque viro* HIERONYMO BIGNONIO, *in ſupremo Senatu Pariſienſi Patrono Regio: Et* THEODORICO BIGNONIO, *eiuſdem Fratri clariſſimo.*

## P. PETITVS S.

LVGERE parentem veſtrum (VIRI CLARISSIMI) omnium intereſt qui ſtudio, & amore ducuntur liberalium diſciplinarum, ne dum meâ, qui eandem quam ille nactus patriam, imò & *παροικίαν*, inque ipſius, vt ſic dicam, conſpectu natus, atque eductus, virtutum eius admirationem, & cum ſpiritu cœleſti hauſiſſe, & cum lacte nutricis ſuxiſſe videor. Siquidem ab ineunte ætate BIGNONII laudes ita ſemper auribus meis increbruerunt, vt non temerè aliam virtutis ideam conciperem, niſi quam animo meo incomparabilis illius viri nomen impreſſiſſet. Quocircà ſi quid in litteris capeſſendis valent exempla, valent autem plurimùm, huius qualiſcumque mei in litteris profectûs magnam partem non dubitem tam inſigni exemplo acceptam referre. Hinc autem ratiocinari licet magnitudinem veſtram, alio-

qui clariſſimis iam facinoribus abundè perſpectam. Nam ſi vel ſola parentis veſtri fama tantum eſt aliis virtutis incitabulum, quis ſatis æſtimare poſſit felicitatem veſtram, quibus præter egregiam indolem domeſticum quoque illud exemplum contigit, quibus licuit os illud probum quotidie contueri, dicta eius aurea, *καὶ εἰς νοῦν ἀποκαταθέντα* excipere, præſentiâ denique frui, & conſuetudine eruditiſſimâ (vt quidem exiſtimo) omnibus Lyceis, omnibus Academiis potiore? Hæc non eò dico (VIRI CLARISSIMI) quò veſtros incendam luctus reputatione bonorum tantorum, quibus vos fatum ſpoliauit, ſed vt cogitetis, quanta ſit omnium de veſtrâ virtute expectatio, quantúmque ſitis reipublicæ nomen, quibus omnia ad ſummam laudem conſequendam neceſſaria, velut diuinâ virgulâ ſuppeditata ſunt. Magis excuſanda videretur tarditas huiuſce querimoniæ, niſi eſſet abſurdiſſimum, eum dolorem nunc ſerum, aut intempeſtiuum exiſtimari, qui erit in omnium bonorum animis ſempiternus. Hanc igitur vt boni conſulatis, communíque patrocinio tuemini, oro obteſtórque vos per eos manes, quorum in honorem eam & concepimus, & emittimus. Valete.

---

## In obitum HIERONYMI BIGNONII, Regi à ſanctioribus Conſiliis, nec non in ſupremo Senatu Pariſienſi Regij Patroni Viri ſummi,

### ELEGIA.

*HEI mihi! quid Muſis crudelia fata minantur*
*CELSE, quid ingeniis nunciat ira Deûm?*
*Queſtus eram, ſæuis orbem quatientibus armis*
*Otia deſpecto noſtra perire ſitu.*
*Nunc etiam, triſtes populantur funera ſyluas,*
*Mœſtáque Parnaſſi fletibus antra madent.*
*Aſpicis? Informes torpent formidine luci,*
*Deſerti fontes, plectra relicta ſilent.*
*Nuper SALMASIO poſitas marceſcere lauros*
*Vidimus, Aonides obſtupuiſſe deas,*
*Nec mora, depoſitum Polyhymnia planxit alumnum,*
*Planxiſti ſparſis túque Elegia comis.*
*En iterum ſacris GASSENDI in vallibus ingens*
*Errat, & attonitum territat vmbra nemus!*
*Nec tamen his duri ſtetit inclementia fati,*
*Aut Lacheſis tantis exſaturata malis;*

*Sed volucres impellit equos, grauiora minatur*
*Funera, terribilis non habet ira modum.*
*Fulgebat ſummâ Pindi* BIGNONIVS *arce,*
*Deliciæ Themidis, Pieridúmque decus,*
*Secli rarus honos, quo nec ſapientior alter*
*Ingenio maior, nec pietate fuit;*
*Vertit in hunc arcus furui Regina barathri,*
*Victima bacchanti non niſi prima placet.*
*O furor, ô tetricæ ſcelerata licentia diuæ,*
*O nimiùm ſummis inuida fata viris!*
*Ergò ferales viſit* BIGNONIVS *vmbras,*
*Auſáque tam clarum eſt tollere parca decus?*
*Auſa nefas tantum rapidi vis improba morbi,*
*Quódque homines ſemper, numináque ipſa gemant?*
*Occidit heu! lumenque fori, columénque Senatus,*
*Occubuit pignus Gallica Nympha tuum!*
*O vos antiquæ turres, decora ardua regum*
*Vndique quas liquidis Sequana pulſat aquis.*
*Regales titubate domus, ingentia legum*
*Templa, vbi dat populis iura verenda Themis.*
*Veſter honos cecidit, veſtrum (fas dicere) numen,*
*Ingenio certè numen, & eloquio:*
*Occubuit noſtri Neſtor dulciſſimus æui,*
*Defecit Suada blanda medulla deæ.*
*Hei mihi! cui pectus, Pylij cui Neſtoris ora,*
*Cur non vt Pylio longa ſenecta fuit?*
*Neſtoris & pectus, facundáque vicerat ora,*
*Debuit & Pylij vincere ſecla ſenis.*
*Debuit Euboicæ ſoles numerare Sibyllæ,*
*Ille fori vates, ille Sibylla fuit.*
*Debuit annorum Tithoni excedere metas,*
*Hunc dea dilexit quæ iubar axe refert;*
*Illum priſca Themis vaſtum quæ temperat orbem*
*Sancta comes, magni conſiliúmque Iouis.*
*O nimiùm dura, ô nimiùm tam ferrea ſecla*
*Æternùm ſancti pectoris orba fide!*
*O nimiùm poſthàc tenebroſa, & decolor ætas,*
*Æternùm tanti ſideris orba face!*
*Sæua togam nunc arma premant, lingua abiice lauros,*
*Cedite raucisonis verba diſerta tubis.*
*Omnia nunc fortuna regat, clariſſima mundi*
*Virtus lethæo gurgite preſſa latet.*

*Ignoraſſe Deos tanto quid perderet orbis*
*Fulmine, quàm terris mors ea dura foret,*
*Non ego crediderim, diui nimis omnia norunt,*
*Cuncta nimis ſuperis nocte diéque patent.*
*Quid rear? An terras cupiens punire nocentes*
*Tale decus terris abſtulit ira Deûm?*
*Nunc certè tantis hominum perculſa ruinis*
*Hoc ſaltem vellet non licuiſſe ſibi.*
*Inuidiámque timent ſuperi, iam conſcia queſtus*
*Horrent turbato ſidera cuncta polo.*
*Sed quid ſublati proſunt ad ſidera queſtus,*
*Quidve madens tantis imbribus ille dolor?*
*Nempe etiam laſſo moritur querimonia planctu,*
*Nempe dolor lacrymas deuorat ipſe ſuas.*
*Omnis tam clarum luget ſibi lumen ademptum*
*Gallia, nec minùs hunc extera regna gemunt,*
*Qui Rhenum, Tameſimque bibunt, quos perfluit ingens*
*Arnus, & aurifero quos lauat amne Tagus.*
*Extinctum Rex ecce gemit, populúſque, patréſque,*
*Luctibus ad tumulum Curia tota furit,*
*Extinctus iacet ille tamen, longúmque iacebit,*
*Nec minùs hunc tellus, quàm priùs alta premit.*
*Ite leues lacrymæ, ſterilis liquor, ite dolores,*
*Funereáſque gerens pompa ſuprema faces.*
*Non ſi Threïcij veſtigia priſca ſecuta*
*Vatis, eat nigros Calliopêa lacus:*
*Non ſi Tartareos emendatura furores*
*Inuiſat manes ab Ioue miſſa Themis,*
*BIGNONI ingenium, aut exangues excitet artus,*
*Aut moueat blandum numina ſurda melos.*
*Fixa manet lethi nulli exoranda poteſtas,*
*Semper habet quicquid ſuſtulit illa ſemel;*
*Et quid non rapit illa? rapit cum plebe Tyrannos,*
*Nec minùs Herôas, quàm rude vulgus agit.*
*Ipſe Deûm cecidit MINOS conuiua, ſibique*
*Cùm caderet nullos ſenſit adeſſe deos.*
*Quique tulit leges Phœbo inſtigante LYCVRGVS,*
*Quique dedit Siculis iura cruenta DRACO,*
*Cecropidéſque SOLO, & Locrorum æterna ZALEVCVS*
*Gloria, & ÆGERIÆ notus amore NVMA,*
*Deſeruêre ſuis formatum legibus orbem,*
*Nec quicquam illorum nunc niſi fama manet.*

*Hâc quoque* BIGNONI *viues, dum Sequana turnas*
*In mare purpureum præcipitabit aquas;*
*Dum terris artes, & honos erit artibus vllus,*
*Et tua ſideribus fama ſuperſtes erit.*
*Te fora, te ſemper Themidis reſonantia templa,*
*Te iuga Parnaſſi, te nemus omne canet.*
*Interea ſeu iam fulgenti exceptus Olympo*
*Virginis Icaria ſidera nota moues,*
*Seu deſiderium charorum, & fata remiſens*
*Incolis humanas nobilis vmbra domos,*
*Hùc ades, & lacrymas, manſuróſque accipe cultus,*
*Perſoluit noſter quæ tibi iuſta dolor.*
*En tibi mœſta Themis manibus fert lilia plenis,*
*En tibi purpureas docta caterna roſas,*
*Illúdque ô quo nil certè tibi dulcius olim,*
*Et tibi, ſi qua fides, nunc quoque dulce melos.*
*Hoc ſatis. Indoctum miretur marmora vulgus,*
BIGNONI *tumulum munera docta decent.*

## In obitum viri illuſtris HIERONYMI BIGNONII in Senatu Pariſienſi Regis Aduocati

### *ELEGIA.*

### Ad Cl. V. BIGNONIVM eius filium, & in Aduocatione Regiâ ſucceſſorem.

DIVA *Palatini ſeruans ſacraria templi,*
*Conferto quæ das iura tremenda foro:*
*Huc ades, & celſum pauliſper linque tribunal,*
*Mœſtáque profuſis fletibus ora riga.*
*Nec verò pudeat mortalis in funere Diuam*
*Cæleſtes lacrimis commaculaſſe genas.*
*Si pater ipſe Deûm raptum Sarpedona fleuit,*
*Te nunc indignus non erit iſte dolor.*
*Nam neque quem flemus minor eſt Sarpedono, nec te*
*Maiorem quiſquam dixerit eſſe Ioue.*
*Eximius Iuris vindex legúmque patronus,*
*Et docta cecidit gloria rara togæ.*
*Iuſtitiæ recto qui ſemper tramite pergens,*
*Obliquum nunquam carpere viſus iter.*

*Quem non ambitio, non fraus, non gratia fallax*
*Concutere, obiecta nec valuere minæ.*
*Ille quidem ſummi partes non Iudicis egit:*
*Et quocumque tamen Iudice maior erat.*
*Illum è ſuggeſtu licet inferiore loquentem*
*Audiit aurato Curia tecta tholo.*
*Sermonéſque viri, ceu Diuûm oracula ſectans,*
*Iudicij normam credidit eſſe ſui.*
*Nemo illo meliùs norat regalia iura,*
*Patronus quorum tutor & acer erat.*
*Nec tamen Auguſti cauſam ſic Principis egit,*
*Vt populi cauſam deſeruiße putes:*
*Iuncta ſimul Regis populíque negotia duxit:*
*Et quod plebis, idem principis eſſe bonum.*
*Iure quidem merito. Quis enim paſcentis ouile*
*Commoda non eadem dixerit atque gregis?*
*Oppreſſis igitur populis ſuffragia linguæ*
*Præſtare, officij credidit eſſe ſui.*
*Ah quoties dum Rex populis edicta daturus*
*Mane Palatino ſederat in ſolio:*
*Armatos inter proceres intérque togatos,*
BIGNONIVS *flexo poplite verba dedit.*
*Et populi gemitus ſacras peruexit ad aures*
*Orans ne feſſis adiiceretur onus.*
*Tunc totas ſimul explicuit facundia vires,*
*Vnius vt poſſet corda mouere viri.*
*Tunc Graia pariter Muſa paritérque Latina*
*Prompſere innumeras ore loquentis opes.*
*Multa quoque ex ſacro quæſita volumine Moſis,*
*Vt robur dictis creſceret atque fides.*
*Sic potuit duras Regnantum inflectere mentes,*
*Et populum multis eripuiſſe malis.*
*Quid memorem quoties magno mandante Senatu*
*Rebus in anguſtis Regia tecta petit:*
*Vota Patrum ſummi portans ad Principis aulam,*
*Rurſus & ad Patres Regia dicta ferens.*
*Qualis Atlantiades cælóque erebóque meaſſe*
*Fertur, concilians mundi vtriuſque Deos.*
*Hunc igitur raptum Regis populíque Patrúmque*
*Patronum merito Gallia cuncta gemit.*
*Et nunc præcipuè, cùm copia rara bonorum eſt,*
*Cùm medicam morbi vis mala poſcit opem.*

*Inde dolor nobis, luctúſque occaſio creſcit,*
*Quod miſeris iam ſpes nulla ſalutis adeſt.*
*Cernimus in patria exitium coniuncta malorum*
*Agmina, confertis incubuiſſe globis.*
*Vndique bella premunt. Illinc grauis imminet hoſtis:*
*Externo hinc ciuis durior hoſte ruit.*
*Ac velut aggeribus ruptis cùm exuberat amnis,*
*Et ſecum ſiluas ac ſata lata trahit:*
*Sic ferus exactor campos deuaſtat & vrbes,*
*Et quæſtus proprios publica damna facit.*
*Ergo quæ ſperanda ſalus, ſi turba malorum*
*Creſcit, & imminuunt funera crebra bonos.*
*Inſtrumenta boni ſæcli, Iuríſque columnæ*
*Si pereunt, nec qui ſubſtituatur adeſt.*
*Ecquis erit, magno poſthac qui robore cauſam*
*Afflicta coram principe plebis agat?*
*Labentis patriæ quis ſuſtentare ruinam*
*Quis poterit tantis obuius ire malis?*
*Tu potes, ô Iuuenis, clari patris inclita proles,*
*Tu potes. Idque abs te Gallia tota petit.*
*Ergo age, & in laudem magni ſuccede parentis.*
*Incipe monſtratum carpere firmus iter.*
*Cùmque tuo pariter collega viribus æquis*
*Ardua virtutis ſcandere perge iuga.*

HENRICVS VALESIVS.

*Illuſtriſſimo atque integerrimo viro,*
*GVILLELMO DE LAMOIGNON, EQVITI,*
*D. D. de Baſuille, Regi à ſanctioribus Conſiliis,*
*nec non libellorum ſupplicum Magiſtro.*

QVOD in meo Parente nuper, VIR ILLVSTRISSIME, eo beneficij genere, quo nec mihi optare maius licuerat, totam Tibi ipſius familiam deuinxeris; nonne hoc aliquam à me grati animi ſignificationem poſtulabat? Illius igitur, quod eo tibi nomine debebatur, nonnihil à me propediem exoluendum, dum certè totum non poterat, fortè audieras: cùm expirante circa id tempus BIGNONIO, hunc Tu lugere amici inreritum iubes, qui tuas apud omnes poſteros canere laudes geſtiebat. Sic eum te iuuit

Digitized by Google

iuuit tui ſeſe exhibere doloris interpretem, qui tuarum eſſe virtutum præco, neſcio magiſne officij ſui ratione teneretur, an ipſe ardentiùs exoptaret. Præterquamquòd enim ſumma hæc, quam earum mihi magnitudo mouerat, admiratio, ad celebranda me ipſarum encomia vltro impellebat: quanta inſuper huiuſce rei cupiditas eſſe debuit, cuius mihi, amouenda ingratæ mentis ſuſpicio, neceſſitatem imponeret? Verùm, pro Tuo illo, quem meditabat, Gloriæ Triumpho, HIERONYMI TVI recèns demortui Tumulum: pro iucundis gratulationibus, lugubres queſtus, triſtéſque Nænias imperaſti. Tantus nimirum ex illius morte tuum pectus mœroris ſenſus peruaſerat, vt alterius plorare miniſterio cogeteris, cui vel lacrymarum vſum ingens ille dolor abſtuliſſet. Quo quidem in negotio eos tibi imitari populos neceſſum fuit, qui illorum, quos, dum viuerent, charos habuerint, cùm ſuo ipſi nequeant, alieno eiulatu, funera proſequuntur. Quanquam ergo nonniſi grauis, & acerba, ea mihi rerum ſcribendarum commutatio accidit: Meo tamen deſiderio, &, quam ex illâ tuorum in me beneficiorum, virtutúmque tuarum prædicatione ſperarem, maximæ voluptati denegandum cenſui, quod à me Tuus in illum pluſquam fraternus amor, *Tuáque Tibi*, vt tecum loquar, *vitâ charior ipſius memoria*, exigebant. Hinc tibi διαπεράσαντι συναλγεῖν, & aliquod inde mihi poſtmodùm gaudium contigit; vt ei me aduerſæ ſortis præbuiſſe comitem non pigeat, à quo fuiſſem nuper ad proſperam, conceſſo, quem optaueram, rerum mearum ſucceſſu, reuocatus. Accipe igitur, VIR ILLVSTRISSIME, quod aliâ tibi ratione perſolui, vt longè præſtiterat, ſic noſtrûm vterque maluiſſet, grati hoc à me animi monumentum: Et quem iubente Te, etiam dum ſuam proferre lætitiam parabat, flere non pœnituit, nihil non deinceps, quod præſcripſeris, facturum confide.

Tibi addictiſſimus ÆGIDIVS DANCEL.

---

## Ampliſſimi Clariſſimique Viri HIERONYMI BIGNON Regi à Conſiliis, & in Senatu Pariſienſi prioris Aduocati Catholici

## TVMVLVS.

DESIERAT *iam triſtis hyems, ac verna ſubire*
*Temperies, tellúſque nouos expromere vultus*
*Cœperat: ecce mihi, medius quà ſuſpicit arces*
*Sequana Parriſias, atro ſqualentia luctu*

*Obiicit ora Themis, quæ tunc per compita crebros*
*Fundebat gemitus, crudeliáque aſtra vocabat,*
*Et, quibus eſt rexiſſe datum mortalia, Diuos.*
*Non illi diadema caput, non regia crines*
*Faſcia cingebat, ſolitæ vel pondera Lancis*
*Aſtitit ipſa gerens, cultu-ve inſtructa nitebat*
*Antiquo: dum funereæ fragmenta Cupreſſus*
*Huic aderant prætenta manu, laceratáque nigro*
*Inclyta cæſaries obducebatur amictu,*
*Et totam atratâ ſeſe ſub veſte ferebat.*
*Quinetiam greſſu iamiam caſura labanti,*
*Poſcebat mortalis opem, admotáque trementem*
*Orabat fulcire manu, méque excipe, dixit,*
*Quiſquis es, & caſus Diuæ miſerare nefandos.*
*Nec valuit iam plura loqui. Nos ferre leuamen,*
*Quà licuit: verbiſque Deæ leuire dolores.*
*Atque vt cauſa latet, ſic cauſam quærere luctus,*
*Et noniſſe iuuat: ſedenim præcluſerat ingens*
*Voci aditum, dum ſola dabat ſuſpiria, mœror.*
*Mox vbi, collegitque animos, viréſque recepit,*
*Et fari iam poſſe datur:* BIGNONIVS *eheu*
*Occidit! an iuſtis inceſſimus aſtra querelis?*
*Nempe illud columen, vindéxque acerrimus Æqui*
*Interiit, ritus quo non defendere noſtros,*
*Aut recti docuiſſe vias, omnémque Senatum*
*In ſenſus traxiſſe ſuos, præſtantior vſquam*
*Alter erat vaſto quacunque extenditur orbe*
* *Hectoridûm Tellus, legéſque & iura tueri.*

*Hoc eſt Francorum, hi ſiquidem ortum traxiſſe ab Hectore perhibentur.

*Hic erat humanos quo freta reuiſere cœtus,*
*Deſertáſque mihi iam pridem ob crimina terras*
*Haudquaquam timui nuper, ſuperúmque receſſus*
*Me ſibi mortalis poſtponere compulit hoſpes,*
*Scilicet vt reliquas huc confluxiſſe Sorores*
*Aſpexi, caſtóque Viri ſub pectore ſedes*
*Delegiſſe ſuas, & quæ præſaga futuros*
*Proſpicit euentus rerum, quæque ardua tentat,*
*Atque truces domat affectus: quæque omnia demum*
*Humanas decorare queunt inſignia mentes;*
*Huc ſubiiſſe Themin decuit, quo nulla deeſſet*
*Ad numerum, cunctíſque foret virtutibus ingens.*
*Nec mora, me reliquis tum prætulit omnibus vnam,*
*Vt pene inuidiam virtutum ſenſerit agmen,*

*Iámque proco neglecta cohors : dum totus in ore*
*Vnius, & noſtris tantùm ſermonibus hæret.*
*Quin mea dat nullum ſcitandi oracula finem,*
*Anxius, aut gemini normas ediſcere iuris,*
*Aut varias legum ſpecies; ſeu motibus illas*
*Arcanis natura docet, rectúmque latenti*
*Imperio iubet ipſa ſequi : ſeu condita morum*
*Has vetat impoſitis perfringi regula pœnis.*
*Sic vbi peruigili myſteria noſtra labore*
*Exhauſit, moréſque vno ſub pectore clauſit*
*Innumeros, ritúſque hominum, & quas quiſque recuſet,*
*Quáſ-ve colat, populus, leges: dum poſtulat omnis*
*Curia, diuerſiſque ſibi hunc addicere tentat*
*Muneribus, iuuat illuſtrem præponere * Cœtum*
*Ante alios, ſacras cui fas componere lites;*
*Magnáque ob ingentes ceſſerunt nomina cauſas.*
*Hìc quoties grandi Proceres ſtupuere tonantem*
*Eloquio, oppreſſos linguâ dum Vindice ſeruat*
*Patronus, Regémque ſimul, populúmque tuetur:*
*Expromítque dolos, ſi quos admiſerit alter*
*Cauſidicûm; merito quò ſtent ſua iura Clienti.*
*Sed quàm nulla diu tantas comprendere poſſit*
*Curia Virtutes, quin erumpentibus vltra*
*Effractos obices, diſiectáque clauſtra, moueri*
*Inuidiam reliquis contingat Cœtibus. ergo*
*Hunc Patrum Conſcripta cohors, hunc feruidus ambit*
*Ille ingens, & quo mihi non anguſtior omni*
*Hectoris imperio, * traxítque in roſtra Senatus*
*Ipſe ſua euictum tandem; viduatáque plangunt*
*Ereptum columen Magni ſubſellia Cœtus.*
*Nec priùs ad Francum veniunt ea nuncia Clerum,*
*Cum ſua, Seruinio ſacri ſuccedere quemdam*
*Ordinis optantum ac ritus renouare * vetuſtos,*
*Gratantur fauſto ſic euaneſcere caſu*
*Irrita vota Patres; neque iam niſi gaudia iuuit*
*Teſtari, ac latos verbis expromere ſenſus.*
*Et meritò. quoties vos namque hoc munere, forti*
*(Vos ô ſacrorum Proceres)* BIGNONIVS *ore*
*Aſſeruit, veſtróſque abſcedere compulit hoſtes,*
*Et ſua in authorum vertit molimina caſus,*
*Seu reditum aut veſtros quiſquam, inuaſiſſet honores?*
*Nec minor in reliquos pietas; dum nulla ſubegit*

* Magnum ſcilicet Galliarum Conſilium, cuius Aduocatus Catholicus anno 1620. creatus eſt.

* In locum Seruinij in Pariſienſi Senatu Aduocati Catholici, anno 1625. ſubſtituitur.

* Ille ſiquidem Magiſtratus olim à Clerico gerebatur.

*Ambitio, turpiſ-ve timor deflectere recto*
*Tramite, conceptóque ſemel deſiſtere ſenſu,*
*Propoſito ſemper ſtabilem, firmaque tenacem*
*Virtutis; veluti cunctis Marpeſia cautes*
*Flatibus inconcuſſa manet, quanquam ipſe ſolutos*
*Æolus, huc omnes iuſſit concurrere ventos.*
*Sic ſtetit intrepidus, nullóque hac ardua mentis*
*Maieſtas infracta metu, diuerſa minantis*
*Excitam Inuidiæ potuit contemnere famam,*
*Nullus & exilij mouet hunc, vel carceris horror.*
*Atque vtinam ſacros tumulis accerſere manes*
*Durior heu! ſineret, mutari ac neſcius ordo*
*Fatorum: ætherios quò iam reuocatus in axes*
*Ipſe ſibi, orantem lachrymas* mouiſſe decentes*
*Teſtetur Ludouix; dum, circunſtante Senatu,*
*Hic noſtro quondam ſolio ſublimis ab ore*
*Facundo, nullâ hortantis formidine, pendet;*
*Cùm nec Mancipibus, nec parceret ipſe Miniſtris.*

* Illâ graui & intrepidâ oratione, quâ ſedente pro Tribunali, in medio Senatu Ludouico XIII. anno 1635. habuit.

*At velut ante alios humani corporis artus*
*Præſidium capiti, ſi quid diſcriminis inſtat,*
*Admonet, ac reliquas nudat munimine partes*
*Prouida tum Natura ſuo, quò protegat arcem*
*Hanc vitæ, cuius pereunt ſibi cætera caſu;*
*Sic mihi per cunctas olim metuenda Curules,*
*Dum videt antiqua diſpendia maxima ſortis,*
*Ac propè fas verſum, Ludouix; tua Te ſibi raptum*
*Curia, BIGNONI, luménque aſpexit ademptum,*
*Ad Cœtus tranſire ſacros, vbi Regia ſueuit*
*Fundere Maieſtas, oracula ſummáque rerum*
*Stat Themidi, Francíque ſita eſt pars optima iuris;*
*Vnde tibi fas nempe foret prohibere ruinas*
*Inſtantes, aut praua ſuos adducere in vſus.*
*Iamque vocandorum, dum bella vrgentia poſcunt,*
*Nobilium cauſas, Fiſcúmque, & iura* Caduci*
*Magnum euoluit opus; gemináque ex parte querelas*
*Submouet; vt, Regíque fidem, populíſque probari*
*Viderit, ac fauſtos ceſſiſſe vtrinque labores.*
*Sic LODOICVM inter, Francóſque æquiſſimus ille*
*Arbiter, amborum raro ſibi pectora nexu*
*Demeruit, potuitque in ſe conuertere amores*
*Hactenus aduerſos, tanta ſolertia mentis.*
*Nos ſedenim, numerúſque ingens memorare, dolórque,*

* *Gallicè*, les amortiſſemens.

*Singula iam prohibet, vel quæ veneranda Senatus*
*Agmina, vel reliquæ quondam aſpexere Curules*
*Facta viri, noſtrúmque decus, cauſámque tuentis,*
*Hunc ſua ſors quocunque vocat. Sed & omnia Francæ*
*Quid ſparſiſſe moror, per rura, per oppida, gentis,*
*Heu! duráſque vices, iuſtóſque in ſydera queſtus?*
*Ergo vale, euentúſque tibi mage fauſta ſecundos*
*Numina concedant, noſtrum ô miſerate laborem.*
*Quippe mihi lacrymas, dum triſtia fata referret,*
*Aſtrææ excierat, preſſóſque effundere planctus*
*Viderat ardentem dudum: quem nempe vetabat*
*Vnus honos Diuæ in mœſtas erumpere voces,*
*Promentémque ſuum verbis lenire dolorem.*
*Té-ne igitur ſæuo, Francæ ô doctiſſime Gentis,*
*(Aggredior ſic ipſe queri) correpta furore*
*Abſtulit infandum! Lacheſis? nec profuit artes*
*Phœbæas quidquam ſtudio coluiſſe perenni,*
*Et Sophiam, Terræque ſitus, numeróſque, figuráſque,*
*Aſtrorúmque vias, ſcriptóſque annalibus actus*
*Heroum, geminámque Themin, facundáque Suadæ*
*Lumina, & Aoniæ quicquid nouere Sorores:*
*Vt tibi communes ſaltem decurrere metas*
*Poſſe daret, iuſtúmque mori prohiberet Apollo*
*Ante diem; triſtes cui fas depellere morbos,*
*Filáque gramineis Parcarum extendere ſuccis?*
*Aut, ſi fata vetant, præſcriptáque linea vitæ*
*Cuique manet, quam nulla Deûm mutare poteſtas,*
*Herbarúm-ve queat; tecum partitus honores*
*Vitæ immortalis, fratríſque exempla ſecutus*
*Tyndaridæ, ſubitò reuocare in luminis auras*
*Debuit extinctum, alternóque occumbere letho:*
*Dum, caſúſque graues, & tot diſcrimina rerum,*
*Vindicis auxilium, Themis ac miſeranda repoſcit.*
*Egregie iam Tymbræe tuo vel prodeat vnus*
*In medium, qui ſe quondam luſtraſſe * decennem*
*Tot radio iactet populos, fluuióſque, lacúſque,*
*Ac per Idumæas ſignaſſe tot oppida gentes,*
*Tótque locos tabulâ iam tum ſculpſiſſe fideli.*
*Scilicet ante alias, illam* BIGNONIVS *artem*
*Excoluit, quâ vel Siculos tranſmittere fluctus,*
*Vel Libycos impunè datur, ſæuámque Charybdim*
*Appetere, & notas ſua per diſcrimina Syrtes:*

* Annos decem natus Geographicam Terræ ſanctæ Tabulam ipſe delineauit.

*Quáque indefeſſo totum conceditur orbem*
*Ambire, ac nullo prærupta euincere niſu*
*Culmina pyramidum, Ætnæaque incendia rupis*
*Illæſus, gelidám-ve queas calcare Pyrenen.*
*At quantæ iam molis opus ſcripſiſſe * vetuſtos*
*Auſonidum ritus, gentíſque exacta Quirinæ*
*Secula, & euectos ſuprema ad munera Myſtas,*
*Nec ſenibus tentanda viris molimina, & omni*
*Emeritis ſtudio dudum! quæ præſtita quondam*
*Vix tibi bis ſeptem nato quis crederet annos,*
BIGNONI, *& tantos iuuenem exhauſiſſe labores?*

* Nondum annos 14. egreſſus duos libros conſcripſit, alterum de antiquitatibus Rom. alterum de eligendo Summo Pontif.

*Nec ſolùm peregrina iuuant. Te lilia contra*
*Valdenſem ipſa ſuos * ſeruaſſe fatentur honores,*
*Borbonidúmque aliis prælata inſignia ſceptris,*
*Et calamo, cunctis aſſerta potentiùs armis*
*Vindice te, cùm ſe tibi vix lanugine vultus*
*Induerant, nec dum viceſima venerat æſtas.*

* Libro nimirum, quem anno ætatis ſuæ 19. contra Valdenſem Hiſpanum, in Francorum Regum gratiam compoſuit.

*Quòd demum optato Marculphus lumine gaudet,*
*Dum præloque, notiſque beas, gemináque latentes*
*Iamdudum ſoluiſſe iuuat caligine fœtus,*
*Cuncta tibi acceptum referent hoc ſecula munus.*
*Sic nempe Hectorei fontes cognoſcere iuris*
*Præcipuos, cauſaſque datur, quæque abdita Francæ*
*Hactenus hiſtorico fuerant ſub cortice genti,*
*Conciliis, aut ſi qua latent myſteria noſtris;*
*Quámque horum referant, Regum moderamina, ritus,*
*Tertia dum reliquis nondum ſucceſſerat ætas,*
*Nec Francûm ſortitus erat diadema* CAPETVS.
*Hinc è Pieriis vobis non charior alter*
*Cœtibus, & miſſis quicum maiora tabellis,*
*Aut viuo ſermone forent commercia, fontis*
*Numina Caſtaliÿ, gens dilectiſſima Phœbo:*
*Túque ô! quem fauſto genuit mea Neuſtria partu,*
*Et cui purpureum virtus dedit ipſa Galerum*
PERRONI *faſtíſque tuis memoranda Thuanûm*
*Progenies, omnéſque amplexe* CASALBONE *muſas,*
*Tectoſagûmque decus* COSTI, SAVARO*que per amplos*
*Aruernûm, quacunque patent, celeberrime tractus:*
*Túque ſub ingrato præreptus ſydere nuper*
GASSENDI: *qui, quos habeant errantia curſus*
*Aſtra polo, aut quali rapiantur cætera motu,*
*Et quæ mortales fugerent cœleſtia, noras;*

Digitized by Google

*Quotquot & eximios, vos, hac ſub tempora vates*
*Ipſa tulit vaſtum quà Gallia conficit orbem.*
*Non ergo, Illuſtres animæ, cœleſtia ſi quis*
*Pectora liuor habet, veſtris quòd nempe deeſſent*
*Agminibus iucunda viri conſortia, terris*
*Inuidiſſe putem, & fati prauertere tempus,*
*Præſcriptúmque diem, pulchrámque abrumpere vitam*
BIGNONI, *precibus feralia numina veſtris*
*Indulſiſſe rear? nec diſſimulare dolori*
*Hoc licuit noſtro, iuſtos vel prodere ſenſus.*
*Nec modò Phœbæas tenuit* BIGNONIVS *artes,*
*Quáſque profane doces Helicon. Quin pergere iuuit*
*Vlteriùs, meliórque animum inſpirauit Apollo.*
*Iuſſit & Æthereis intendere pectora muſis.*
*Nec requieuit enim, donec ſibi viderit hauſtu*
*Aſſiduo, ſacros propè iam exareſcere fontes*
*Cœleſtis Sophiæ: ſeu fortè volumina ſpectes*
*Iſacidûm, caſus queis præuidiſſe futuros*
*Contigit, accedántque nouæ Myſteria legis*
*Ad Veterum, & Moſis ſeruatos tempore ritus:*
*Seu monumenta Patrum, vel quæ ſublimis Aquinas*
*Scribebat dictante polo, Libycúſ-ve* * *Magiſter,* * S. Auguſt.
*Perpendiſſe iuuat, vel quotquot vindice pennâ,*
*Cultúſque Æthereos, ſupremáque iura tuentur.*
*At cui tanta foret, cui tam diuerſa ſupellex*
*Virtutum, dotúmque animi, vt collecta teneret,*
*Quæ reliquos diuiſa beant, vix poſtera credant*
*Sæcula, quos de ſe diuina modeſtia ſenſus*
*Indiderit (docta ô! virtus rariſſima menti)*
*Quámque nihil ſeſe iudex ſibi ſemper iniquus*
*Fecerit, & tantis pretiúmque, fidémque negarit*
*Dotibus, atque ſuos ſibi ſit prædatus honores.*
*Scilicet hoc reliquas niti fundamine norat*
*Virtutes, quarum moles tractura ruinam*
*Hac abſente foret: celſáſque vt fulmina quercus*
*Effringunt, Regúmque domos, quibus infirma nuſquam*
*Tecta ruant, Coryli que breues, humiléſque Myricæ:*
*Sternere ſic faſtu quæcunque elata ſuperbo,*
*Rurſus & abiectas ſuperos attollere mentes.*
*Hinc vilis ſibi ſemper erat, quem, numinis inſtar,*
BORBONIDES, *ac ipſa Themis, Princépſque Senatus,*
*Totáque ſuſpexit quanquam vaſtiſſima tellus*

Hectoridûm, noſtri dum carperet ætheris auras.
 Occidit ille tamen (memori mihi namque recurſat
Corde dolor) periítque heu! funere merſus acerbo,
Heu! Francæ periit certiſſima gloria gentis.
Nec tibi iam largos ſtat Gallia fundere luctus,
Cui tantum infauſto feralia numina caſu
Extinxere decus, cuius poſt fata, timendum
Heu! tibi ſit, ne ſidereas Aſtræa reuiſat
Orba repentè domos, quibus hanc BIGNONIVS olim
In terras, hominum potuit deducere in vſus;
Fáſque adeo nullum, legéſque aut iura ſuperſint.
Ergo cæruleo quæ ſparſa vagantur amictu
Lilia, quæque tibi, vultu fortuna ſereno
Dum riſit, conſueta geri: diademata, ſceptrum,
Armillas, fauſtaque inſignia cætera ſortis,
Abieciſſe iuuet, multóque tepentia luctu
Attonitæ ſtupeant paſſim tua flumina Nymphæ.
Nec priùs abſiſtant lacrymæ, quàm ſenſeris, omni
Humore abſumpto, gelida tua membra Pyrenes
Duritiem, aut Libyci ſortem ſubiiſſe tyranni,
Qui fulcire Polos, & mundi creditur axes.
* Niobe. Pignoribus ſic orba ſuis* Sipyleia mater,
Tranſiit in ſilicem, rupéſque immobilis hæſit,
Dum nullo præſtare putat, ſub marmore, ſenſu,
Quam vitâ languente frui, buſtóque trementi
Incluſam, toties repetitæ occumbere morti.
 Quo tamen abripior demens? quis cæcus adegit
Veſano ſuaſiſſe furor marceſcere luctu?
Viuit enim in tantâ ſibi iam poſt fata ſuperſtes
Prole pater, magnóque nouus diſcrimine Phœnix
Exuperat, ſi quem, poſtquam tot ſæcla peregit.
Combuſtum caſiâ, Panchæos inter odores,
Ipſe ſuus reparátque cinis, vitáque perenni
Mors alterna beat, nitidos quâ fulua iugales
Eripit Oceano, lucémque Aurora reducit.
Aſpice florentes vt iam reuolutus in annos,
Inque ſuo iuuenes animos, priſcúmque vigorem
Pignore ſortitus Genitor renouata tuendis
BORBONIDÆ, Francúmque affert nunc pectora rebus,
Regius Interpres legum, Themidiſque Sacerdos.
 Nec, ſi fortè dies aliquot latuiſſe ſepulchro
Hunc iuuit, feciſſe putes, niſi viſcera Terræ

Vt

Digitized by Google

*Vt repetens, primáque iterum conceptus in aluo,*
*Inde, nouas vires, maioraque nactus vtrinque*
*Robora, prodiret rurſum ſub luminis auras*
*Viuidior, qualémque Themis, venerandáque Patrum*
*Agmina ſuſpiciunt nuper; dum ſumma tonanti*
*Eloquio potuit circùm reſonare Curulis.*
*Sic vbi terreno per quædam abſorptus hiatu*
*Delituit ſpatia, ac viſus effugit Iberos,*
*Iam longo Heſperia per regna ingentia curſu*
*Fractus Anas, aliis en protinus exilit vndis*
*Auctior, &, quanto non fluxerat hactenus amne,*
*Labitur, & rapido fertur magis agmine torrens.*
*Viue igitur, France ô! totidem per ſecula Phœnix,*
*Quot volucris conſumit Arabs: nec, nonniſi poſtquam*
*Sexcentos fluxiſſe tibi conſpexeris annos,*
*Iuuerit in propriis, fœcunda morte, renaſci*
*Te quoque Pignoribus, viuúmque in Prole parentem*
*Linquere, & inferos ſic te tranſmitte nepotes.*

Offerebat ex Harcuriano ÆGIDIVS DANCEL,
7. Calendas Quintiles anno Domini 1656.

---

# INCERTI AVCTORIS.

BIGNONI *manes & tanti nominis vmbras*
*Si quæris, non hîc ſiſte, viator, abi:*
*Obſcura anguſtis conduntur fata ſepulchris,*
*Heroum cineres non breuis vrna capit.*
*Hoc humili ſaxo poſſunt ſapientia, virtus,*
*Publica libertas tantáque fama tegi.*
*Poſtera* BIGNONO *monumentum ſecula ponent,*
*Vrna capax tanti nominis orbis erit.*



Digitized by Google

# EXIMIIS MANIBVS MAGNI BIGNONI

## Regi à Sanctioribus Conſiliis, & in Senatu Regni Principe Fiſci Patroni integerrimi.

### BERNARDI MEDONII CARMEN.

DICEBAM, *finis nunquam ſperanda malorum,*
*Et miſeros perdet Fati inclementia Cives?*
*Proh dolor! exhauſti corrodit viſcera Regni*
*Aurivorax genus horrendum; quo tollitur omnis*
*Vis legum, mœrétque auri ſub pondere virtus!*
*Criminibus longùm & quæſitis clara ruinis*
*Gallia, Te Dominam terrarum viderat Orbis,*
*Nunc captiua iaces veteres oblita triumphos,*
*Nec Belli Lauros carpis, nec Pacis Olivas;*
*Et perferre potes tantum ſcelus? exere vires*
*Exere ſopitas, animóſque accende pudore.*
*Vulnere vireſcat Virtus quæ vulnere languet.*
*Iampridem hæc ſecum voluebat plena malis mens,*
*Multáque; quippe patet cunctis ſeges ampla querelæ;*
*Cùm ſenſim cordi eſt placida ſpes inſita Pacis,*
*Et meritò, rebus Regni auxiliante Senatu;*
*Quando illum afflictæ tangit pia cura ſalutis,*
*Et retinet quidquid reſtat ſplendoris auiti;*
*Imponet finem lacrymis, & Tempora reddet*
*Aurea, quæ noſtri laudent per ſæcla Nepotes.*
*Talia ludebant animum ſub imagine veri;*
*Inuitis etenim Superis ſpes nulla quietis.*
*Heroas repetunt en vt ſibi Numina terris:*
*O duræ nimiùm ſortis prænuntia noſtræ!*
BIGNONVM *haud nobis rapuiſſet Parca; virum quem!*
*Aſpera ſi noſtri mouiſſent Numina queſtus.*
*Scilicet hoc vno viguit decus omne Togatæ*
*Gentis, & Herculeos poterat ſuperare Labores.*
*Illum incorrupto ſemper Themis ore loquutum,*
*Per varios caſus, & mille pericula rerum,*
*Vidit, & impauido ſpectantem iurgia vultu,*
*Iam dudum accenſæ ſtudiis ciuilibus Aulæ.*

tas. Verè autem priuilegium dicitur: nam iure communi Abates Epiſcopis ſuberant, can. 4. Concilij Calchedonenſis, Synodi Aurelianenſis I. ſub Chlodoueo c. 9. c. 21. *Abates pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant*, ex quo in capitulis Benedicti Leuitæ exſcriptum eſt cap. 136. l. 6. & apud Gratianum can. Abates 18. q. 2. Synodi Epaunenſis c. 19. Aurelianenſis II. ſub Childeberto c. 22. Capitul. Caroli M. lib. 2. cap. 8. can. Monaſteria 18. q. 2. Itaque hæc formula exemplis ſeruentur Lirinenſis, Agaunenſis & Luxouienſis cœnobiorum, hoc addito, nihil de canonica inſtitutione conuelli quicquid domeſticis fidei pro quietis tranquillitate conceditur: & ideo ſi Abas neglexerit, aut non potuerit, ad Epiſcopum monachorum coërcitionem pertinere. Sanè illud in ædificandis monaſteriis priuilegium, ab ipſis ædificatoribus anxiè exquiſitum, & ab Epiſcopis conceſſum fuiſſe, probant multa quæ adhuc extant exempla. Sed tandem quo firmiùs eiuſmodi libertas conſisteret, à ſummis Pontificibus eam confirmari vltro petierunt & impetrarunt. Pleraque etiam cœnobia, directò ab eadem Sede Apoſtolica, ſe ab Epiſcoporum eximi poteſtate petierunt. Quod vt ab initio ex nimia antiſtitum in monachos ſæuitia ortum eſt, vt Gregorius VII. lib. 2. ep. 69. teſtatur, ita negari non poteſt multos libertatis obtentu fugitaſſe diſciplinam: vnde frequentem exemptionum ſuo ſæculo vſum exagitant Petrus Bleſenſis ep. 68. & S. Bernardus de Conſideratione lib 3. c. 8. & ſeqq. qui tamen probat eam exemptionem, quæ pro voluntate fundatorum, quibuſdam monaſteriis indulta eſt, vt ſpecialiùs ad Sedem Apoſtolicam pertinerent. Igitur ex hac formula patet initiò Epiſcopos, conuentu aliorum Epiſcoporum habito, liberationem à ſua poteſtate monaſteriis conceſſiſſe, rogatu vtplurimum, Regum & procerum ipſorum qui ædificauerant. Cuius rei multa hodie quoque ſuppetunt exempla. Si quidem, præter illa quæ ab auctore heic afferuntur, & Vincentij martyris in ſuburbano Lutetiæ Baſilicam, à B. Germano Pariſienſi Epiſcopo, à quo nunc nomen habet, ſimili priuilegio donatam legimus apud Aimoinum lib. 3. c. 2. quod integrè ibidem à Ia. Breulio exſcriptum videre eſt. Rex quoque Guntchrannus, quæ ipſe, vxor eius, aut binæ filiæ cœnobia conſtruxerant, multiſque poſſeſſionibus & donariis inſtruxerant, eodem pacto ab Epiſcoporum conuentu confirmari enixè poſtulauit, & vt fieret obtinuit in Synodo Valentina, quæ anno regni eius XXIV. habita eſt. Extat etiam Bertefridi Ambianenſis Epiſcopi priuilegium libertatis Corbeiæ veteris, ad petitionem Chlotarij Regis & Bathildis Reginæ conſcriptum VIII. Eid. Septemb. anno VII. Chlotarij, quod eaſdem fermè clauſulas ac præſens formula continet. Inſigne verò eſt priuilegium libertatis ab Epiſcopo Pariſienſi B. Dionyſij monaſterio datæ, quod ob celebritatem nobiliſſimi cœnobij, & quod à Landerico, Marculfo ætate ſuppari, indultum ſit, & non parum ad huius capitis illuſtrationem facit, adſcribere non graua-

bor. Eſt verò eiuſmodi in cortice ſcriptum, & heic diligentiſſimè exſcriptum.

DIVINA *largiente gratia Landericus Pariſiorum Eccleſię Epiſcopus. Quoniam quidem inter ea quę Dei diſponente prouidentia, curſu temporis agimus, ſi quid rectè actum eſt, ad illius, qui & dando premonuit, & poſſe contulit, gloriam & noſtram proſperitatem non eſt dubium attinere: Decet & preſertim eos qui in ſacris ordinibus eminere videntur, priuata & publicę rei ita curam agere, vt & ſua peccamina adnullare, & ſi quid eſt virtutis hoc ſemper ad altiora ſtudeant prouehere, & aliorum vel benefacta commendare, vel vitia inuigilent corrigere. Debet etiam eſſe grata omnium Dei fidelium inter ſe familiaritas, & in expetendis dandiſque beneficiis adeò opportuna propinquitas, vt nulli prorſus digna petenti non modò non abnuat, verùm etiam vt amplius quod dignum eſt ab altero petere poſtuletur. Quapropter nouerit omnium Catholicę Eccleſię cultorum generalis vniuerſitas, quòd Dominus glorioſiſſimus Cludouicus Francorum Rex, diuino irradiatus lumine, religioſa petitione humilitatis noſtrę extremitatem popoſcit, vt & nos & canonicorum noſtrorum communis fraternitas, ſecuritatis & incommutabilitatis priuilegium ederemus, pro reuerentia S. Dionyſij, ſociorúmque eius Ruſtici & Eleutherij, qui cum eo laurea martyrij ſunt redimiti, ad Baſilicam ipſorum vbi ipſi corpore requieſcunt, & in virtutum miraculis coruſcant, & vbi Dagobertus genitor ſuus quondam Rex, vel genitrix ſua Nanthildis Regina ſepulturas habere videntur. Quamquam ſanctę Carthaginenſis ſynodus facta à beatę memorię domno Bonifacio eiúſque coepiſcopis, non prohibeat monachos ſub priuilegio proprio reſidere, vel ſancti Auguſtini libri de Eccleſiaſticis gradibus doceant, monachos ſub quiete regulariter viuentes, ſua ſingulari lege debere quieſcere, & ab omni infeſtatione clericorum intrepidos permanere, ne ſecularis ſtrepitus eos lędat, quos diſtricta regulę ſeruitutis Domini moderatur. Quod nos conſiderantes, dum & canonica inſtitutio nos hac de re non preiudicat, vel ideo quia ſupradicti domini Cludouici Regis petitio quaſi nobis iuſſio eſt, cui difficillimum eſt reſiſti, vel pro reuerentia tantorum martyrum, quorum patrocinio ſe ipſe commiſit, vt ipſis monachis ſecundùm ſanctum ordinem viuere liceat, & vt tam pro nobis, quàm pro omnibus noſtrę Eccleſię fratribus Deum orent, ipſum priuilegium plena voluntate, vnà cum conſenſu fratrum meorum, ipſis conceſſiſſe viſus ſum. Per quod decerno atque obteſtificatione diuini nominis interdico, vt nec ego deinceps, nec vllus ſucceſſorum meorum hoc audeat infringere, vel temerario auſu aliquatenus violare, videlicet vt omnis presbyter vel clericus ex his quę in ipſo loco beatiſſimi Dionyſij martyris, vel extra ex loco qui dicitur fons S. Remigij, ſicut via diſtinguit, quę prębet iter iuxta pratum quod dicitur formoſum, vſque ad Eccleſiam S. Quintini martyris, & illinc per regalem ſtratam donec veniatur ad viuarium in capite triceni pontis, ſicut prata fratrum diſtinguunt, vſque ad prefatum locum fontis B. Remigij, omnes illi qui in hoc circumſcripto ſpatio Eccleſiis ſeruiunt,*

*ſint liberi & abſoluti ab omni debito & redditione circadarum & ſynodorum. Tamen volumus, & pro reuerentia ſancti martyris Dionyſij concedimus, vt ſi neceſſitas eis fuerit, ex noſtro & ſucceſſorum noſtrorum epiſcopatu ſine pretio chriſma & oleum ſuſcipiant. Et ſi quis eorum presbyterorum vel clericorum fortè aut occiſus, quod abſit, aut vulneratus fuerit, aut ex his omnibus alicuius iniuriæ acclamatio ſurrexerit, quicquid ex his omnibus ad nos pertinere videatur, hoc totum Abati, qui in ipſo ſancto loco præfuerit cæteriſque fratribus habendum, & diſponendum concedimus. Quòd ſi aliquis calliditate aut cupiditate preuentus fuerit, & ea quæ ſunt ſuperiùs comprehenſa temerario ſpiritu violauerit, tribus annis pœnitentiam agat, à communione fratrum ſequeſtratus, & nihilominus hoc priuilegium Chriſto protegente, qui & adiuuet illud conſeruantibus, & diſſipet illud deſtruere cupientibus, perpetuò maneat incorruptum. Quam definitionem conſtitutionis noſtræ, vt noſtris & futuris temporibus valitura ſit, manus noſtræ ſubſcriptionibus roborauimus, & coepiſcopis, domnis & fratribus noſtris rogauimus, vt ipſum inſuper firmare debeant. In Chriſti nomine Landericus ac ſi peccator Epiſcopus vrbis Pariſiacæ hoc priuilegium conſenſi & ſubſcripſi. Munemundus Epiſcopus conſenſi & ſubſcripſi. Gouualdus ep. conſ. & ſubſ. Vulfolenus ep. conſ. & ſubſ. Armentarius ep. conſ. & ſubſ. Rauracus ep. conſ. & ſubſ. Malchardus ep. conſ. & ſubſ. Eligius ep. conſ. & ſubſ. Grator ep. conſ. & ſubſ. Ioannes ep. conſ. & ſubſ. Burgundio ep. conſ. & ſubſ. Faro ep. conſ. & ſubſ. Richoaldus ep. conſ. & ſubſ. Baldomerus ep. conſ. & ſubſ. Audoenus ep. conſ. & ſubſ. Taurinus ep. conſ. & ſubſ. Euſtorchius ep. conſ. & ſubſ. Laridanus ſeu Karioendus ep. conſ. & ſubſ. Berihefridus ep. conſ. & ſubſ. Audebertus ep. conſ. & ſubſ. Clarus ep. conſ. & ſubſ. Caſtadius ep. conſ. & ſubſ. Litterius ep. conſ. & ſubſ. Palladius ep. conſ. & ſubſ. Ætherius ep. conſ. & ſubſ. Ingoldus ep. conſ. & ſubſ. Facto priuilegio ſub die KL. Iulij in anno xv. regnante Cludouico glorioſiſſimo Rege. Auſtrolenus lector, iubente domno Landerico epiſcopo hoc priuilegium ſcripſi & ſubſcripſi.* Hunc Epiſcoporum ea de cauſa conuentum memorat Aimoin. lib. 4.c. 41.& Clipiaci, quod tum palatium in agro Pariſienſi ad Sequanam erat, habitum fuiſſe ait: *Noſtri itaque deuotio hec extat animi,* (inquit ibidem apud Aimoinum Rex Clodoueus): *vt monaſterium patroni noſtri domini Dionyſij, in quo ipſe cum conſortibus teſtimonij veritatis requieſcit humatus, & pia memoria genitores noſtri, (dominus videlicet Dagobertus, ac domina Nanthildis) ſe ſepelire mandauerunt, ab omni ſoluamus dominio mortalium: quatenus Aba vel fratres eo loco commanentes poſſeſſiones à parentibus noſtris, ſiue ab aliis fidelibus Chriſtianis, ſibi traditas, abſque vllius dominantis inquietudine poſſidentes pro ſalute noſtra, ac ſtatu regni noſtri liberiùs Deum deprecentur. Huic autem noſtræ ſuggeſtioni conſentit venerabilis vir Landericus Pariſiacæ vrbis præſul, in cuius diœceſi cœnobium illud ſitum eſt, & cui vſque ad præſens tempus ſubiectum fuit. Hanc ergo libertatem ſerui Dei inibi conſtituti dum fuerint adepti, nulliúſque præter Dei ac ſanctorum eius,* noſtrúmque,

(*cui etiam tota natio Francorum paret*) *fuerint perpeſſi dominatum, ſcian ſe debito tali genitoribus noſtris & nobis, eiſque &c. fore obnoxios.* Quæ longiùs ideo adſcripſimus, quòd & caput propoſitum, & ſuperiùs inſtrumentum, manifeſtò illuſtrent. Hæc demum libertas, ſeu exemptio, rogatu Pipini R. à Zacharia PP. auctoritate Apoſtolica confirmata eſt, Bulla ſcripta in Lateranis anno v. Zachariæ, II. NON. NOVEMB. IMPERANTE DOMINO PIISSIMO AVGVSTO CONSTANTINO A DEO CORONATO ANNO IV. INDICT. VI. quæ itidem in cortice ſcripta, in tabulario celeberrimi illius cœnobij extat, à qua plumbum Zachariæ Pontificis nomine inſcriptum, filo canabino pendet.

Suſpectum eſſe hoc diploma contendit Iac. Sirmondus, nec indictionem appoſitam conuenire.

DOMINO SANCTO] Propria hæc Epiſcoporum προσφώνησις, vt ſuprà in epiſtola Marculfi ad Landericum Epiſcopum, & infrà paſſim. Nec aliter ſcribere ſoliti, vt & *ſanctitas tua* ἁγιωσύνη. Gregorius Thaumaturgus *in epiſtola canonica, can. 7. Vias vel domos neſcientibus barbaris oſtendentes, etiam ab auditione arcere oportet, donec de iis congregatis ſanctis aliquid communiter viſum fuerit, & ante eos ſancto Spiritui.* Balſamon ibi *ſanctos Epiſcopos appellat. Illud autem, ante ipſos ſancto Spiritui, ſubiunxit, oſtendens quòd quæcumque in communi conſideratione ab Epiſcopis diſpenſantur, & ſtatuuntur, Spiritus ſanctus ſuggerit.*

ET NE NOBIS ALIQVIS DETRAHENDO] Priuilegium Corbeiæ à Bertefrido Ambianenſi Epiſcopo indultum, quod proximè huic formulæ accedit, eandem clauſulam ita concipit: *Et ne nos ad hoc propria deliberationis inſtinctu poſteritas æſtimet decreuiſſe, cùm etiam antiquiora, vel in nouo tempore monaſteria, propria priuilegia ſunt conſecuta: Ex quibus vt pauca, dum longum eſt omnia euoluere, nominemus, Agaunenſium, quod velut iſtud eſt regio munere ditatum, Lirinenſium, vt Baſilica domni Marcelli, immòque & monaſterium Luxouienſe hoc videntur habere conceſſum, & omnem libertatem ſunt conſecuti, &c.* S. verò Marcelli, quod heic additur, priuilegium à Synodo Valentina confirmatum eſt, quæ à Guntchranno R. ob id præcipuè habita anno regni eius XXIV. eius hodie præter vnicum illud caput nihil extat.

LIRINENSIS, AGAVNENSIS ET LVXOVIENSIS] Lirinenſis quidem inſulæ antiquiſſimum monaſterium, & quod ab Eucherio Lugdunenſi, Sidonio & aliis abundè celebratum eſt. Agaunenſe verò à Sigiſmundo Gundobaldi F. Burgundionum R. constructum fuiſſe teſtatur Gregor. Turon. lib. 3. c. 5 In MS. legebatur *Auganenſis*, cuius loco veram lectionem repoſui, quamquam & apud Fauſtum presbyterum eius ſæculi ſcriptorem Agauenſe cœnobium ſcriptum eſt. De Luxouio verò Burgundiæ cœnobio, vetus auctor vitæ S. Eligij Nouiomenſis lib. 1. apud Surium, refert Audoënum, ſeu Dadonem, Rothomagenſem Epiſcopum eius auctorem extitiſſe: quod tamen non omnibus probatur. Illud quidem conſtat non multo ante auctoris noſtri tempora cœpiſſe.

*Te victore tamen; primo cùm valdiùs æſtu*
*Impulſos non ipſe animos reuocare valeres.*
*Nec tibi verborum ſola dulcedine capti*
*Hanc omnes habuere fidem: perſpecta mouebat*
*Plus etiam virtus; quòd te nec falleret error,*
*Non vllus iuſto quateret metus; ac licèt ardens*
*Infremeret manceps, prædámque è faucibus ipſis*
*Ereptam fureret, non ſegniùs ipſe ſoleres*
*Infames quæſtus, legéſque arcere rapaces,*
*Impauidus vocem vitámque impendere vero.*
*Regis amans, Regis firmus defendere iura,*
*Sed forti tamen obſequio; nec Principe dignum*
*Eſſe putans, recto quicquid pugnaret & æquo.*
*Ergo hæc inſigni populorum laude feruntur.*
*At quibus interior tecum, dum vita manebat,*
*Vſus erat, qui te à turbâ videre remotum;*
*Hi magis arcanos animi mirantur honores,*
*Quòd non ingenij, non ingens gloria linguæ,*
*Non immenſa dabat vanum doctrina tumorem.*
*Sed te fama licèt, virtúſque extolleret aſtris,*
*Ipſe tibi deſpectus eras, & lumine mentis*
*Diffiſus, trepidâ tractabas ſingula curâ.*
*Nec dotes etiam ceſſant celebrare minores.*
*Congreſſus faciles, & apertum ſemper amicis*
*Pectus, & alterno multum in ſermone lepôrem,*
*Vndique compoſitos mores, frontémque ſerenam,*
*Æqualémque modum vitæ, ſtabilémque tenorem.*
*Sed quamuis toto fueris notiſſimus orbe,*
*Exiguum eſt ex te quicquid cognouimus, & nos*
*Magnâ parte lates, oculis cùm plurima noſtris*
*Subtraheres, penitúſque animo concluſa teneres.*
*Illic virtutum ſedes veneranda tuarum;*
*Hic ſincera fides, illic cæleſtibus vſque*
*Spes affixa bonis, & caſtus numinis ardor.*
*Hinc quædam nobis micuerunt fulgura, tanta*
*Quantula pars lucis! Solus tua munera norat,*
*Qui dedit; hic tardo ſpoliatum corpore tandem*
*Sperato ſatiat vultu, æternámque rependens*
*Mercedem meritis, in te ſua dona coronat.*

Digitized by Google

לברכת זכרון האיש חכם
ונכבד מאד הירונימוס בגנון
שיר·

מה לכם לשאת הקינה־
תזל מעיניכם דמעה־
יחדל בכה מאזנינו
השמיעו־נא קול שיריכם־
הכו גדל לאלהינו
כתבו תודה בספריכם:
לקח האל איש מאישים
לשום אותו במקדשים
לתת לו שכר על טובות
אשר עשה עם כל־אדם
שומר דלים מהמרמות
שעושיהם אנשי עולם־

על מה תמיד אתם בוכים
לא עזב אתכם חשבים
אוהב עמו גם במותו
חנך בניו לעזרנו:
כתב ספר בחכמתו־
להיות דעה לדברינו:
נברך את־שם אלהים
נהלל זכר צדיקים־
נאהב איש חפץ בנו־
נתפלל כל־היום תחתו
נאמר־נא מתוך לבנו־
יחיה עם אל על צדקתו:

אמן ואמן

F. AMBROSIVS IANVIER Monachus Benedictinus
Congregationis S. Mauri.

ORATIO

# ORATIO FVNEBRIS

*In obitum* HIERONYMI BIGNONII *Comitis Conſiſtoriani, & in Senatu Pariſienſi publici & regij Aduocati.*

SI quæ ſunt in rerum natura, ſilentio potiùs quàm humano ſermone celebranda; ſi quæ vis eſt in tacente attonitóque homine ad magnitudinem rei cuiuſpiam demonſtrandam, ſentio profectò, vbi de Bignonio laudando agitur, non tam de accurata mihi oratione eſſe laborandum, quàm de religioſo ſilentio cogitandum. Quæ enim dicendi vis eſt, aut quæ tanta orationis vbertas, quæ etſi omnia eloquentiæ vela expandat, huius argumenti dignitatem complecti poſſit? Quis Oratorum, qui in republica literaria florent, Bignonij laudes tutò, ac famæ ſuæ ſecurus aggredi auſit: qui multis abhinc annis ſuo nomine orbem impleuit, famâ æternitatem ſibi aſſeruit, maximis autem ſuis meritis omnem dudum laudem ſuperauit? Vos ipſos teſtes appello, qui hîc adeſtis, AVDITORES: quotus quiſque veſtrûm, cùm Bignonium fato ceſſiſſe didicit, non Galliæ ingemuit, tanquam luce maxima deſtitutæ? quis non aduocationem Senatus Pariſienſis pæne in orbitatem reductam exiſtimauit? quis non eruditorum ſolem occidiſſe exclamauit?

*Iſte poteſt implere dolor vel ſæcula tota,*
*Et magni luctus obtinuiſſe locum.* Pedo Eleg. ad Liuiam.

Obiit Bignonius! O caſum omnium Pariſienſium, omnium Gallorum, omnium literatorum, omnium hominum fletu, dolore, deſiderio perſequendum! Sed obiit ſenex. Senectutem in viris maximis nullam agnoſcimus, in quibus labor infatigabilis, inuictum robur, viuax ingenium mortale nihil ſapit. Longiore vitâ immortalitate ſe dignos reddunt; vnà cum annis merita augent: & tunc demum videntur mori numquam debere, cùm moriuntur. Atque vtinam heic mihi fatum incuſare liceret. Si prædæ auida mors eſt, prædatorum Gallia, imò & Europa plena eſt. In illos inuolet, eos rapiat, cum maximo noſtro bono è mundo auferet, quem cumulatis ſuis diuitiis, ornatis prætoriis, clauatis auratiſque curribus onerant, corrumpunt, commaculant. Cur nobis Virum optimum, Iudicem integerrimum, publicum & ſapientiſſimum Patronum inuidit? At tandem moriendum. Ita eſt: ſed in



Digitized by Google

peſte publica, bene id quidem, ſi citò fiat: cum gaudio hoc erit, & gratulatione plurimorum. At in eo qui Regis & populi amor eſt, qui regni maximum cenſetur ornamentum, etſi ſerò fiat, nonniſi cum luctu omnium id accidet. Quòd nemini parcat mors, fatum eſt: Quòd in his aut illis cum diuerſis elogiis & acclamationibus excipiatur, ius eſt. Sed mortuus eſt Bignonius. ſcilicet minima ſui parte, eáque infirma ſemper & inualida. Sed verò pietas illa ſincera, quâ mirum in modum enituit, ſapientia incredibilis, quâ cunctis ferè excelluit, doctrina ampla, quâ orbi admirationi fuit, modeſtia ſumma, quâ ab omni faſtu luxúque abhorruit, dicendi facultas, quâ toties eruditionem ſuam prodidit, labor aſſiduus, quo corpuſculi vires fregit, hæc numquam morientur. Sæpe illa Senatus Pariſienſis celebrabit, ſæpe forum laudibus eorum perſonabit, ſæpe Gallia poſteris commendabit, ſæpe filij qui in eius locum ſucceſſere, nobis ea exhibebunt, ſæpe poſteritas tota ante oculos habebit. Quotquot verò ſcriptorum, aut Galliæ decora, aut Senatus Pariſienſis lumina literis mandabunt, Bignonium non obliuiſcentur:

*Viuitur ingenio: cætera mortis erunt.* C. Pedo in Mœcenat. obitum.

*Viri magni nati ſunt in exemplum.* vt de S. Honorato dixit S. Hilarius Arelat.

*Pars erit hiſtoriæ, totóque legetur in æuo;*
*Séque opus ingeniis carminibúſque dabit.*

Pedo in Eleg. ad Liuiam.

Sæpius recurret, ſeu æquitas iudiciorum tractabitur, ſeu Aduocatorum eloquentia laudabitur, ſeu ſeſſio Regis in cœtu Senatorio deſcribetur, ſeu denique ſententiarum grauitas expendetur. Percurre virtutum nomina, titulorum inſignia, dignitatum ornamenta, Bignonium vbique inuenies aut agentem, aut recuſantem, aut adiuuantem, ſemper autem eximium ac ferè ſingularem. A quo verò eumque tempore incipias, ex quo natus eſt, laudis materiam habebis & admirationis. Et quò mea oratio ſuis diſtincta partibus faciliorem ſui det intellectum, primò ſcientiam ferè cum eius pueritia coniunctam, deinde occupationes, poſtremò virtutum inſignia cum quibus vixit & deceſſit, attingam.

Atque vt ab eo vnde cætera pendent, exordiar, ſic ſentio, AVDITORES, vti nihil excellentius reipublicæ, nihil melius & optatius accidere poteſt, viro optimo & præſtantiſſimo, ſic eius originem, & naſcendi cauſas non aliunde quàm ab aſtris, & ſingulari Dei erga homines beneuolentia eſſe repetendas. Illic formatur animus, quo viuit: hinc ſemina virtutum manant, quibus clareſcit: & ab ignibus ſempiternis qui lucent in cœlis, oriuntur igniculi quibus eius ardet ingenium; veniunt impetus quibus ad magna contendit, habetúrque totius indolis ratio quâ ſe arduis ſummiſque natum perſentiſcit. Eam ob rem Lacedæmonij quum

Non inanis hic eſt Oratoris diſcurſus, ſed ex penitiore philoſophia deſumptus. *Ariſtot. l. 2. de gen. anim.* πάσης μὲν οὖν ψυχῆς δύναμις ἑτέρου σώματος ἔοικε κεκοινωνηκέναι, καὶ θειοτέρου τῶν καλουμένων στοιχείων· ὡς

virum bonum laudibus efferre volunt, [a] *Diuinus*, inquiunt, *hic vir eſt*; cognationem eius hac appellatione honorifica cum cœlis, & cum Diis ipſis confitentes: Et quem Arabes vident eximia quadam virtute cæteris præcellentem, exclamant, [b] *Tibi Pater non eſt*: nempe inter mortales, quia Deum ipſum patrem habere, aut de cœlis deſcendiſſe videtur. Et tanti æſtimata fuit olim hæc cognatio, vt maximi Regum eam titulis præfigerent, teſte Sapore Perſarum, qui Conſtantio Imperatori ſcribens [c] *Regem ſe Regum, Solis & Lunæ fratrem, ſiderúmque participem* vocat. Sed quam Principes ſibi iure quodam vindicant affinitatem, eam affirmo præſtantiſſimis & optimis quibuſcumque viris communem eſſe. Et quanta quanta ſit regia celſitudo, ſi mores peruerſi ſunt, non aliter de cœlo venit, quàm quomodo fulmina, grandines, tempeſtates.[d] Aio icirco, accepta diuinitùs nobiliſſima indole, & luce ſtellarum infuſa, educationem præterea diligentem, & accuratam diſciplinam eſſe adhibendam. Quæ cùm ita ſe habeant, AVDITORES, Bignonij cùm magnitudinem, tum claritatem non aliunde quàm ab cœlorum ipſorum immenſitate, ſiderúmque ſplendore profectas, facilè mecum agnoſcetis, vbi pauca de iis diſſeruero.

ᾗ διαφέρουσι τιμιότητι αἱ ψυχαὶ καὶ ἀτιμίᾳ ἀλλήλων, οὕτω καὶ ἡ τοιαύτη διαφέρει φύσις· πάντων μὲν γὰρ ἐν τῷ σπέρματι ἐνυπάρχει ὅπερ ποιεῖ γόνιμα εἶναι τὰ σπέρματα, τὸ καλούμενον θερμόν. τοῦτο δ' οὐ πῦρ, οὐδὲ τοιαύτη δύναμίς ἐστιν, ἀλλὰ τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον ἐν τῷ σπέρματι καὶ ἐν τῷ ἀφρώδει πνεῦμα. καὶ ἡ ἐν τῷ πνεύματι φύσις ἀνάλογος οὖσα τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ. a *Plato in Menone.* οἱ Λάκωνες, ὅταν τινὰ ἐγκωμιάζωσιν ἀγαθὸν ἄνδρα, θεῖος ἀνήρ φασιν ἐστί. לית אבא לך b c *Ammianus Marcellinus l.17.* d αὕτη δ' εὐφυὴς παιδείας μὲν ὀρθῆς τυχοῦσα τέλειον ἀποφαίνονται πρὸς ἀρετήν· ἀμεληθεῖσα δὲ μεγάλων κακῶν αἴτιαι γίνονται. *Alcinous c. 2.*

Patrem habuit Rollandum Bignonium in pago Andegauenſi natum, & in Senatu Pariſienſi Patronum iuris conſultiſſimum, ſcientia forenſi, iudicij grauitate, eruditione varia, morum integritate clarum, ſed filio ſuo Hieronymo Bignonio longè clariſſimum. Hunc cùm ex Maria Ogieria chariſſima & optima coniuge anno Domini 1589. ſuſcepiſſet, & à primoribus annis animum eius capaciſſimum cognouiſſet, nihil antiquius habuit quàm vt ipſe præceptoris officium erga illum faceret, hoc eſt vt integrum ſe patrem non dimidiatum exhiberet. Quemadmodum enim quoddam genus eſt matrum, quæ poſtquam pepererint, filios aliis tradunt alendos: ſic quoddam eſt imperfectum patrum genus, qui quos genuere, aliis dant inſtituendos, cùm per ſe id facere poſſint: qua in re quod maximum eſt aliorum ſtudiis demandant. At Rollandus noſter, id inprimis curæ habuit, vt quem puerum genuerat, eum hominem faceret. Quod propriè præceptorum munus eſt, ſi [g] Platoni credimus; ſecutus hac in re Veterum conſuetudinem, apud quos [h] *ſuus cuique parens pro magiſtro, aut cui parens non erat, maximus quiſque & vetuſtiſſimus pro parente*, vt docet Plinius. Et de Hercule Hylæ præceptore ait Theocritus:

e *Fauorinus apud A. Gellium l.12 c.1.*

f *Theophylactus Simocata in Epiſt.* ὃν γὰρ εἶναι πατέρα φύσις ἐδίδαξε, τοῦτον καὶ παιδαγωγεῖν ἐστὶν ἀξιόπιστον.

g *Clemens Alex. ſtrom 5.* παιδεύουσι τοὺς προσιόντας, καὶ ὡς ἐν Θεαιτήτῳ φησὶ Πλάτων γεννῶσι καὶ ἀνθρώποις ἀποζεύγνυσι.

h *Plinius l.8. Ep.15.*

i Καίμαν παῖτ' ἐδίδαξε πατὴρ ὡσεὶ φίλον υἷα. *Theocr. Idyl.13.*

*Quomodo filium ſolet docere, ſic illum Hylam docuiſſe.* Et Ouidius de ſeipſo:

*Heu mihi cur didici, cur me docuere parentes?*

Et nouiſſimis temporibus viri grauiſſimi morem illum antiquum imitati fuère; Iulius Cæſar Scaliger filiorum fuit præceptor. & ex hac ſchola prodiit Ioſephus Scaliger, vir ſanè maximus, ſi modeſtiam cum doctrina coniunxiſſet. Iſaacus Caſaubonus magni vir ille nominis parenti ſuo Arnaldo acceptum fert quicquid literarum hauſit in libris. Nihil maioris momenti in domo filiis: hi hæreditate & patrimonio quocumque, hi dignitatibus & diuitiis pluris ſunt faciendi: eorum enim inſtitutio cum maximo bono vel malo reipublicæ coniuncta. Aſſentior * Alcinoo ex Platone dicenti *politicarum legum nullas eſſe præferendas iis, quæ de iuniorum diſciplina & inſtitutione tractant.* Eam ob rem voluere Lacedæmonij, vt educatio puerorum, curâ & ſtudio reipublicæ fieret, quod hoc operis omnium intereſſet. Neque diuites aliter ac pauperes inſtituebantur. & qui olim huic puerorum inſtitutioni præpoſiti, παιδονόμοι dicti ſunt.

*Gratum eſt quòd patriæ ciuem populóque dediſti,*
*Si facis vt patriæ ſit idoneus, vtilis agris,*
*Vtilis & bellorum, & pacis rebus agendis.*
*Plurimùm enim intererit quibus artibus, & quibus hunc tu*
*Moribus inſtituas.* inquit Iuuenalis [a].

Hæc in animo habuit Rollandus Bignonius, cùm filium per ſeſe inſtituendum ſuſcepit. Et quis non credat genio eum Galliæ ad id officij erga filium fuiſſe inductum, cùm tot inde emolumenta perceperit?

Vix autem credibile ſit quantùm profecerit filius hoc domeſtico & familiari præceptore. Tanta vis in eo fuit ingenij, tanta memoriæ felicitas, tanta iudicij ſolertia, vt anno ætatis decimo Terræ ſanctæ chorographiam ediderit: anno decimo tertio, libros duos, alterum de Romanis antiquitatibus, alterum de electione Summorum Pontificum ſcripſerit: anno decimo ſeptimo in Aurelianenſi vrbe theſes Iuris vniuerſalis ſumma cum laude propugnauerit coram præſente Academia Aurelianenſi in Iuriſprudentia tunc temporis hodiéque celeberrima: anno ætatis decimo nono Hiſpano Valdeno librum de iure προεδρίας, id eſt, *præſeſſionis* Regum Galliæ oppoſuerit: anno vigeſimo tertio, Marculfum cum notis luci dederit: in quibus Iuris & Romani & Gallici arcana expoſita. Conciliorum loca difficillima euoluta, multa Hiſtoriæ Gallicanæ obſcura explicata, tanto cum iudicio, ac Latini ſermonis elegantia, tanta cum ſapientia & eruditione, vt à

Et Iuuenalis, *Dij majorum vmbris tenuem & ſine pondere terram, Spirantéſque crocos, & in vrna perpetuum ver, Qui præceptorem ſancti voluere parentis, Eſſe loco.*

Iulius Cæſar Scaliger epiſtola ad Syluium filium initio Poëtices præfixa.

In notis ad Diogenem Laërtium quas patri obtulit.

* ἄριστα δ' ἐν πρέξει μὲν καὶ ὡς ἐν ταύτῃ προηγούμενα τὸ περὶ νομοθεσίας, καὶ πολιτείας κατὰ στόμα καὶ παιδείαν νέον.

ὁμοίως οἱ τῶν πλουσίων τρέφονται τοῖς τῶν πενήτων, καὶ παιδεύονται, &c. *Ariſt. Polit. 4. c. 9.*

ἡ παιδεία ὁμοία τῷ χρυσῷ στεφάνῳ. καὶ γὰρ τιμὴν ἔχει, καὶ τὸ λυσιτελές. *Demophil. in ſimilitudinibus.*

a *Satyr.* 14.

ſene multos annos in omni genere librorum verſato nihil accuratius, aut elaboratius prodire poſſit. Id ætatis ergo, quâ vix alij librorum auctores nouêre, ſciuit adeò multa Bignonius noſter, vt clariſſimus Thuanus Præſes inter literatos inſignis, & literatorum cultor celeberrimus diceret, numquam ſe Bignonium niſi doctiſſimum nouiſſe: id eſt, numquam illum iuuenem, ſemper ſenem vidiſſe. Re verâ tanta támque præclara ſciuit, vt difficilius ſit inuenire quando didicerit, quàm quando ſcire incœperit.

Hæc autem ingenij acies, iudicij grauitas in adoleſcente, & cuiuſuis ſcientiæ capax animus in cauſa fuere, cur ab illuſtriſſimis viris, qui tunc temporis floruêre, plurimùm dilectus ſit. Dominus Iuetexus ſub Henrico IV. Delphini (vt vocant) poſtea Ludouici XIII. præceptor, itidem & Principis Vindocinenſis natu grandioris, exiſtimauit vtriuſque Principis è re futurum, ſi Hieronymus Bignonius ſæpius in eorum conſpectum ſe daret. Poſt hunc Faber ille maximus, Regis quoque præceptor ſingulari Bignonium amore proſecutus eſt. Suntque hodie qui aſſerant, ab eius ore ſe audiuiſſe, Regem Ludouicum XIII. adhuc iuniorem ſæpe de Bignonio cum eo locutum. Neque tamen propterea maior Bignonius factus eſt, aut opes ſuas auxit. Sed habuit vnde moderationis ſuæ maiora daret argumenta, dum arridenti fortunæ, & quaſi occurrenti, ne nutu quidem reſpondere, aut facilem ſe præbere voluit. His adde Cardinalem Perronium, Galliæ decus maximum, Præſidem Thuanum iam à me laudatum, Caſaubonum inter literatos nobiliſſimum, Pithœum Patronum clariſſimum, Sirmondum cùm optimum tum doctiſſimum, qui Bignonium & iuuenem, & virum, & ſenem vidit, amauit, laudauit; Leſchaſſerium in Senatu Pariſienſi, dum vixit, celeberrimum, poſt autem quàm mortuus eſt, toti Galliæ ſuis ſcriptis notiſſimum, alióſque multos, qui adoleſcentem Bignonium non tam exhortati quàm admirati, eíque gratulati ſunt. In Italiam profectus, quorquot illic celebres erant viri eruditi, Florentiæ, Romæ, Paduæ, Venetiis, eos ſibi deuinxit, S. Suſannæ Cardinalem Hieronymum Aleandrum, D. Pignoriam, alios denique, qui ſuis in libris Bignonij meminere omnes, & quanti illum facerent; teſtatum reliquere. Vt mittam Paulum V. qui vt eius indolem nouit, & candorem ingenuum magna cum eruditione coniunctum, illum dilexit plurimùm. Hos tamquam ſeniores, & in literaria palæſtra emeritos veneratus eſt. Vir autem factus iuniorum qui literis operam dabant, neminem à ſe reiecit, perbenignè & cum amoris teſtificatione domum ventitantes excepit, grauiſſimis monitis adiuuit, per ſe ipſe ſæpiſſime docuit: &, vt de me taceam, huiuſce-

*Des Iuetteaux.*

modi multi ſunt qui ab eius ore documenta præclara excepere, Nubleus, Launoius, Menagius, Valeſij & Aluerni fratres, Chamillardus in Conſilio maiore regius & publicus Aduocatus, Bigotius iunior,

*Horat.*

*---- Animæ, quales neque candidiores*
*Terra tulit, neque queis me ſit deuinctior alter.*

Quorum doctrina in libris, in cœtibus, in foro, in conuerſatione omnibus innoteſcit. Vt hîc mittam illuſtriſſimos clariſſimóſque viros de Boucherat, de Lamoignon, d'Ormeſſon libellorum ſupplicum Magiſtros, & in literis optimè verſatos, qui eo vſi ſunt perquàm familiariter. Præter illos autem habuit veluti ſocios literarum, & in eodem ſtadio decurrentes Thuanum Præſidis filium, quem nulla res è memoria æquiſſimorum hominum fugabit vmquam, Puteanos fratres, Rigaltium, Sarrauium, Hugonem Grotium, Ioſephum Scaligerum, Salmaſium, plurimos alios qui hiſce temporibus Muſas coluêre & ornauêre. Vt quiſque ſtudia, ſic Bignonium amabat, ſolo aliquando de nomine cognitum.

Nec abs re erit hîc referre qua ætate, quáque ratione Sirmondo innotuerit. Tractabat neſcio quid librorum in Officina Cramoſiana Sirmondus. Illic fortè aderat iunior Bignonius annum decimum tertium vix ſuperans, & ipſe etiam libris intentus. Venit quidam Sirmondo notus, qui de re quapiam difficili eum interrogauit. Quæſtionem audiuit Bignonius, eíque extemplò reſpondit ſumma cum eruditionis nota, & abiit. Obſtupuit Sirmondus: quæſiuit quis eſſet, & admiratione plenus dum ſe domum recipit, inuenit Fabrum de quo antè dixi, narrat quæ audierat ab adoleſcente. Ad hæc Faber: itáne tibi hactenus ignotus fuit puer ille doctor, vir duodecim annorum, in adoleſcentia ſenex & maturus, annis ſuis grandior? proculdubio ſi viuat, illum doctiſſimi, & ſapientiſſimi viri ſcientiarum Dominum habebunt.

*μετὰ λύπης ἡ μάθησις*, inquit Ariſt. polit. VIII. 5.

Quæ ſanè cum viris magnis conſuetudo licèt ditiorem Bignonium non reddiderit, neque honores auxerit, certiſſimam tamen ei immortalitatem cum perpetua laude acquiſiuit. Et hoc pluris eſt apud me quàm ſi amplificata patrimonia, adaucta prædia, cumulata beneficia in eo prædicarem, quæ nunquam in vno congeruntur, niſi cum aliorum detrimento, & ſæpe ex ſpoliis eorum. Nihil charius libris habuit: dies noctéſque cum illis verſatus, neque cuiuſquam voluptatis abſque his cupidus: ſic vt vigilias ad ſecundam vſque poſt mediam noctem horam perducere ſoleret: quibus tamen morbus grauiſſimus anno ætatis eius quadrageſimo quinto, modum coëgit adhibere. Cúmque extra paupertatis incommoda natus, facultatibus non indigeret, *amabat ſtudia vt*

Vſurpare potuit hæc Ciceronis verba, *Quid dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem otioſum.*

*ſolent pauperes:* ſicut de Cornelio Minitiano dicit Plinius. Infinitum autem propè eſt hoc quod ex libris omnis generis hauſit. Geographiæ peritus ad vnguem atque Chronologiæ, quæ ſcire non tam glorioſum exiſtimauit, quàm neſcire, turpe viro literis dedito credidit. In rebus naturalibus, diceres Ariſtotelis animam accepiſſe, adeò illas callebat. Hippocratem, Galenum, Aretæum, ita memoria tenuit, vt cum medicis diſſerens, eorum Græca verba proferret, mentem aperiret, effata & aphoriſmos commendaret. Nulla pars Mathematicarum diſciplinarum illum fugit. Geometriæ elementa, aut Arithmeticæ θεολογούμενα, mechanicorum inſtrumenta, ſyderum curſus, phænomenῶn ortus & occaſus, Perſpectiuæ pyramides & puncta, Optices angulorum varietatem, & radiorum confluxum ac inflexionem, aquarum pondera & eleuationes, ignium frena & impetus nouit, & in promptu habuit. Nihil in hiſtoria Eccleſiaſtica varium & obſcurum quod non explanaret, nihil in Græca inſigne quod non è re nata proferret, nihil in Romana ſcitu dignum quod non teneret, nihil in ſacra inuium aut difficile quod non perſpectum haberet, nihil in barbarica remotum quod non penetraret, nihil in Gallicana implexum quod non euolueret. Norunt id qui illum loquentem audierunt: vt inde effata, hinc exempla, aliunde argumenta frequens aſſumeret, perſonis, temporibus, locis deſignatis. Et ex hac accurata hiſtoriæ cognitione venit illius prudentia in rebus tractandis & in iis quas ſæpe coram Rege & Senatu auguſtiore habuit orationibus. Sciebat exemplis virorum maximorum, & ſapientiſſimorum Magiſtrorum conſiliis & præceptis, quæ cauenda, quæ reticenda, vbi audendum, vbi flectendum, quis finis rerum, quis modus verborum tenendus: ne animi altitudo in contumaciam excederet, ne illius ſubmiſſio in adulationem degeneraret. Iam quid Theologicæ diſciplinæ, quid Scripturarum ſanctarum ſcientiam referam? Quis id de illo qui in forenſi exercitio ſudat & inter Iuris ciuilis ſpinas, perpetuos dies diſtinetur, credat, ad ſublimiores eum, diuináſque literas pertigiſſe, vt de quacumque materiâ Theologicâ rectè diſſereret, & de omni Scripturæ loco egregiè diſputaret: Patrum Eccleſiæ, Authorum Theologiæ, Interpretum Scripturæ, quiqui illi eſſent, cenſor eſſet fideliſſimus, & acerrimus, & omnes in numerato haberet? Quis Sacerdotum Eccleſiæ illum de rebus Eccleſiaſticis loquentem audiuit, quem non ſui ipſius puderet, & ignorantiam ſuam præ forenſi illo Iuriſconſulto non agnoſceret? Quis Doctorum de diuinis & Theologicis eum tractantem vidit ſine ſtupore? Quis vtrorumque Patres Eccleſiæ allegantem Græcè & Latinè animaduertit ſine admiratione? Quæ niſi ego experien-

L.7. Epiſt.22.

Hydraulica. πνευματική.

tia didiciſſem, hîc non afferrem. Ad hæc humanioribus literis ita imbutus fuit, Authores Græcos & Latinos, Poëtas & Orarores ita poſſedit, vt eorum verbis, ſententiis, floribus, acutè dictis, figuris, aliiſque ornamentis Actiones ſuas quotidianas intexeret, ac veluti aſcititiis colotibus condecoraret. Denique facilius mihi eſt dicere quid neſciuit Bignonius eorum quæ in hac vira ſciri poſſunt, quàm quid ſciuerit: adeò omnia illi erant præſtò, & ad ſingula pararus fuit.

Sed hîc mirati ſubit cur multiplicis ſcientiæ fons ille vberrimus, nullos, aut paucos admodum à ſe riuos manare paſſus ſit: hoc eſt, cur non multos libros ediderit: cur poſt annum ætatis vigeſimum terrium nulli operi cudendo manum admouerit? Quidni cum Plinio ſenſit, vt *quatenus nobis denegatur diu viuere, relinquamus aliquid, quo nos vixiſſe teſtemur?* Sed cum eodem authore huic iuſtæ admirationi reſpondeo: *O quantum eruditorum, aut modeſtia ipſorum, aut quies, operit, & ſubtrahit famæ?* Aut ſentiens cum huius auunculo, curas ſpreuit ſollicitæ *auidæque numquam deſinere mortalitatis.* Conſiderauit vir ſapientiſſimus ineptorum & inutilium librorum editione operas librariorum gemere ad oblectanda otioſorum ingenia, tempúſque illorum abſumendum: fruſtra melioribus operam daret, quæ nec legere vellent homines, nec intelligere poſſent. Aut ſatis eſſe librorum exiſtimauit iis qui ſana doctrina, & pietate chriſtiana imbui volunt: altiorem & ſanctiorem cogitans, quàm quæ libris editis comparatur, immortalitatem.

*Plin. l. 5. Ep. 7.*

*l. 7. Ep. 25.*

*Plin. l. 7. c. 55.*

*tenet inſanabile multos Scribendi cacoëthes* Iuuenal.

*Lucan.*

Tót dotibus ornatus Bignonius debuit *non ſibi ſed toti genitum ſe credere mundo.* Poſt aliquot annos in cauſis agendis, audiendiſque in foro Pariſienſi tranſactos, primùm in Conſilio maiore Galliæ Aduocatus publicus, tum Conſiſtorianus Comes, deinde in Senatu Pariſienſi Aduocatus regius & publicus factus eſt, quinque ſupra triginta annos natus. Quo in gradu tamquam in theatro ampliſſimo torus emicuit.

Atque imprimis non omittendum, hoc eodem anno qui erat à Chriſto nato milleſimus ſexcenteſimus vigeſimus quintus, Clerum Galliæ in comitiis ſuis generalibus Pariſiis coactum, cùm morte illuſtriſſimi Seruini locum illum Aduocationis regiæ vacaſſe reſciuit, decreuiſſe ſuis ſupplicationibus ab Rege repetere illam dignitatem quam olim Clericus obtinuit. Verùm vbi certior factus eſt in locum Seruini Bignonium ſuffectum, omiſſis ſupplicationibus gratias egit Regi, quòd præſtantiſſimum virum ad id muneris delegiſſet, qui Religionis & Eccleſiæ res non minore zelo ac pietate tueretur, quàm ſi clericus eſſet. His ſub auſpiciis ab Regia authoritate

Digitized by Google

ritate, & ſacrorum Pontificum aſſenſu petitis, cœpit eorum quæ collegerat apud ſe præclaros fructus edere, hinc priuatorum litibus diſcutiendis, inde publicis commodis procurandis intentus.

Atque vt de priuatis paucula dicam, nulla ipſum adeundi moleſtia, pauperibus maximè, & miſeris, quos ſemper prætulit, huiuſce memor quod dixit Menander,

*Prorſus Dei ſunt qui vocantur pauperes*,

& huius Senecæ, *Res eſt ſacra miſer.* Nulla eum alloquendi difficultas: patentes aures præbuit res ſuas narrantibus. Nihil in eo rugarum neque ſupercilij, nihil verſutæ ſimulatæque triſtitiæ, qua ementitam fingeret virtutem. Non importunum in forum vultum, & nimia grauitate terrentem detulit, non ſupplicibus ac clientibus rara vel dimidiata verba protulit. In legendis autem cauſarum inſtrumentis, & examinandis ſingulis ſchedulis, ſchedularúmque punctis, & articulis mirum quàm diligens, & aſſiduus eſſet, imò quàm religioſus. Dicere enim ſolebat, cùm aliorum intereſt, nos eſſe negligentiores, licèt in propriis negotiis quiſque Argus ſit, & ſolertiſſimus: nec ſine ſcrupulo in hanc potiùs quàm in aliam partem inflectebat, aliorum iudicio ſtans magis quàm ſuo: quòd nempe in vtramque partem acutùm videret, & alterutri nocere formidaret.

*ἀεὶ νομίζονθ' οἱ πένητες τῶν θεῶν.*
Initio lib. de conſolatione, & Homerus Odyſ. Z΄.
*πρὸς γὰρ Διός εἰσιν ἅπαντες Ξεῖνοί τε πτωχοί τε.*
*οὐδεὶς ἐπιμελεῖται ὁμοίως τῶν ἀλλοτρίων καὶ τῶν οἰκείων.*
*Ariſt. œconom. 1.6.*

In publicis autem rebus, Rege ipſo pro tribunali ſedente in Auditorio Pariſienſi, Principibus, & nobiliſſimis aulicis circundato, vel toto Senatu coacto, cùm illius muneris eſſet baſilicas editiones, populíque commoda expendere atque librare, quis eius in differendo eloquentiam, in expendendo prudentiam, in Regia authoritate tuenda fidem, in populorum pace & vtilitate procuranda conſtantiam referre poſsit? Vt exorditur *aptè*, *narrat apertè*, *pugnat acriter*, *colligit fortiter*, *ornat excelsè*, *poſtremò docet*, *delectat*, *afficit*. Si probat, nihil fortius; ſi demonſtrat & exponit, nihil clarius; cùm ornat, nihil pulcrius. Dictio pura, ſermo elegans, rotundata periodus, ſententiæ graues, multa acutè dicta, plurima ad nobilem politiam accommodata, pronuntiatio clara: quibus adjuncta fuere incredibilis memoria, iudicium acre, robur mentis inuictum, attento Rege, ſtupente aula, laudante Senatu, mirante conſeſſu. Nihil in eius oratione quod reprehendere, nihil quod deſiderare poſſes. Veneratio Regis ſumma, amor populi ſincerus, verba eius diſpenſant. Gloria Regis, pax regni, quies populi, æqualibus librantur momentis. Majorum exempla ſæpe in medium afferuntur: ſimilitudinibus aptiſsimis, res quaſi ob oculos ponuntur: optata quæſitáque bona cum malis timendis prudenter admodum comparantur.

*Plin. l.2. Epiſt.3.*
Bignonius nō erat *τῶν ἐμούντων ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων*, vt de ſe Ariſtides dixit in Philoſtrato.

Verùm in his Actionibus, dum Regem inter & populum, hoc eſt in lubrico, & difficili loco poſitus, moderatè & animosè tamen agit,

& quæ ſuarum ſunt partium ea præſtat, ſæpe illi monſtra expugnanda occurrunt. Monſtra autem! Et quænam illa? Tigrides, leones, pardi & vrſi, eiuſcemodi feræ, quæ ſanguine humano paſcuntur. Sed in quoſnam memet heic amfractus adegi? ne diis inuitis, inacceſſa & ſacratiora τῆς πολιτείας adyta penetrare videar, iuro hîc ô Magnates primatij, Miniſtríque potentiſſimi, veſtram me authoritatem, veſtram dignitatem, veſtram potentiam velle intactam, & vndequaque inuiolatam. Liceat mihi cum bona veſtra venia, in prolata prædia, in amplificatos hortos, in ruſticana prætoria, in fontes operoſos, quorumdam hominum vilisſimorum, qui ſubitò erupêre in lucem, declamare. Liceat gurgites illos ſanguinem reipublicæ heluatos, iuſta indignatione perſequi, qui ex viſceribus populorum comitatus & dominationes emunt, magnificas domos ad cœlos vſque exſtruunt, montes terræ adæquant, fluuios in vſus ſuos detorquent, camporum planities coaceruatis, & decurrentibus aquis corrumpunt: quorum libidini & voluptati orbis ipſe cedere videtur. Liceat mihi ea quæ * Rex, quæ vos ipſi in animo deteſtati, odio habetis, dicteriis, probris, maledictis ſicut meruere inſequi.

*Prouerb.* I. 16. & 18. & 19. ſanguinis nomine, facultates hominis appellantur.

*Pſal.* LXXVI. 5. vbi legimus Hebraïcè *illuſtris tu & potens* (Deum alloquitur pſaltes מֵהַרְרֵי טָרֶף *præ montibus rapacibus*, id eſt, præ potentibus illis qui ex rapina viuunt.

Maiores noſtri δημοσίᾳ μὲν τοίνυν οἰκοδομήματα καὶ κάλλη τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα κατεσκεύασαν ἡμῖν ἱερῶν καὶ τῶν ἐν τούτοις ἀναθημάτων, ὥς τε μηδενὶ τῶν ἐπιγιγνομένων ὑπερβολὴν λελεῖφθαι. ἰδίᾳ δ' οὕτω σώφρονες ἦσαν καὶ σφόδρα ἐν τῷ τῆς πολιτείας ἤθει μένοντες ὥστε τὴν Ἀριστείδου καὶ τὴν Μιλτιάδου, καὶ τῶν τότε λαμπρῶν οἰκίαν εἴ τις ἄρα οἶδεν ὑμῶν ὁποία ποτ' ἐστὶν, ὁρᾷ τῆς τοῦ γείτονος οὐδὲν σεμνοτέραν οὖσαν. *Demoſt. Olynth.* 3.

Nec mirum ſi Rex hos fert potiùs quàm amat, quum certiſſimum ſit hoc quod dicit *Ariſtotel.* 4. *polit.* 11. οἱ ἐν ὑπεροχαῖς εὐτυχημάτων ὄντες, ἰσχύος καὶ πλούτου καὶ φίλων καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων, ἄρχεσθαι οὔτε βούλονται, οὔτε ἐπίστανται. Et Iuuenalis.

*Rarus enim ferme ſenſus communis in illa Fortuna.*

Oratione περὶ συντάξεως queritur Demoſth. de iis qui τῶν δημοσίων οἰκοδομημάτων σεμνοτέρας τὰς ἰδίας οἰκίας κατεσκευάκασιν, οὐ μόνον τῶν πολλῶν ὑπερηφανώτεροι, οἱ δὲ γῆν συνωνημένοι γεωργοῦσιν ὅσην οὐδ' ὄναρ ἤλπισαν πώποτε.

Hæc inquam monſtra habuit Bignonius contra quæ decertaret, eo expugnatu difficiliora, quod ſæuiunt vt feræ, loquuntur vt homines: fingunt ſe Chriſtianos, & tanquam archipiratæ latrones fuerunt, vaſtant, incendunt. Nihil in eis humani præter figuram ἄνθρωποι ἀπάνθρωποι. In quibus nihil pietatis niſi ſimulatæ. Vrbani ceteroquin, & aliquando litteratorum amantes. Animalia congeminata: intus brutæ animantes, foris homines, & iccircò monſtra. Euenit ergo anno à Domino milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo quinto, vt coram præſente Rege, audiente aula, adſtante Senatu aduerſus improbum hoc genus hominum verba faceret Bignonius, pauca quidem ſed efficaciſſima. Feritatem eorum Regi exponit, & inexhauſtam ſanguinis humani ſitim. Afflictæ verò ac miſeræ plebis ita patrocinium ſuſcipit, ac ſi

τοῖς μὲν ὑπὲρ τοῦ βελτίστου λέγουσιν οὐδ' εὐλαβουμένοις ἔνεστιν ἐνίοτε πρὸς χάριν οὐδὲν εἰπεῖν. *Demoſth. Philip.* 3.

eius calamitatis non adiutor tantùm, ſed ſocius eſſet. Ait quod *olim pauperes magiſtratus diuitem rempublicam habebant: nunc autem diues poteſtas pauperem facit eſſe rempublicam. Quæ autem inſania*, inquit, *aut quæ cæcitas, vt mendicante republica diuitias poſſe credant ſtare priuatas? .·. Quæ enim ſunt non modò vrbes, ſed etiam municipia atque vici, vbi non quot curiales fuerint, tot tyranni ſint? .·. Quis locus eſt, vbi non à principalibus ciuitatum, viduarum, & pupillorum viſcera deuorentur? .·. nec vllus admodum præter ſummos, à vaſtatione latrociny populantis immunis; .·. imò in hoc ſcelus res deuoluta eſt, vt niſi quis malus fuerit ſaluus eſſe non poſſit.* His magno quidem animo, ſed modeſtè tamen pronuntiatis, iram non miſerationem in Aulicis, & miniſtris commouit. Quos tamen non auſim aſſerere, feris his homines vorantibus oblectari, probatáſque illarum deuaſtationes, ac vexationes habere. Sed neceſſitate quadam adacti, has graſſari ſinunt, donec dies & tempus earum aduenerit. Non exiſtimauerim, Auditores, Regni miniſtros, plebis miſeria & calamitate iam graui, tam longa, tam diuturna recreari. Homines ſunt, atque hominum rectores & principes, non è fæce plebis euecti, qui ciuium ſuorum ruinis, & prouinciarum vaſtitatibus magnitudinem ſuam extulerunt.

*Saluian. l. 1. de Prouident.*

*idem L. 5.*

Multi ſunt Aulicorum quibus ſanandæ antè aures quã mentes, nihil enim boni audire volunt iuxta illud Demoſthenis. δεῖ γὰρ τὸ συμβουλεύειν τι ποιοῦντα τὴν πόλιν ὑμῶν ἀγαθὸν, τὰ ὦτα πρότερον ὑμῶν ἰάσασθαι· διέφθαρται γάρ. οὕτω πολλὰ καὶ ψευδῆ, καὶ πάντα μᾶλλον, ἢ τὰ βέλτιστα ἀκούειν συνείθισθε. oratione περὶ συντάξεως.

*Ariſtot. 2. Rhetoric. c. 16.* διαφέρει δὲ τοῖς νεωστὶ κεκτημένοις, καὶ τοῖς πάλαι τὰ ἤθη, τῷ ἅπαντα μᾶλλον καὶ φαυλότερα τὰ κακὰ ἔχειν τοὺς νεοπλούτους. ὥσπερ γὰρ ἀπαιδευσία πλούτου ἐστὶ τὸ νεόπλουτον εἶναι.

*Iuuenalis.*

*Quales ex humili magna ad faſtigia rerum*
*Extollit, quoties voluit fortuna iocari.*

His enim nihil arrogantius, ac minùs ferendum. In eis nihil moderatum aut æquabile: vix quicquam loquuntur niſi lictores, carceres, catenas, exilia, cruces. His inquam non accenſeo Regni miniſtros ac principes. Patiuntur illos technis ac latrociniis ſuis vacare, non probant; eorum auaritiâ vtuntur, non laudant: Deum imitati, cui proximè accedunt, qui peſſimis vtitur hominibus, quamdiu libet, tum illos interficit. Verùm aliquando fit vt dum in has peſtes publicas inuehimur, nimiam principum & miniſtrorum patientiam incuſare videamur. Quamquam aliter habet. Eam quidem conuenimus, non laceſſimus, non incuſamus. Amorem populi non quaſi nullum inclamamus, ſed quaſi ſopitum excitamus. Imitati illos qui ad Deum confugiunt, qui clamant, inſtant, obſecrant, conqueruntur: cætera, ad ferendum quicquid euenerit, ſe componunt. Hoc itaque non animaduertentes Aulici in Bignonio, de illo vel in carcerem coniiciendo, vel in exilium mittendo, vel Venetias legationis ſpecie able-

Teſte Ariſtot. ibidem loci.

Claudian. in Eutrop. l. 1. *Aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit in altum Cuncta ferit dum cuncta timet, deſæuit in omnes &c.*

ἔργμασιν ἐν μεγάλοις, πᾶσιν ἁδεῖν χαλεπόν. *Plutarc. in Solone.*

Tanti viri exemplo dubito, *an ſit aliquid in noſtris conſiliis, liceatque inter abruptam contumaciam, & deforme obſequium pergere iter ambitione & periculis vacuum*. C. Tacit. Ann. l. IV.

gando, cogitauerunt. Bignonius in exilium? proh ſuperûm hominúmque fidem! Bignonius, cuius pudor, fides, religio, innocentia, integritas omnium iudiciis, omnium teſtimoniis, omnium authoritatibus comprobata. Et quid eſt exulis crimen abeſt, *nomen calamitatis non turpitudinis*. Bignonius in carcerem cum ſicariis, cum proditoribus, cum cruciariis? proh ſcelus! gemunt boni in carcere dum perditi prædones, & patriæ parricidæ ſub auratis tectis, & in magnificis ædibus luxu ac conuiuiis diffluunt. Scire debuerunt quod olim in Pompeio, heic quoque futurum, vt

Cicero.

*Tam mala Bignonij quàm proſpera mundus adoret.*

*cui minor ſapientia & ex mediocritate fortuna pauciora pericula ſunt*. Tacit. Ann. l. XIV.

*Lucan.*

ſed quamcumque rationem ineant opprimendi viri optimi, vel honoris ſpecie, vel calamitatis horrore, non niſi per honorem authoribus turpiſſimum, aut per calamitatem ferenti honeſtiſſimam exſcindetur: neque enim hominibus ſed virtutibus hoſtes ſe profitentur: neque hoc iudicium putandum: ſed vulnus, ſed dedecus, ſed turpitudo rei & ſalutis publicæ.

In hac tempeſtate quæ Bignonij noſtri capiti imminebat, amicum ſenſit potiſſimum D. Belleuræum Principis Senatus patrem, Præſidem Inſularum, qui pro amico ſuo id neſciente in aula egit, vt eius vita & tranquillitas nõ turbaretur.

Verùm Rex Chriſtianiſſimus Bignonij fidem & innocentiam compertam habens, ac veteris ſui erga illum amoris memor, conſilia illa repulit:

*Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos.*

Nam iniuſtitiæ Bignonium accuſare; perinde ſit ac Herculi timorem exprobrare. Non deſunt quidem in aula, & in comitatu regum ganeones cincinnati, laruati politici, qui integerrimorum hominum vitam, fidem, mores traducant. Sed *Cor regis in manu Dei eſt*: nec ad cuiuſuis maledicentiæ auram ſinit illud commoueri. *Lenta ira deorum eſt.* cúmque melioris & diuinioris ſubſtantiæ animam reges ſint ſortiti, tardâ manu fulmina vibrant, licèt Steropes adſint multi Brontesque igni accendendo paratiſſimi. Nouerint aulicæ illæ peſtes ſe non Conſtantinopoli, ſed in Gallia verſari, vbi regis amor in ſubditos non ſinit animum eius contra illos facilè exacerbari. Fatendum eo illum tempore diſſeruiſſe, quo *dicere quod velles periculoſum, quod nolles miſerum*. Sed Ius Ciuile profeſſus erat, *quod neque inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia poſſit*. Ad alia propero.

*Martial.*

*Iuuenal.*

*Fallitur! egregio quiſquis ſub Principe credit Seruitium, numquam libertas gratior exiſtat.* Claudian. l. 3. de laud. Stilich.

*Plin. l. 8. Ep. 15.*

*Cicero.*

Sedata hac tempeſtate, non multum pòſt genero ſuo Briquetio, viro etiam optimo, & prudentiſſimo munus hoc Regiæ Aduocationis, cum Regis conſenſu tradidit, & Comitis Conſiſtoriani officio functus eſt ſed decedente eodem Briquetio, locum repetiit vt dignitatem filio ſuo conſeruaret. Quando verò Ludouicus XIII. illum nouo quodam honore poſtea auxit, affirmauit ſe obtrectatoribus eius aurem non præbuiſſe, & de fide ac amore illius ergà ſe numquàm dubitaſſe. Gaudebat Bignonius, quòd Domino ſuo poſt

Donatus in Terent. *ius eſt quod omnia recta & inflexibilia exigit.*

Deum ſummè colendo probatum ſe gratúmque agnoſceret: & hoc pluris habebat, quàm ſi diuitiis & muneribus Rex illum cumulaſſet.

In reuocanda pace tum Pariſiorum, tum Prouinciarum, quas bella ciuilia turbauerant, quia pauci in his reipublicæ tenebris cæciſque nubibus, ac procellis acutùm videbant, *& multi odio præſentium, & cupidine mutationis ſuis quoque periculis lætabantur*: ipſe omnem curam, operam, ſtudium adhibuit, vt regia authoritas inuiolata, populorum verò concordia firma eſſet: & magni ponderis erat Bignonij nomen, tam apud Regem & Aulicos, quàm apud Senatum & populum. Quandiu in Conſiſtorio Regis fuit, & poſtea, difficilioribus negotiis decidendis à Rege adhibitus eſt, & à Cancellario in conſilium vocatus: eius enim doctrinam, virtutem, æquitatem cum modeſtia ſumma coniunctas magni fecit. Itaque quæ de ſucceſſione Mantuanorum Principum diu agitata fuere, in quibus plurima erant quæ Galliæ ſtatum, regiáque iura concernerent, mandato Regis ab eo diſcuſſa ſunt: in qua lite quæ diu manſit incerta, norunt omnes quàm implicata multa, quàm obſcura, & in dubium vtrimque reuocata: quàm multi viri doctiſſimi, & iuris peritiſſimi pro alterutra parte laborauerant. Sed ipſe ad fundamenta prima reuocata cauſa, ſucceſſionibus euolutis, perſpectis affinitatibus, iuribus diſtinctis, facultatibus domus expenſis, regionum conſuetudinibus admiſſis, liti perpetuæ finem impoſuit. Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quinto, eo agente fœdera Galliæ cum Batauis renouata: alia anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quarto cum Antiaticis vrbibus peracta: quibus in rebus ſapientia eius, induſtria, veterum morum ſcientia, legum peritia, cautionum adhibendarum diligens obſeruatio mirum in modum enituere. Præterea commiſſio fiſci Regij, tum altera edicti conuocantis ſecundarias clientelas, alia denique ad ſolutionem beneficiariorum prædiorum à lege caducâ Bignonio creditæ ſunt, vt iudicio illius, & ſententia tranſigerentur, quòd leges Galliæ, & iura, & conſuetudines, & conditiones, & rei magnitudinem, & dignitatem perſpectas haberet: & quia paciſcentes pecuniæ ſummam in ærarium publicum referre debebant, cauit cum primis, ne quiſquam grauaretur. Et æquitatis ſuæ negotiatores argumentum habuere, quòd ex mente Bignonij rem totam confeciſſent. Sic olim aliquis dixit *ſe ſapientiſſimè agere, quia licèt ſapiens non eſſet, ſapientiſſimis tamen conſiliis vtebatur*. Habuimus in Gallia, non diu eſt, viros magnos, & regni primarios, qui negotio maximi momenti præpoſiti, in ſimultates incidêre publicæ ſalutis pernicioſas. Horum ſtudia conciliare, magni intererat: quis autem id operis aggrederetur, aut cui id Regina tunc temporis Galliam regens, mandaret? Delectus eſt Bignonius qui ſcientiam animorum

Cornel. Tacit. Ann 1.

æquè ac terum habebat: cuius integritas neutri ſuſpecta erat. Ope-
roſa res eſt, nec cuilibet facilis, magnatum voluntatem conuenire,
animorum ægritudinem ſine dolore & offenſione tractare. Qua enim
ratione id facias? ſuadendo? ad omnem orationis artem, & illece-
bram parati ſunt viri magni: nec verbis ſe duci ſinunt. Terrendo? apa-
ge: concitatiores fierent. Vtrique charus erat Bignonius: quis enim
tantam virtutem, tantum candorem, tantam eruditionem, tantam
modeſtiam non amaret? eos ſeorſim conuenit. Quiſque apud illum
etiam non rogatus, it ſe excuſatum ab hac ſimultate: quòd ægrè eam
„ ferret, quòd inuitus ad illam pertractus ſit. Heic Bignonius: Facilè
„ offenſiones in primariis regni naſci: ſolere tamen illos per ſeſe in
„ gratiam redire, & iracundiæ fluctus ponere, teſtibus Catone & Ci-
„ cerone Romanis, & amicitias * aut inimicitias ſuas ex bono publico
„ metiri. Eos ſequeſtro, & interprete non indigere vt pacem ineant.
„ tantùm ineſſe in vtroque vrbanitatis, & amoris commodi publici,
„ vt non dubitet, ſi occurrant, in amplexus ruituros. Illi autem, pri-
mùm non repugnare, deinde id percupere, poſteà promittere, & cer-
tiores facti mutuæ alter alterius voluntatis, maximo cum reipublicæ
bono coniuncti ſunt. Sed in iis potiſſimùm quæ ad Galliam ſpecta-
bant, & iura regni, atque authoritatis regiæ complectebantur, mi-
rum quàm ſagax eſſet, & diligens omnium obſeruator: vt arcana hi-
ſtoriæ noſtræ opportunè eruebat: vt à nemine adhuc notata, in me-
dium afferebat, vt diſtinctè & propriè ſententiam ſuam aperiebat:
vt fiſci & patrimonij regij callens erat: vt filiorum Franciæ vſuarias
attributiones, earúmque iura & priuilegia, accuratè nouerat: vt
principum honores, titulos, appellationes, pro eorum gradu, nu-
mero, ætate ſciebat: vt dominiorum in regno principalium varieta-
tes, amplitudines, mutationes pro temporibus & perſonis diſtin-
guebat: vt familiarum nobiliſſimarum nomina, antiquitates, affini-
tates, decora, egregiè facta tenebat. Vnde ad ipſum velut ad certum
regni oraculum in rebus maximi momenti confluxere Principes, &
Primates: & pluries confeſſi ſunt Bignonio neminem eſſe doctiorem,
meliorem, ſapientiorem. Quin & Principum exterorum ſeu Italiæ,
ſeu Germaniæ, Rerúmque publicarum iura, ditiones, decora, pro-
prietates, mores, conſilia, vires, omnia, ſic comperta habebat, ac ſi
intimis eorum penetralibus intereſſet: de iis interrogatus, tanta cum
facilitate reſpondebat, vt qui audiebant etiam eruditi & rerum ha-
rum periti ſtupentes redirent. Quòd ſi Eccleſiæ res agebatur, ſeu in
Conſiſtorio Regis, ſeu in Senatu Pariſienſi, ſeu in fœderibus quibus
intererat, ſupra fidem eſt quomodo Conciliorum canones, Patrum
dogmata, Pontificum decreta, Sanctorum exempla, fundamenta
hiſtoriarum, hæreſeon principia, & horum omnium cauſas, tempo-

* De Arato dixit Plutarchus ἔχθρας ὅρῳ καὶ φιλίας τῷ κοινῷ συμφέροντι χρώμενος. quod virorum magnorum & ſapientiſſimorum eſt.

ra, loca, exceptiones, vſus, abrogationes, æquè facilè explicabat, ac ſi manu tractaſſet. Veteris autem diſciplinæ quoad licuit, aſſertor erat: antiquos mores pro virili reuocabat: diœceſeon, parochiarum, monaſteriorum reformationi fauebat.

De ſummo verò Pontifice, eiúſque authoritate ſi diſceptaretur, vix vmquam magis & pietas, & prudentia Bignonij emicuit. Nam inde patriæ iura & conſuetudines, inde Patris omnium poteſtatem, ſapienter admodum diſtinguens, ſuum vnicuique tribuebat: nec vlli quicquam detrahi permiſit: ſingularem in omnibus venerationem erga ſanctiſſimum Patrem oſtendens.

*Cùm tot in hac anima populorum vita ſalúſque*
*Pendeat, & tantus caput hoc ſibi fecerit orbis.*

*Lucan.*

Hiſce cum ornamentis facultates ſuas non auxit Bignonius. Vti animus eius tot inter laudes, & plauſus numquam intumuit, ſic nec ſubſtantia creuit. Semper manſit idem, ſumma cum moderatione: vt Bignonij modeſtia vbique celebraretur, & ab omnibus amaretur. Nihil in domo, nihil in filiis, nihil in menſa quod non moderationem præferret, & vt indigere miſerum eſſe ſenſit, ſic diteſcere periculoſum. Et quis magni faciat immenſas diuitias, quas viliſſimis & ſceleroſis hominibus communes eſſe videt? quæ cuiuſdam iniuſtitiæ hodie & auaritiæ, & deprædationis notæ ſunt in plurimis.

παῖ τὸ ἀποχρῶν μαθόντι ἄριστον. *Philoſtrat. in Herod.*

ὑπέρκαλον δὲ ἢ ὑπερίσχυρον, ἢ ὑπερευγενῆ, ἢ ὑπερπλούσιον, ἢ τἀναντία τούτοις, ὑπέρπτωχον, ἢ ὑπερασθενῆ, ἢ σφόδρα ἄτιμον χαλεπὸν τῷ λόγῳ ἀκολουθεῖν. γίγνονται, γὰρ οἱ μὲν ὑβρισταὶ καὶ μεγαλοπόνηροι μᾶλλον. οἱ δὲ κακοῦργοι καὶ μικροπόνηροι λίαν. *Ariſt. 4. Polit. c. 11.*

Eam ob rem ſummam ærarij publici præfecturam ſibi anno 1651. oblatam recuſauit: ne *ſi tangeret picem ab ea coinquinaretur.* Ne vel cogitatio, vel ſollicitudo pecuniæ maculam innocentiæ inureret: ne, etiamſi puras manus haberet, non puras habere crederetur: ne latrones publicos, quos oderat, etiam ferre & tolerare cogeretur. Et ſanè quidem tantus non fuiſſet Bignonius, niſi contemptum diuitiarum habuiſſet, ſine quo nihil magnum in hominibus, quicquid magni oſtentare videantur. Quidquid eruditionis iactitent, quicquid ſapientiæ & induſtriæ venditent, nihil in eis magnum niſi diuitias contemnant. Nec ſi fulget purpura, nec ſi emicat dignitas, nec ſi corona caput exornet, quicquam propterea erit magnum ſine contemptu diuitiarum. Extra paupertatem eſſe velint: diuites & opulenti fieri non curent: quas ab auis accepere opes, ſeruent: eas in infinitum augendi curam abiiciant: faceſſant hi qui nullam eſſe magnitudinem & præſtantiam putant, niſi vbi diſtenta nummis marſupia,

Eccli. XIII. I.

*Aude hoſpes contemnere opes, & te quoque dignum Finge Deo.*

*Nemo alius eſt Deo dignus, quàm qui opes contempſit.* Senec. Epiſt. 18.

Fuit aliquádo paupertas δεῖγμα λαμπρὸν χρηστότητος καὶ μεγαλοφροσύνης.

*Plutarch. in Galba.* Herodes Sophiſta. θησαυροὺς εἰς οὓς ἀποτίθενται τὰ χρήματα ἔνιοι, πλούτου δημιουργεῖα dixit.

vbi agrorum ſpatia immenſa, vbi dominationum plurimarum tituli aggeſti, qui theſauros ſuos tanquam *pecuniarum carceres* habent: Aſinio Marcello perquàm ſimiles, qui *paupertatem præcipuum malorum* credebat. Deum ſuum incluſum tenent, & ei quotidie ſacrificant, Aloadas imitati, qui poſtquam Martem in vincula conieciſſent, ei ſacrificauere.

*ἔοικεν ἡ κολακεία γραπτῇ πανοπλίᾳ, διὸ τέρψιν μὲν ἔχει, χρείαν δὲ οὐδεμίαν* Demophilus.

Neque ratio quærenda cur ditior factus non ſit Bignonius. Haud inanibus ſe virorum ſuperborum laudibus implicuit: non in libris vel in actionibus ſuis aulicis adblanditus eſt. Non ore ſuo laudauit quæ in animo ſuo exſpuebat, non verbis extulit quæ mente oderat. non exquiſitis adulationum generibus vſus eſt, vt ſolent viliſſima aulicarum gratiarum mancipia. Non ſeplaſiator verborum fuit: non miſericordiam in crudeliſſimis hominibus, non in ſuperbiſſimis moderationem laudauit. Sed nec inter ſalutatores domum magnatum ſe contulit: non in veſtibulo aut ſalutatoria aula cum aliis multis, tempora multa triuit, vt ab egrediente, & ingrediente videretur, & velut inſignis notaretur. Scio hæc officia ab illuſtriſſimis, nobiliſſimis, fortiſſimis viris erga primates regni frequentari. Sed quid hoc ad Bignonium, qui in eorum ſe numero numquam collocandum cenſuit, ſed tenuitatis ſuæ conſcius, ſua ſe virtute inuoluit? ſcilicet in effuſis hominum laudibus, vbi non meriti ſed dignitatis ratio habetur, error plurimus, aſſentatio putida, & ſæpe inſaniæ adduntur irritamenta. Sed ſentio hîc me meo perſtringi ſtilo, qui hac in re nimio plus liberalis factus ſim. Quàm multa inuiti facimus, & facimus tamen! agnoſco ingenuè, quamuis illis abſtinuiſſem, nec minorem me, & tamen meliorem futurum. Quàm eloquentes ſæpe, & diſerti videremur, ſi taceremus! Vt quid caſtiſſimas muſas hiſce præconiis fictis & mendacibus contaminamus? Quid inde fructûs ſperamus? olim

*εἰδὼς καὶ ζώντων κόλακας, κόρακας ἐστὶ* Epigr.

Sciebat quòd ex *τοῦ πρὸς χάριν δημηγορεῖν ἐνίους, εἰς πᾶσαν προελήλυθε μοχθηρίας τὰ παρόντα πράγματα.* Demoſt. Olynth. 3.

Ιιſως, *ἀλλὰ δίκαιον πολίτου κρίνω τὴν τῶν πραγμάτων σωτηρίαν ἀντὶ τῆς τοῦ λέγειν χάριτος αἱρεῖσθαι.*

*Quid quod adulandi gens prudentiſſima laudat Sermonem indocti, faciem deformis amici,*

*Et longum inualidi collum ceruicibus æquat Herculis,* Iuuenal.

a *Et ſpes & ratio ſtudiorum in Cæſare tantùm.*

Nunc verò contigit vt

——————b *Deſertis Aganipes*

*Vallibus eſuriens migraret in atria Cleio.*

Et ludiones, mimi, faceti, adulatores, *γελωτοποιοὶ* viri & *μιμηταί*, paraſiti, hiſtriones, in eius locum ſucceſſere.

*Accepi enim non minùs interdum oratorium eſſe tacere, quàm dicere.* Plin. l. 7. Ep. 8.

a *Iuuenal.*

b *idem.*

Sed quînam ſit ſaltem vt filiorum Bignonij nullus beneficio Eccleſiaſtico donatus ſit: cùm ipſe de re publica ſæpius bene meritus eſſet, clareréntque eius merita, & vbique terrarum celebrarentur. Promptum eſt quoque huicce quæſtioni reſpondere. Idcirco nullum huiuſcemodi beneficium accepit: quia nullum petiit. Nec ſolent aulici dare, niſi petentibus. Digni illi quidem ſunt qui non petunt: ſed ratio aulica noſtræ non conſentit. Quid, quod non ſolùm petendum,

*Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces.* Sil. Ital.

dum,

dum, ſed cum ſollicitatione, cum ambitu, cum interceſſione multorum flagitandum, præeuntibus interdum muneribus, & viam parantibus: quæ ſanè ſi nihil criminis habent apud multos, in mente Bignonij religioſiſſimâ criminis plena ſunt. Auſim autem aſſerere, quòd non tantùm non peteret beneficia, ſed ne oblata quidem reciperet. Quorſum enim viro ſapientiſſimo, & virtutis ad canones & regulas Eccleſiaſticas exactæ, quorſum bona Eccleſiæ in domum ſuam recipere? An vt viuant filij? habent Deo dante abſque illis vnde viuant. An vt opulentiùs, & ſplendidiùs viuant? ô ſcelus deteſtabile! ô nefandum ſacrilegium! Sed quî ſufficere poſſint beneficia Eccleſiaſtica, vt & bene meritis concedantur, & pleriſque aliis in quibus nec pietas, nec eruditio locum habent? Neminem fugit in Gallia quibuſnam artibus nonnulli facti ſunt illuſtriſſimi, qui antea obſcuriſſimi erant: qua ratione lucere cœperunt, qui omni claritate erant deſtituti. Et dum hæc dico, nulli iniuriam facio: neque quiſquam mihi iraſci poteſt, niſi qui de ſe priùs voluerit conſiteri. Ad ornamenta virtutum Bignonij tranſeamus, quæ & vitam, & mortem eius condecorauere.

Amandatis ergo à domo ſua immenſis diuitiis & beneficiis Eccleſiaſticis, tamquam vitiorum plurimorum ſeminibus & cauſis, oſtendit ſe nihil venale in lingua, nihil in anima coactum habere. Sua erga regem non venire obſequia. Nec ſi beneficum illum, nec ſi parum liberalem experitur, quicquam propterea mutat: ſpem omnem ac formidinem, quarum flatibus aliorum voluntates agitantur, ipſe præſcidit. Ad aliam amuſſim mentem ſuam direxit. Quod lex iubet, quod Deo acceptum, præſtabilius eſt illi omnibus bonis: & nihil magis fugiendum cenſet, quam quod rationi, pietati, Chriſtianæ religioni contrarium. *Neque minus apud hunc honeſtas, quàm apud alios neceſſitas valet.* Eam ob rem numquam Aulam adiuit, nec Summatum domos, niſi vocatus: ne placandi quidem cauſa, quando ſubiratos nouerat, conſcius ſinceræ ſuæ erga Regem obſeruantiæ, nec vllius ambitionis reus, non exiſtimauit excuſatione ſe indigere. Cum Solone ſenſit, qui dicenti ſibi cum *Rege* aut pauca *aut placentia* eſſe loquendum, reſpondit, *aut nulla, aut vera.*

Comitatem illius, benignitatem, ſincerũ animi cãdorem erga filios, erga domeſticos, erga amicos, ac etiam in litigantes fruſtra commemorem. Hærent adhuc in animis omnium: vt nemo non propter illa eum extolleret. Nihil ſeueritatis vmquam oſtendit, niſi vbi iuſtitiæ intererat: haud enim in eo quidquam molle aut fractum, ſed neque auſterum quidquam & intractabile. * Tam à ſuperbia alienus fuit ac ſi prorſus nihil feciſſet, aut nulli charus ac laudatus eſſet: vix aliquid tulit maiore cum moleſtia, quàm laudes hominum & plauſus: nec animum inducere potuit vt legeret quæ in eius honorem ſcripta

Periit ab orbe Chriſtiano iuſtitia: commutatiua quidem maximam partem, fraudibus, mendaciis & vſuris manifeſtariis. At iuſtitia diſtributiua penitus auolauit: & cum maximo Eccleſiæ detrimento beneficia Eccleſiaſtica conceduntur

οὐκ ἀειστίνδην ſed πλουτίνδην.

ὅλου τοῦ βίου ἐστὶ τέχνη ἡ ἀρετή.
*Philo.*

Numquam laborauit ἀργυράγχῃ, quod patiuntur bene multi.

*Plin. l. 4. Epiſt. 10.*

Ω Σόλων (ἔφη) τοῖς βασιλεῦσι δεῖ ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα ὁμιλεῖν. καὶ ὁ Σόλων Μὰ Δί' (εἶπε) ἀλλ' ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἄριστα.
*Plutarch.*

*Vt in vita, ſic in ſtudiis pulcherrimum & humaniſſimum æſtimo ſeueritatem comitatémque miſcere, ne illa in triſtitiam, hæc in petulantiam procedat.*
Plin. l. 8. Ep. 22.

* *Quin ipſa ſuperbia longè Diſceſſit, vitium rebus ſolemne ſecundis Virtutúmque ingrata comes.*
Claud. de laudib. Stilic l. 2.

erant, aut eius dicata nomini. Coniunxit quæ plurimum diſtare videbantur, ταπεινοφροσύνην, id eſt, humilem ac demiſſam ſui ipſius exiſtimationem, cum maxima ſcientia; & hac ſua modeſtia potiſsimùm ſibi omnium amorem & admirationem conciliauit; vt nemo non laudaret, quia à nemine laudari vellet. Et licèt *gloriæ cupido* huiuſmodi ſit, vt *nouiſſima exuatur etiam à viris ſapientibus.* In Bignonio tamen citò euanuit. Adoleſcens vir, ſenex nihil quicquam tumidi & inſoleſcentis habuit, ſempérque ſe ad Chriſtianam modeſtiam compoſuit. Neque de illo dici potuit,

*O quàm diſsimiles hic vir & ille puer.*

Quærebamus ſuprà, cur à vigeſimo tertio ætatis anno libros non ediderit? Eum ſe eſſe non credidit, qui alios docere poſſet, & poſteris aliquid momenti relinquere. Cur in priuatorum cauſis quas pro ſuo officio in vtramque partem agitabat, rarò litem decideret? non tanti eſſe ſententiam ſuam exiſtimauit, vt proferretur. Sic de ſe Bignonius cogitabat, dum vbique terrarum à viris doctiſsimis, ſcientiarum Rex, literatorum Sol, Muſarum Apollo, Themidis Pariſienſis Antiſtes celebratur.

Rex eum dilexit, *a* veriti ſunt aulici, Senatores omnes ad vnum magni fecere, vicini vt præſidium in medio ſui conſtitutum habuere, miſeri numquam fruſtra inuocauere, *b* mali odere, prædones publici timuere, literati laudibus ad cœlum vſque extulere, *c* filij & ſuſpexere ſimul, & amauere, morum eius eam ob rem imitationi ſedulò incumbentes. Omnium denique in ore fuit Bignonius, & omnium omnes ille vnus cogitationes impleuit. Et nihilominus ſi ei de ſe ſententiam ferenti credimus, nihili eſt, nihil ſcit, nihil egit, nihil prometuit.

Sed omnium rerum nihil ita in Bignonio excelluit ac pietas in Deum, & ſincerus Chriſtianæ religionis amor; qua rara *d* magiſtratuum, *e* diuitum, *f* eruditorum, *g* variis diſtractorum negotiis virtus eſt. Sed in Bignonio & prima & vltima fuit, & antiqua & nouiſſima. *h* Cum ea creuit, & adoleuit, cum ea ſenuit, & mortuus eſt. Fuit in eo cæterorum baſis & apex; & quem puerum ornauerat, actis profundis radicibus illum numquam deſeruit. Hanc totos vitæ dies coluit, auxit, omnibus prætulit, tamquam ſcopum habuit, in moribus expreſsit, palam, & in ſecreto dilexit, & quà verbis, quà operibus & exemplis aliis perſuaſit. Fuit Bignonius in literis omne genus verſatiſsimus; fuit regularum & præceptorum politiæ nobilioris callentiſsimus; in Gallia & apud Principes ſpectatiſsimus, præclara in Senatu Pariſienſi, & in Conſiſtorio Regis dignitate ornatus, fortunæ bonis quantum ſatis erat, præditus. Sed hæc omnia eius ornamenta ſuperant, morum eius ſanctitas, & vitæ innocentia. Illa nihili habuit, vt in his totus eſſet. Illa in nullo numero poſuit, vt ſummam vitæ &

*Tacit. hiſt. 4.*

*Ouid.*

Fuit in eo τὸ εὔφημον, καὶ τοῦτο ἀψοφητὶ, καὶ τὸ πολυμαθὲς ἀνεπιφάντως.

*M. Anton. l. 1. de vita ſua.*

a Sc. διεγερθέντος illum μᾶλλον ἢ φιλοῦντες, vt Catoni accidit. *Plutarch.*

b τὸ δυσομίλητον αὐτοῦ βαρυνόμενοι, *vt de Catone minore ait Plutarch.*

c ἀρετῆς γὰρ ἀληθινῆς οὐκ ἐγγίνεται ζῆλος ἢ δι' ἄκρας τοῦ παραδιδόντος εὐνοίας καὶ τιμῆς. *Plutarch. ibid.*

τοὺς μὲν καινοὺς ἀξιοῖς τὸ πνεῦμα δίδωσι, τοὺς δ' ἀνοήτους ἀνθρώπους τὸ εἷμα. *Demoph.*

d Quia his ſæpè ſanctitatis Chriſtianæ, nomen vile eſt.

e In his enim *clauſum poſſidet arca Iouem.*

f Scientia ampla, & quæ illam ſequitur φιλοτιμία ſic animum occupant aliquando, vt nullum virtuti relinquant locum.

g Magni nempe bardeliones: illis ſapere non vacat.

h *Maior in exiguo regnabat corpore*

cogitationum ſuarum in has conferret. Et Propheram ſecutus, qui legem Dei loco omnium conſiliariorum, & omnium authorum habuit, Euangelicis ſe ita conformauit regulis, & poſtea Pontificum, Patrum, Conciliorum placitis, & conſuetudinibus, vt inde ſolum quid fas, quid nefas eſſet ſumeret, & qua ratione ſibi viuendum, adiſceret. Non in turbidis contentioſorum doctorum aquis, non *inciſternis diſsipatis*, ſed in ſacris bibliis diebus ſingulis ſeſe exercebat, mente ſua procul ab omni ſtrepitu ſeiunctus, & extra omnem rerum humanarum cogitationem poſitus. Illic exuebat magiſtratum, vt Chriſtianum ſolum indueret; illic omnem ſcientiam abdicabat, vt diuinam & cœleſtem perciperet, & Deum vnum docentem audiret. Mirabatur in ſimplici ſtilo rerum ſublimitatem, in humili altitudinem, in humano diuinitatem. Homines quæ Dei ſunt annunciantes, Deum verò *ἀνθρωποπαθῶς* & loquentem, & ſeſe exhibentem. Agnoſcebat ſcripturis his in genere literarum nihil eſſe antiquius; In iis quæ ad mores pertinent nihil vtilius, nihil etiam ruſticis ad intelligendum facilius. In iis verò quæ ad eruditionem ſpectant, nihil arduum magis & varium & amplum, nihil quod ſcitu dignius ſit. Ex hoc itaque animarum ſanctarum gymnaſio, ex hac athletarum Chriſti palæſtra, ex hoc phrontiſterio Chriſtianorum prodiit nobis maximus, & excellentiſsimus Bignonius. Quàm multi ſunt qui *Curios ſimulant*, qui *tenero ſupplantant verba palato*, qui videri volunt

*virtus.* Statius.
Multi palam laudantur, quorum ſecreta malè audiunt, ſicut de Licinio Muciano ait *Tacit. Hiſt.* 1.
Pſal. cxix ſecund. Hebræos verſ. 24. ſic textus fert Hebr. *etiam lex tua delicia mea*,
אַנְשֵׁי עֲצָתִי *viri conſilij mei.* id eſt, conſiliarij mei.
Loquitur Deus in ſcripturis lingua filiorum hominũ, vt dicunt Hebræi.
*Iuuenal.* *Perſ.* *idem.*

*Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſique Solones*,

dum honeſtatis cuiuſdam extrinſecùs laruam prætendunt, intus autem ne vmbram quidem virtutis habent; qui ad fontem hunc ſanctitatis, Scripturam aio ſacram, & maximè Chriſti Euangelium numquam animum ſuum aduerterunt. Nihil in profeſsione Chriſtiana contempſit Bignonius; Eccleſiæ catholicæ vſus omnes obſeruauit; parochiæ ſuæ addictus, ſempérque in humili loco conſiſtens, extra chorum & clericorum cœtum; quia in ædibus Eccleſiæ nihil niſi ſe Chriſtianum meminerat. Et verò qui tot aliis in locis magnitudinem ſuam oſtentant, qui plateas pompa ſua implent, & artiores faciunt ac impeditas, qui domi, & in foro, & vbique oculos omnium in ſe conuertunt, ſua ſemper de dignitate ſolliciti, vt vix abſque illa dormiant, cur in ædibus ſacris ſaltem ſe profeſsioni Chriſtianæ non accommodant, hoc eſt ſimpliciſſimæ, & ab omnibus honoribus, titulis, gradibus abhorrenti: & quam prudentiores, ac ſapientiores nullo in loco obliuiſcuntur, cur hi in medio Sanctorum poſiti, coram Domino ſuo aſtantes, eam ob oculos non habent? Quod ſi *Galat.* III. 28. *in Chriſto Ieſu non eſt Iudæus neque Græcus, non eſt ſeruus neque liber, non eſt mas, neque fœmina*, quî fieri poteſt vt in Eccleſia quæ *corpus Chriſti, & plenitudo eius* eſt, ſit diſtinctio magiſtratus & plebeij, diuitis & pauperis? Talem ſe Eccleſiæ, & ſacris altaribus obtulit Bi-



Digitized by Google

gnonius, qualem quondam Eccleſia genuerat, mundo rènuntiantem & pompis eius. Hinc nonnumquam intra turbam & promiſcuam plebem viſus eſt ſtans, catecheſes audiens, attenta mente, ac ſi ipſe inſtituendus fuiſſet, aut ſublimia aliqua & recondita pronuntiaſſet qui loquebatur è ſuggeſtu. Quàm ſæpè ſummo mane ſubduxit ſe ab oculis domeſticorum, vt ſolus iraret per Eccleſias, & alicubi defixus cor ſuum coram Deo effunderet, & procul à conſpectu hominum eleemoſynas largiretur, ac pauperibus quos in numerato habebat, ſuccurreret? Quoties in angulis Eccleſiæ obſeruatus eſt, licèt latere ſe crederet, flere vbertim, ac ſi ſe maximum peccatorum ſenſiſſet: deinde ſtolæ alicuius Euangeliſtæ & Euangelio quod pronuntiabatur caput ſuum ſubmittere? hac nempe actione quæ ſimplicium Chriſtianorum eſt, ſe ad omnem ſimplicitatem componens, & doctrinam ſuam, doctrinæ Chriſti ſubiciens. Quoties ſacerdoti ſacrum facienti miniſtrantem noſtris oculis vidimus hac in Eccleſia, & omnia miniſtri officia, quæ animo conicere poteſtis exequentem? An hîc minimis immoror? proh Deum immortalem! noſtra ſocordia, noſtra cæcitas, & ſuperbia fecit vt hæc minima exiſtimaremus. Sed abſit vt viri piiſſimi, & ſanctiſſimi cum vulgo Chriſtianorum ſentiant. Hæc ſi minima ſunt, ad ea virum maximum deſcendiſſe, non minimum eſt.

Exiſtimaui de Bignonio differens hoc quod de Catone mi. ait Plutarch. δεῖ μηδὲ τὰ μικρὰ τῶν ἠθῶν σημεῖα παραλιπεῖν, ὥσπερ εἰκόνα ψυχῆς ἀποχαραττομένοις.

Dum ſic animum ſuum immortalitati conſecrat, mortem corpori ſuo acceſſit. Diuturnis morbis conflictatus neque propterea labori parcens, aut ab occupatione forenſi abſtinens, præcipiti morte, haud tamen illi improuiſa, præreptus eſt. Quanto autem cum detrimento noſtro, quanta cum iactura reipublicæ, & totius orbis fato auferuntur à nobis viri boni, Auditores? *a* Hi ſunt ſal mundi, quo euaneſcente, facilè corrumpimur. *b* Hi puriora terræ ſydera, quæ cùm occidunt, tenebris inuoluimur. *c* Hi Dei imago omnium pulcherrima, qua abſcedente Deus ipſe à nobis recedere videtur. *d* Hi pacem hominibus & conſiliis & precibus ſuis conciliant: quibus amiſſis, bellis deſtinamur. Hi parata, & capitibus noſtris impendentia fulmina repellunt, quibus recedentibus, malis obruimur. Et vel vnus illorum, multorum criminibus coram Deo reſiſtit, ne pœnis quas meruere affligantur. Faxit Deus vt obitus Bignonij viri integerrimi, & optimi, qui in foro iuſtitiæ & æquitatis præſidium, qui in vrbe miſerorum perfugium, domi omnis virtutis exemplum fuit, nihil vrbi Pariſiorum, nihil Galliæ mali portendat, ſed eius cuius in terris defenſor fuit, in cœlo protectorum numerum augeat. Morti proximus iuſſit vt in medio cœmeterij parochiæ conderetur: exoſus quandam quæ inualuit conſuetudinem ſacras Dei ædes oſſibus humanis & puluere inficiendi. Quod olim vix ſanctiſſi-

a *Viri boni, anima ſunt mundi*, ſecundùm S. Iuſtinum. & in opere imperf. apud Chryſoſt. ſunt *medulla mundi*.

b Quod ſtellæ in cœlo, hoc viri boni in terra.

c ὁ κατ' ἀρετὴν βίος τῷ θεῷ ὁμοιώσεως αὐτὸν τετυχημένος, τῷ ὄντι θεῖός ἐστιν. *Hierocl.* Et ait *Ariſt. 3. Polit. c. 13. de viro optimo*, ὥσπερ γὰρ θεὸν ἐν ἀνθρώποις εἰκὸς εἶναι τὸν τοιοῦτον.

d Sunt enim filij Dei: & hi pacifici dicũtur *Matth. 5. 9.* ὁ σπουδαῖος τοῦ φαύλου λύτρον. *Philo.*

mis hominibus conceſſum, hoc nunc temporis audent appetere multi vix ſatis Chriſtiani. Et quas ædes numquam dum vixere ex animo venerati ſunt, ſuis non timent corporibus mortuis contaminare. Et præterquamquòd ſalubritati loci hoc plurimùm nocet, certè ſanctitati eius non parum detrahit. Videant Pontifices quo iure id permittant, Conciliis hoc prohibentibus: & conſiderent etiam atque etiam Matricularij, an ex praua hac conſuetudine pecunia ſit congerenda.

Paraphraſtes Chald. in Pſalm. lxxxiii. 4. viros ſanctos vocat *Dei theſauros.*

*Omitte corpus, rem ſepulchri & funeris.* Prudent. Periſteph.

Morti templum erexere Lacedæmonij, vt quam alij fugiunt, timent, abhorrent, colerent ipſi, amarent, adorarent. Neque enim credidere commodiùs, & vtiliùs poſſe homines ſuæ immortalitati & ἀποθεώσει conſulere, quàm cùm ſubeunda mors eſt: tunc enim quicquid virtutis, quicquid magnitudinis & excellentiæ in homine eſt, prodit, elucet, erumpit. Hæc vitam coronat, præclarè facta illuſtrat, obſcura tegit, mala corrigit, famæ apud poſteros momenta diſpenſat; & ſæpe ſatis eſt fortiter mori, vt optimus quiuis cenſeatur & maximus. Multi* *glorioſæ mortis beneficio*, adhuc viuunt. Et ex Platone ſapiunt homines tunc maximè cùm iamiam morituri ſunt. Sed Bignonius, & dum vixit, & cùm mortuus eſt, ſapientiæ ſuæ argumenta dedit.

*Plutarch. in Agide & Cleomene.*

*Marc. Ant. de ſeipſo l. 4.* ὁ θάνατος τοιοῦτος, οἷον γένεσις, φύσεως μυστήριον.

Sæpe turpis vitæ maculam honeſta mors emendat.

**Caſſiod. l. 3. Ep. 6.*

πᾶν ἐφήμερον, καὶ τὸ μνημονεῦον, καὶ τὸ μνημονευόμενον. *M. Ant. l. 4.*

Monumentum Bignonij non marmoribus ornatum, non ſtatuis inſigne, non columnis diſtinctum, non ſculpturis mirabile, non cælaturis æſtimandum, non varia & multiplici arte laudandum: ſtultum enim exiſtimauit in rebus perituris immortalitatem quærere: quia poſt mortem gloriari, vltra vitæ terminos deſipere eſt. Monumentum, inquam, Bignonij, Chriſtianæ humilitatis monumentum eſt. Quæris vbinam ſit Bignonius celebratiſſimus ille Regius Aduocatus: ſi famam attendis, vbique: ſi corpuſculi locum, ferè nullibi. Eam ob rem hoc illi Epitaphium pono:

*Bignonium fruſtra tumulo ne quære ſub iſto,*
*Namque vmbram illius, vix locus iſte tenet.*
*Aſt vbi ſit totus dici ſi poſcis: Vbique.*
*Vtque hunc contineat, non ſatis orbis erit.*

*Epigr. Gr.*
ἀλλ' ἀρετὴ πολύολβος ἐπίπλατο πείρατα κόσμου·
Καὶ ψυχὴ μακάρων ἀμφιπολεῖ θαλάμοις.

Hactenus multa dixi, AVDITORES: pauca tamen præ argumenti amplitudine. Temerarius ſim ſi Bignonij laudes intra orationis fines comprehendere me poſſe crediderim. Qui inter Chriſtianos virtutis præcellentiſſimæ, inter Magiſtratus integritatis inuiolatæ, inter Regis ſubditos fidei perfectæ, inter literatos eruditionis & doctrinæ conſummatæ fuit, tanto interuallo Oratorum vires, & conatus ſuperat, quanto ſupra vulgus hominum euectus eſt. Haud tamen merita laude carebit. Nullibi terrarum tacebitur Bignonius: nulla vrbs erit tanta vel tantula, quæ illum non celebret. Muſæ eum commendabunt, quas dilexit. Eius laudibus perſtrepet Parnaſſus, quem co-

> σοφοὶ σοφοὺς σώζουσιν αἲ ὦσι σοφοί. dicebat Philoſtrat⁹ philoſophus Arrio philoſopho, quò vitam ab Auguſto eius operâ impetraret. *Plut. in M. Anton.*

luit. Eum ad cœlum vſque extollent Academiæ, quas pro virili fouit, & auxit. Illum loquentur libri cùm quibus vixit. Sed cum primis pigra non erit nec infrequens hoc in officio academia Pariſienſis, cuius Proceres ſuſpexit, & amauit, cuius priuilegia defendit, cuius hoſtes & aduerſarios non ſemel repulit, & compreſſit, cuius gymnaſia & agones ſuâ ſæpe præſentiâ condecorauit, & ore ſuo laudauit.

Quòd ſi hæc non ſufficient ad tanti viri laudem, qui dignum Bignonio elogium quærunt, adeant Franciæ Cancellarium Seguierium, virum doctiſſimum, & doctorum æſtimatorem acerrimum, qui ſæpe Bignonij conſilio in rebus grauiſſimis vſus cum gaudio illum ad omnia paratum vidit, cum admiratione dimiſit, confeſſus inter doctos vnicum & ſingularem. Adeant Belleuræum Senatus Pariſienſis Principem nobiliſſimum, & meritiſſimum, qui ſermonis elegantiam, rationum pondus, dicendi artem, ſententiarum grauitatem, patriæ amorem in eo centies extulit. Qui poſtquam funus Bignonii præſentiâ ſuâ vnà cum aliis Infulatis Præſidibus ornaſſet, dicenti cuidam cauendum eſſe ne id traheretur in exemplum, reſpondit, *Non ſemper Bignonios habebimus.* Sed & fatebitur patrem ſe habuiſſe virum æquiſſimum, grauiſſimum, integerrimum, ſæpe de republica benemeritum, in Senatu Pariſienſi Præſidem Infulatum, Bignonii iudicio, & ſententiæ ita adhærentem, vt nihil momenti ſine illo ſtatuere ſoleret. Et poſtquam viuos hos teſtes illuſtriſſimos magnitudinis, & præſtantiæ Bignonij audierint, ſtent demum iudicio Richlei illius Ducis & Cardinalis, in quo cognoſcendorum hominum ſtudium viguit, cui magnarum animarum virtus vndequaque perſpecta fuit, vt quid ab eis timendum, quid expectandum eſſet, notum haberet. Hic omnium hominum qui in republica literaria florerent, tres tantùm doctiſſimos celebrabat, Hieronymum Bignonium, Hugonem Grotium, Claudium Salmaſium. Et tamen quis neſcit quàm celebres fuerint Heinſij, Voſſij, Seldeni, Buxtorfij, Sirmondi, Rigaltij, Allatij, Holſtenij, alij bene multi? Tantorum virorum teſtimonia omnem Oratorum eloquentiam, omnem Poëtarum venuſtatem, omnem Hiſtoricorum fidem ſuperant. Sed etſi taceant omnes, ſemper maximus erit Bignonius. Ipſe ſuum ſibi decus & ornamentum eſt, quod nec vis temporum, nec potentia aulicorum, nec calumniatorum audacia vmquam violabit: neque noſtris laudibus indiget vir omni laude maior, vt ſit felix, & clarus, & immortalis.

> Dorion in Philoſtrato vitis Sophiſtarum in Dionyſ. ait ſapientis eſſe ἑαυτὸν γιγνώσκειν, ἕτερον δὲ μὴ ἀγνοεῖσθαι. *Sarrauius in Epiſtolis pag. 146.*

*DIXI.*

# D. O. M.

SEMPITERNÆ VITÆ FONTI.

*ET*

IMMORTALI MEMORIÆ

## HIERONYMI BIGNONI,

VIRI

INTER REGIOS SENES

SAPIENTISSIMI,

INTER REGIOS ORATORES

CLARISSIMI,

INTER IVDICES INTEGROS

INTEGERRIMI,

INTER PIOS OMNES

ILLVSTRISSIMI,

QVEM HIC QVASI IACENTEM CERNIS,
VIATOR,
SI PVTAS IACERE,
TOTA VIA ERRAS.
POST DEIECTVM TOTIES MENDACIVM,
POST CONCVLCATAM VIRIBVS TANTIS INIQVITATEM,
POST CONTRITAS IMPROBORVM
INVICTO ELOQVENTIÆ MALLEO
MOLAS,
POST EREPTAS DE FAVCIBVS ET DENTIBVS EORVM
INCORRVPTA SANCTITATE
PRÆDAS,
HIERONYMVS BIGNONVS
NEC CECIDIT,
NEQVE CADERE VEL DEBVIT, VEL POTVIT:

Digitized by Google

QVI
DEI E ECCLESIÆ,
REGIS ET REGNI,
ASTREÆ AC THEMIDIS
CAVSAM VICTRICEM PERORANDO STARE FECIT SEMPER;
AC
NE CADERET ALIQVANDO OMNINO,
PER SCRIPTA AVREA ET CEDRO DIGNA
SAPIENTER,
PER FILIOS PVBLICÆ FELICITATI SANCTE EDVCTOS
FELICITER PROVIDIT.
AD COELESTEM POSTEA IVSTITIÆ CORONAM
INTEGERRIMIS MORIBVS QVÆSITAM,
AGONIBVS LEGITIMIS COMPARATAM,
LAVDATISSIMIS LABORIBVS DEBITAM
FIDELIS ATHLETA PERREXIT:
INDE
COMMENDATAS HVIC LOCVLO
SACRAS EXVVIAS REPETITVRVS;
QVANDO IVDEX IVDICVM
IN PORTIS SEDERIT
CVM SENATORIBVS TERRÆ.
TV INTERIM
VIRO SANCTO
LVCEM INEXTINCTAM,
RELIGIONIS ASYLO
QVIETEM INCONCVSSAM,
AFFLICTORVM REFVGIO
SOLIDAM PRECARE FELICITATEM;
PIETATI AVTEM AC PIIS OMNIBVS
PAREM SEMPER
EXOPTA DEFENSOREM.

De Benedictina S. Mauri Congregatione merito quàm optimè
P. Id. April. Ann. M. DC. LVI.

*F. ROBERTVS QVATREMARIVS*
*eiuſdem Congregationis Monachus*
*BIGNONIÆ GENTI ADDICTISSIMVS.*

Dicite iuſto quoniam benè, quoniam fructum adinuentionum
ſuarum comedet. *Iſa. 3.*

# HIERONYMI BIGNONII NOTÆ

## *AD MARCVLFI MONACHI FORMVLARVM LIBROS II.*

## *Et cæteros Formularum Auctores.*

### AD LIB. I.

REVERENTISSIMO PAPÆ LANDERICO ] PROOEM. Auctoris ſæculum, ætatem & inſtitutum ex hac epiſtola diſcimus, quæ ab alio expectare fruſtra eſſet: ſe enim Marculfum nomine, profeſſione monachum fuiſſe, & ſeptuaginta annis maiorem diſertè teſtatur. At cùm Landerico, cuius iuſſu id ſuſcepiſſe fatetur, opus ſuum inſcribit, tempus certiſſimè deſignat. Ille namque Landericus, etſi ciuitatis, cui præfuit, nomen non addatur, alius à Landerico Pariſiorum antiſtite eſſe non poteſt: quem Chlodoueo ſeu Ludouico Dagoberti F. Rege claruiſſe conſtat, circa annum Chriſti DCLX. cuius tandem ſanctiſſimam memoriam Eccleſia Pariſienſis IV. Eid. Iunij quotannis recolit. Quòd vero Landericum Papam appellet, ſæculi

more loquutus eſt Marculfus : omnes quippe tum Epiſcopi Papæ vocabantur. Id ex Sidonio, qui paſſim omnes Galliæ Epiſcopos Papas agnominat, palam eſt: tum ex Gregorio Turonenſi, apud quem non ſemel hæc vox eodem ſenſu reperitur. & epiſtolæ Chlodouei Regis ad Synodum Aurelianenſem I. hæc legitur epilogus*: Orate pro me domni ſancti & Apoſtolica ſede Papa digniſſimi.* Fortunatus quoque Venantius Pictauenſis Epiſcopus, eiuſdem æui ſcriptor, Leuntium Burdegalenſem & Gregorium Turonenſem Papas paſſim vocat. Quin & Synodus Turonenſis II. ſub Chariberto R. c. 21. Epaunenſes canones memorans, *à Papa Auito*, qui Viennenſis Epiſcopus fuit, *& cæteris Epiſcopis*, conſcriptos eſſe ait. Quod à Græca voce, quæ patrem ſignificat deductum, & veteribus vſitatiſſimum fuiſſe ex Cypriano, Athanaſio, Rufino, Hieronymo & Auguſtino, iam nemo neſcit. Neque verò Iuſtiniani ſæculo, vt quidam putant, aut circa Gregorij Magni tempora vt alij, illud exoleuiſſe dici poteſt. Nam & plerique multis pòſt annis, præſertim extra Italiam ſcriptores, Papæ nomen omnibus Epiſcopis tribuerunt. Extant inter cætera veteres Tortarij Floriacenſis verſus, ante ſexcentos annos conſcripti, de tranſlatione B. Mauri, quibus quidam inducitur Britannus Epiſcopus, dum cauſam fugæ reddit, dicens melius eſſe fugere, *quàm me Barbarico Papam contradere ludo.* Donec in Synodo Romana primus, vt à doctiſſimo Cardinale obſeruatum eſt, Gregorius VII. Pontifex Romanus conſtituit, vt Papæ nomen vnius eſſet in orbe Chriſtiano: quod inter eius dictatus li. 2. Regiſtri videre eſt.

REVERENTISSIMO ] Sic MS. vt & apud Sidonium ep. 14. l. 5. *reuerentiſſimo exemplo*, non reuerendiſſimo, ne operarum vitium putes.

EBETVDO ] Gregorius Turonenſ. de miracul. lib. 2. cap. 2. *Cùm ſtarent omnes in hebetitate mentis attoniti.*

TAM IN PALATIO QVAM IN PAGO ] In palatio, de negotiis ſcilicet quæ ante Regem expediuntur, & de quibus chartæ Regales fiunt, quæ primo libro traduntur. In pago ſeu in vnaquaque ciuitate, ante Comitem vel iudicem loci, quæ chartæ pagenſes dicuntur & ſecundo libro proponuntur, qua de re latiùs libro ſecundo.

INANTEA ] id eſt in poſterum, dehinc, veteribus Gallis *en auant*, vnde natum Italicum *inanzi*. Quæ dictio non huius tantùm auctoris propria, qui ſexcentis locis ea vtitur, ſed & omnium ferè eiuſdem æui & ſequentium auctorum. Itaque nil frequentius in ſynodis, capitulis, annalibus & chronicis: quod ſemel annotaſſe viſum eſt.

CAP. I. PRIVILEGIVM ] Priuilegij nomine heic ſignificatur inſtrumentum libertatis ab Epiſcopo monaſterio tributæ, quam vulgò exemptionem dicimus, quo ſenſu hanc vocem à pleriſque vſurpatam eſſe video. Porrò hæc formula teſtatur, iam tum in vſu fuiſſe eiuſmodi libertates, & ab Epiſcopis, quorum præcipuè intererat, conſcribi & indulgeri ſoli-

Digitized by Google

*Munera non etiam potuerunt ſtectere mentem :*
*Soluere non mores potuit male-ſuada voluptas :*
*Tanta viro fuerat vis & conſtantia Recti !*
*Te Diuum* BIGNONE *canam ; tua facta fidelis*
*Poſteritas referet, nitido numeranda lapillo ;*
*Et vitæ & mentis purus memorabere Faſtis.*
*Exemplis ventura tuis formabitur Ætas,*
*More Patrum niſi noſtrorum peiora ſequatur.*
*Quid referam docta tenuit quas Palladis Artes ;*
*Innumeros Ritus, Leges, Moréſque vetuſtos,*
*Et ſcriptis ditaſſe ſuis inſignibus Orbem ?*
*Plura recenſendi non iam locus ; hunc ſibi luctus*
*Occupat, oppreſſo cohibens in pectore laudes.*
*Nec mora, præcipiti merguntur lumina fletu,*
*Lugubréſque dolor premit ingens corde querelas.*
*At Dolor! extremum ſaltem hunc concede laborem,*
*Inualidâ Buſto* BIGNONI *ſcalpere dextrâ ;*
BIGNONVS *Regni ſplendor, Patriæque voluptas,*
*Muſarum Numen, ſacri decus omne Senatus,*
*Debuerat, qui Morte ſuâ tot cauſſa malorum eſt,*
*Vel nunquam, vel ſerò magis decumbere morte.*
*Sed iuuat ancipites animi compeſcere curas ;*
*Namque alius paribus ſtudiis, & robore mentis,*
*Moliturus opus tantum ſuccedit adempto,*
BIGNONVS *magni Genitoris nobilis Hæres.*

Pridie Kal. Maij M.DC.LVI.

---

## D. BARRINI REGI A CONSILIIS, & libellorum ſupplicum Magiſtri.

Eò quòd D. BIGNONIVS elegerit locum ſepulturæ in Cœmeterio.

CONDITVR *hoc tumulo Regis regníque patronus,*
*Defenſor viduæ, pauperis atque parens.*
BIGNONIVM *dixiſſe ſat eſt, quis neſcit illum ?*
*Corpore paruus erat, totus at ingenium :*
*Doctrinam ſi reſpicias, quis plenior illo ?*
*Si mores, nemo ſanctior eſſe poteſt.*
*Quippe duo viuus ſemper contraria iunxit,*
*Cunctarum rerum notitiam, abſque typho :*
*Nec iuuat hunc vixiſſe humilem, moriendo ſuperbos*
*Inſtruit, hoc humili ſarcophagóque iacens:*



Digitized by Google

*Sed fruſtra vili tegitur ſub ceſpite terra,*
*Nam totum ſancto cœlum erit vrna viro.*

---

MVses prenez le deuïl, voſtre Apollon n'eſt plus,
L'Eſcole des Sçauans a perdu la lumiere;
Toutefois nos regrets ſont icy ſuperflus,
Ce Heros eſt au bout d'vne illuſtre carriere,
Et quoy que ſous le poids de la mort abbatu,
Bignon viura touſiours où viura la Vertu.

*De Monſieur* Giry.

---

HOc *iacet in tumulo Themidis* Bignonivs *Heros,*
*Muſarum quondam, nunc pietatis opus.*

Iacobvs Ioly Procognitor Regius, menſe Apr. 1656.

---

Ad Nobiliſſimum Clariſſimumque virum Bignonivm, Illuſtriſſimo Senatus Ordini nuper cooptatum

Epigramma.

Lvgebat *Themis, & crudelia fata vocabat*
*Quòd tuus occiderat noſter & ille parens.*
*Quippe capax mentis Medicorum exhauſerat artes,*
*Artibus hiſque memor ſponte ferebat opem.*
*Iraſcor, Medicina, tibi, quòd nulla paraſti*
*Pocula, præclarum queis tuerere caput.*
*Heroes ſed fata manent. mortalibus ægris*
*Commodat ad tempus lumina rara Deus.*
*Aſt vbi præfixos terris vicere labores,*
*In cœlum reuocat gloria læta viros.*
*Non tamen hæc mulcent Themidem, minuúntve dolores,*
*Fletibus aſſiduis ora rigare iuuat.*
*Occidit heu Regni columen* Bignonivs, *inquit,*
*Et nos occidimus ſpes populique ſalus.*
*Vt vidit gnatos; hunc munia Regis obire,*
*Et tractare parem bella paterna foro:*
*Illum conſiliis medio fulgere Senatu,*
*Quem priùs Orator ſuaſerat eloquio.*

*Protinus excutiens conceptum corde dolorem,*
*Ecce, ait, in natis ſpirat vtriſque pater.*
*En iuuenum præcox prudentia præterit annos,*
*Pondus ineſt animis ingeniuſque vigor.*
*Hic patris viget eloquio, ſanctúmque Senatum*
*Arrigit ad voces conſilióque regit.*
*Ille ætate minor quem purpura veſtit, iniquas*
*Componit lites, belláque ſæua domat.*
*Promittit patrium robur, iuſtíque tenacem*
*Propoſiti mentem, ſi bene nota fides.*
*Annorum ſeriem compenſat docta iuuentus*
*Et verſata diu tot monumenta ſenum.*
*Quicquid Ariſtoteles abſtruſus condidit antris*
*Detegit, & nouit quàm ſapit alta Plato.*
*Quos aut Roma vetus vel Græcia iactat alumnos,*
*A puero ſtudij conciliauit amor.*
*Necnon rimatur quos Gens Hebræa Magiſtros*
*Suſpicit, & veteres audit amátque ſonos.*
*Teſtis ego rigido quem lætum examine vidi,*
*Obſtupui & ſorti blandior ipſe meæ.*
*Difficiles legum gaudebas ſoluere nodos,*
*Prælia ridebas ingeniique cruces.*
*Creſcite magnanimi iuuenes, decora ampla Senatûs,*
*Neſtoreos annis vincite vterque dies:*
*Heredes pater inuenit virtutis auitæ,*
*Oſtendunt tales ſæcula rara viros.*

Hoc precabatur illuſtriſſimis fratribus pro officio ſuo
N. LELETIER Doctor Med. Facult. Pariſienſis.

*Τῆς φύσεως μέγα θαῦμα· παλαιά τε καινά τε εἰδὼς,*
*Θεοφιλὴς εὕδει ἐνθάδε Βιγνόνιος.*

ÆGIDII MENAGII.

---

Ampliſſimi Viri HIERONYMI BIGNONI in Suprema Pariſienſi Curia Aduocati Regij

TVMVLVS.

QVOD *cineri,* BIGNONE, *tuo pia reddere certat*
*Gallia, quos viuus ſis dedignatus honores,*
*Parce, nec ingentis ſolatia parua doloris*

*Afflictæ inuideas matri. Tu lingua loquentis*
*Regis & Imperij. Patria te vindice leges*
*Vim priſcam in tantâ morum tenuere ruinâ.*
*Vnum Romuleis, vnum te Gallia Graiis*
*Omnibus antetulit; cùm tu ſimul vnus haberes*
*Quæ priſcis inſigne decus diſperſa dedere.*
*Quem natura ſuis ornauit largior vnquam*
*Muneribus? vel quis variis magis artibus auxit*
*Sedulus acceptas naturæ munere dotes?*
*Quidquid Graiorum monimenta immenſa recondunt,*
*Et quæcumque latent Romanis abdita libris,*
*Quidquid habent vaſti ſinuoſa volumina Iuris;*
*Fontibus ex ipſis teneris vigil adbibis annis.*
*Mox meliora iuuat ſacris impendere chartis*
*Tempora, & antiquos penitus peruoluere Patres.*
*Tótque licèt variæ mentis penetralia formæ*
*Implerent, non illa tamen ſine lumine moles,*
*Nec congeſta ſimul temerè ſimulachra iacebant.*
*Stabant quæque ſuâ conſtructæ ſede figuræ:*
*Qualibet hinc ſeſe facilis, cùm poſceret vſus,*
*Promebátque, oríque tuo feſtina ſubibat.*
*Hinc tua longinquas peruaſit gloria terras;*
*Et quotquot virtutis amor, vel Apollinis artes*
*Sollicitant, cuncti ſtudiis ardentibus vltrò*
*Tecum perpetuo petierunt fœdere iungi;*
*Muſarúmque ducem coluit te quiſque ſuorum*
*Primitiis operum, cùm tu non inuidus omnes*
*Arbiter exciperes, & ſcriptis ſcripta repenſans*
*Docta per innumeras ageres commercia gentes.*
*At quorum decus exoriens tutoris egebat,*
*Hos fouiſſe tui gaudebas nominis vmbrâ,*
*Quò teneræ tutò poſſent adoleſcere laudes.*
*Sic te diuitiis multi, cultúque ſuperbo*
*Vicerunt; nullus tot ſe iactauit amicis.*
*Nullius inuidia eſt minùs auſa laceſſere famam,*
*Incolumis licèt hæc nunquam virtutis amica.*
*Quid loquar, vt tibi mite daret facundia mitis*
*Imperium? partem incumbens ſeu pronus in vnam,*
*Pertraheres tecum magni conſulta Senatus;*
*Seu magis incertas velles ſuſpendere mentes,*
*Ancipites dubio librans examine cauſas.*
*Sic tua nonnunquam viſa eſt ſententia vinci,*

SACROS PERCIPIAT GRADVS ] Monachi quippe clerici non ſunt. l. generaliter 40. C. de Epiſcop. & cleric. Nam primis ſæculis monachos extra clerum fuiſſe indubitatum eſt. Ideo can. 4. Synodi Calchedonenſis, eccleſiaſticis, aut ſæcularibus negotiis ſe immiſcere prohibentur, μήτε τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς, μήτε βιωτικοῖς παρενοχλεῖν πράγμασι, ἢ ἐπικοινωνεῖν. Vnde & eodem can. & can. 8. in pœnis non depoſitione, vt clerici, ſed excommunicatione cum laicis puniuntur. Adhúcque in Synodo Ticinenſi anni DCCCLXXVIII. in qua Carolus Imperator renunciatus eſt, *Laici & monachi perpetuo anathemate feriantur*, qui locus extat & apud Aimoini continuatorem lib. 5. c. 35. B. Hieronymus ad Heliodorum de laude vitæ ſolitariæ, pluribus aliam docet eſſe cauſam monachorum, aliam clericorum, hos paſcere, illos paſci. Quod infinitis Patrum teſtimoniis probari poſſet, niſi certo certius eſſet monachos clericos non fuiſſe, vſque ad tempus Zozimi & Syricij Romanorum pontificum, quorum hic epiſt. 1. c. 13. ad Himerium, innuere videtur, licentiam ſe præſtare monachis morum grauitate & fidei inſtitutione commendatis, vt poſſint clericorum officiis aggregari. Inter opera Hieronymi legitur Epiphanij ad Ioannem Hieroſolymitanum epiſtola, ab eo Latinè reddita, in qua refertur Epiphanium ordinaſſe presbyterum monachis quibuſdam Syriæ poſcentibus, qui eis dominica ſacramenta conficeret.

QVEM ABAS POPOSCERIT ] Priuileg. Berthefridi: *Si quos autem gradus clericorum minores aut maiores, Abas iam dicti monaſterij elegerit, ſiue intra aut extra monaſterium ſine aliqua premij acceptione conſtituimus conſecrare.*

ALTARE BENEDICAT ET SANCTVM CHRISMA ANNIS SINGVLIS SI VOLVERINT POSTVLARE PRO REVERENTIA LOCI SINE PRETIO CONCEDAT ] Priuileg. Berthefridi. *Altaria ad ſæpedictum monaſterium, vel tabula ſi defuerint, Epiſcopus Ambianenſis Eccleſiæ in Dei nomine benedicat, & chriſma ſacrum conficiat ſine prêtio, & annis ſingulis pro reuerentia ſanctorum ſine vllo pretio, muneris cauſa concedat.* Priuileg. Landerici, *ſi neceſſitas eis fuerit, ex noſtro & ſucceſſorum noſtrorum Epiſcopatu, ſine pretio chriſma & oleum ſuſcipiant.* Et quod de chriſmate ſine pretio dicitur, rectè id & ſecundùm canones: Synodi Barcinonenſis ſub Recaredo R. c. 2. *vt cùm chriſma presbyteris diœceſanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Meldenſis ſeu veriùs Pariſienſis ca. 45. *Vt nemo Epiſcoporum, vel quilibet miniſter Eccleſiaſticus, propter ſacrum chriſma aliquid muneris accipiat, neque denarios vel quelibet munuſcula.* Synodi Cabilonenſis II. ſub Carolo M. can. 16. ex quo Gratian. can. ſtatuimus. 1. qu. 1.

NVLLAM PENITVS ALIAM POTESTATEM IN MONASTERIO, NEQVE IN REBVS, NEQVE IN ORDINANDIS PERSONIS &c.]

Berthefridus, *Vt quicquid prędicti monaſterij monachis ſub libertate euangelica Regio munere, ſeu à quibuſlibet Chriſtianis in agris, in mancipiis, vineis, ſyluis. auro, argento, vel veſtibus, vel quibuſlibet ſpeciebus ad prędictum monaſterium pertinentibus, à quibuſlibet collatis, aut deinceps collatura ſunt, ſępè dictum monaſterium, vel monachi ibidem degentes vitę noſtrę temporibus, ſeu ſucceſſorum noſtrorum, nec ego, nec vllus ſibi pontifex, aut aliquis ex ordine clericorum ordinatores Ambianenſis Eccleſię, ſuis vſibus vſurpare, aut minorare, aut ad ciuitatem aliquas ſpecies deferre pręſumat.* Quæ ſummatim & ad verbum ferè referuntur à Nicolao I. PP. ep. 24. qua illud Ambianenſis Epiſcopi priuilegium confirmat. Illud ipſum cauetur Synodo Valentina, quæ Baſilicæ S. Marcelli, & S. Symphoriani rogatu Guntchranni R. libertatem concedit, *Si quid per quaſcumque auctoritates, aut ſcripturarum epiſtolas, prefatus Dominus Rex, vel ſupra nuncupata iugalis ſua, filieque eorum, ſiue in miniſterio altariorum, ſiue in quibuſcumque ſpeciebus, quę ad diuinum cultum pertinere noſcuntur, contuliſſe vel adhuc conferre voluerint, neque ab Epiſcopis locorum, neque poteſtas Regia quocumque tempore ſucceſſura, de eorum voluntate quicquam minorare, aut auferre pręſumat. Quòd ſi quis hoc quocumque tempore temerare, aut auferre pręſumpſerit, veluti necator pauperum, anathemate, &c.*

Archidiaconi ] Quippe illi res temporales & Eccleſiæ opes diſpenſabant. Prudentius Periſtephanon, de B. Laurentio, quem Leuitam primum è ſeptem-viris dicit:

*Celeſtis arcanum domus*
*Fidis gubernans clauibus*
*Votáſque diſpenſans opes.*

In altario offertum ] Solemne tunc temporis erat, res donatas Eccleſiæ vel traditas, aut ſaltem earum inſtrumenta altari imponere. Infrà c. 2. *aut de offertione in altario.* Synodi Aurelian. I. can. 16. *Vt de his quę in altario oblatione fidelium conferuntur, medietatem Epiſcopus ſibi vindicet.* & c. 17. *de his quę in altario acceſſerint.* Gregorius Turonenſ. de mirac. lib. 1. cap. 61. *Homo deuotus balteum ex auro puriſſimo cum omni apparatu ſtudioſiſſimè fabricatum, ſuper altare Baſilicę illius, (S. Nazarij) poſuit, orans vt in cauſis ſuis martyris virtus dignaretur adeſſe.* Leg. Alaman. tit. 1. vbi de charta donationis ad Eccleſiam, *Coram ſacerdote, qui ad eandem Eccleſiam deſeruit ſuper altare ponat.* Leg. Baiuuarior. tit. 1. *& tunc ipſam epiſtolam ponat ſuper altare, & ſic tradat pecuniam.* Ideo & Carolus M. R. facta donatione Eccleſiæ Romanæ, eam *ſuper altare S. Petri, & poſtmodum intus in ſancta eius confeſſione poſuit*, inquit Anaſtaſius in Hadriano. Eius rei formula traditur in Capitulis Benedicti Leuitæ lib. 6. c. 285. *Et ipſam ſcripturam coram altari aut ſupra tenet, dicens eiuſdem loci ſacerdotibus atque cuſtodibus, offero Deo atque dedico omnes res, quę hac in chartula tenentur inſertę.* In vet.

instru-

Digitized by Google

inſtrumento Maioris Monaſter. apud Pithœum, *quod dum de more ſuper altare poſuiſſent.* In tabular. Corbeiæ *factum donum per manus Roberti Flandriæ conſulis, necnon Gauffredi Pariſiorum præſulis ſuper altare S. Petri impoſuit.* Quò referri poſſet illud, qui altari ſeruit viuat de altari.

AVFERRE PRÆSVMAT] Illud nominatim cauendum monachis fuit, alioqui iure veteri id omne quod Eccleſiis totius diœceſis offerebatur Epiſcopo cedebat, Synodi Aurelianenſis III. ſub Childeberto can. 5. *Si quæ oblationes, in quibuſlibet rebus atque corporibus collatæ fuerint Baſilicis in ciuitatibus conſtitutis, ad poteſtatem Epiſcopi redigantur, & in eius ſit arbitrio, quod ad reparationem Baſilicæ, aut obſeruantium ibi ſubſtantiam deputetur. de facultatibus verò parochiarum, vel Baſilicarum in pagis ciuitatum conſtitutis, ſingulorum locorum conſuetudo ſeruetur.* Synodus Cabilonenſis apud Gratianum, *Decretum eſt, vt omnes Eccleſiæ cum dotibus ſuis & decimis, & omnibus ſuis in Epiſcopi poteſtate conſiſtant, & ad eius ordinationem ſemper pertineant.* Verùm cùm omnia ſibi vindicarent Epiſcopi, canonibus demum prouiſum fuit, vt certa parte ab Epiſcopis præcepta, reliquum immune Eccleſiis ſeu parochiis ſupereſſet: qua de re elegans eſt conſtitutio in Concilio Carpentoratenſi ſub Cæſario Arelatenſi: Synodi Aurelianenſis I. ca. 16. De monaſteriis verò Concilio Ilerdenſi can. 3. ſtatutum eſt *vt quæ in iure monaſterij de facultatibus offeruntur, in nullo diœceſana lege ab Epiſcopis contingantur*, quod quidem an tum in Gallia obtinuerit, neſcio, cùm idipſum nominatim in omnibus monaſteriorum priuilegiis exactiſſimè cautum ſit, quod alioqui fruſtra eſſet. Extat in tabulario Corbeiæ Benedicti III. PP. epiſtola, qua eius cœnobij priuilegia confirmantur, quæ idipſum ſtatuit: cuius verba, quæ huc faciunt, quòd nondum edita, ac ne quidem vlla illius Pontificis epiſtola, & non minus piè quàm eleganter ſcripta ſint, exſcribere non pigebit. Sic igitur habent: *Cùmque Galliarum permaximè Eccleſias fidelium collationibus à Domino conſtet eſſe ditatas, vt nemo ſit ferè Epiſcoporum, cui ſuæ ſumptus Eccleſiæ ſatis ſupérque non ſufficiant, cuius gratia neceſſitudinis, quæ ſeruorum Chriſti ſint vſibus collata, in ſuos committere ſumptus præſumant? Si enim clericorum qui de propriis habundant reditibus communicatio prohibetur cum eis quæ conferuntur Eccleſiæ, ne dum illi acceperint, qui de propriis habundant, eorum qui nihil habent inopia non leuetur, qua conſcientia Epiſcopus ſuæ ſumptibus Eccleſiæ ſufficiens, quæ ſeruorum Dei fuerint vſibus collata præſumat contingere? nec veretur quod per prophetam Dominus exprobrat ſacerdotibus, dicens, Rapina pauperis in domibus veſtris. Pauperes enim Chriſti eſſe quis neſciat, qui contemnentes ſubſtantiam mundi, ſaluatoris noſtri veſtigia ſectantes, qui cùm eſſet diues pro nobis pauper effectus eſt, ſanctæ profeſſionis titulum ſibi diuitias arbitrantur? Quiſquis igitur aliquid horum, quæ fuerint ad neceſſitates eorum collata præſumpſerit, & ſuis commodis applicuerit,*



Digitized by Google

*rapinam in domum ſuam de ſubſtantia pauperis congregat. Omnia quæcumque ſunt Eccleſiis oblata vel delegata, in pauperum, pupillorum, viduarum, certum eſt, neceſſitates deſtinata. Quare quiſquis ex his aliquid in ſuas vtilitates exigit, rapinam pauperis in domum ſuam congeſtam detinet, &c. Scriptum per manum Theodori notarij & ſcrinarij S. R. E. menſe Octobrio indictione IV. Actum non. III. Octob. per manum Theophylacti ſecundicerij ſanctæ Sedis Apoſtolicæ. Imperante domino piiſſimo Auguſto Hlothario, à Deo coronato magno imp. an. XXXIX. ſed & Hludouico nouo imperatore eiuſdem filio, an. VII. indict. IV.*

PONTIFEX DE IPSA CIVITATE COERCERE DEBET] Obſerua in caſum negligentiæ iuriſdictionem & poteſtatem Epiſcopo ſeruatam, ne impunita ſcilicet eſſent maleficia, & canonica auctoritas conuelleretur.

DOMESTICIS FIDEI] id eſt, fidelibus, qui diuino ſeruitio iugiter incumbunt, & quorum ſors Dominus eſt: infrà c. 2. & alibi paſſim. Sidon. lib. 6. ep. 10. lib. 9. ep. 8. & alij.

REATV ANATHEMATIS] Frequens tum erat, & etiam poſtea, anathematis pœnam inſtrumentorum ſanctionibus inſerere, vt in Landerici & Berthefridi priuilegiis, & infrà lib. 2. c. 1. 3. 6. & paſſim in veteribus formulis ſacris & profanis, & in Regum quoque diplomatibus. In præcepto Dagoberti, *Si quis hæc non obſeruauerit, & hic & in futuro anathema ſit.* Sic & in Teſtamento Leodebodi Abbatis de donatione & conſtructione cœnobij Floriacenſis. Nec diſſimiliter apud Greg Turon. lib. VII. c. VI. in pactione fratrum ne Pariſios vnus inconſulto altero ingrederetur, *eſſetque Polioctus martyr, cum Hilario atque Martino confeſſoribus, iudex ac retributor eius.*

ET NOS ET FRATRES NOSTRI DOMINI EPISCOPI] qui heic non tantùm adhibentur vt teſtes, verùm & quia eiuſmodi libertas non niſi magno in conuentu Epiſcoporum indulgebatur: infrà cap. 2. *iuxta quod ab illo Pontifice, vel ceteris domnis Epiſcopis &c.* Berthefridus: *Quam definitionem conſtitutionis noſtræ, vt noſtris & futuris temporibus valitura ſit, manus noſtræ ſubſcriptionibus roborauimus, & coepiſcopos dominos & fratres noſtros rogauimus, vt ipſam in omnibus confirmare debeant.* Iiſdem verbis Landericus in libertate S. Dionyſij, quæ à magno Epiſcoporum numero ſubſcripta eſt. Quam quidem Aimoin. lib. IV. c. XLI. Clypiaci in conuentu Pontificum & procerum totius gentis factam eſſe teſtatur, cui interfuere *propè omnes Galliarum Epiſcopi,* vt ille ait.

CAP. II. CONCESSIO REGIS AD HOC PRIVILEGIVM] Satis oſtendit hoc lemma non priuilegio tantùm Epiſcopi, ſed & conſenſu & confirmatione Regis opus fuiſſe: quod planè hæc formula declarat, quæ ſuperioris etiam verba recenſet. Chlodouei quoque R. Dagoberti F. litteræ, quibus Landerici priuilegium confirmatur, in illo cœnobio

Digitized by Google

aſſeruantur. Hincmatus Richildi Reginæ apud Flodoardum Hiſt. Rhemenſ. lib. III. c. XXVII. *Reducit etiam ob memoriam, qualiter præfatus Rex petente Irmintrude Regina de rebus tunc ſuis per conſilium Parduli Laudunenſis Epiſcopi, priuilegium ad idem Oriniacum monaſterium à ſe dictari, & à cæteris Epiſcopis firmari rogauerit, & ipſe Rex confirmauerit.*

VIRIS APOSTOLICIS ] Sic tum vocabantur Epiſcopi, infrà cap. 3. 5. 6. 7. 11. 16. 21. 23. & paſſim apud Marculfum & veteres formularum auctores, eadémque ratione apud eoſdem *Apoſtolica Sede digni, & Apoſtolica Sede colendi.* Chlodoueus R. in epiſt. ad Synodum Aurelian. I. *Orate pro me Domini ſancti & Apoſtolica Sede Papæ digniſſimi.* Sic & apud Gregor. Turon. lib. 9. c. 41. & 42. extant duæ epiſtolæ, quarum hoc eſt principium, *Domnis ſanctis & Apoſtolica Sede digniſſimis.* Ita & *Apoſtolicam Sedem*, cathedram Tricaſſinæ vrbis dixit Sidon. lib. 6. ep. 1. & *apoſtolatum* lib. 6. ep. 4. & 7. & alibi ſæpe. quibus locis multa eruditiſſimè Io. Sauaro, Aruernorum & Præſes & decus, quem non exſcribo. Ideo autem Apoſtolicos Epiſcopos dictos eſſe apparet, quòd in locum Apoſtolorum illi ſucceſſerint. Præter auctores quos ille notauit, Cyprianus ep. XLII. & LXV. Clemens ep. 1. Anacletus ep. 2. & apud Gratianum can. In nouo. diſt. 21. & Greg. lib. 6. ep. 27. Hincmar. ep. III. c. IV. Idémque in libro aduerſus Hincmarum Laudunen. c. XII. quamquam ſpeciali nota, Romanam Sedem Apoſtolicam dici Synodi & patres vbique conclament: quod etiam Balſamo agnoſcit in præfat. Concilij Carthaginenſis. Quæ demum appellatio ſoli Pontifici Romano data eſt, adeò vt *apoſtolicus*, nullo alio adiecto ſequentibus ſæculis diceretur, noſtriſque vernaculis ſcriptoribus *apoſtole.*

AVT SVPER PROPRIETATE, AVT SVPER FISCO ] His verbis duæ notantur bonorum ſpecies, & velut maxima rerum diuiſio, quæ eo ſæculo recepta erat, quod & ex c. 33. infrà colligi poteſt. Omnia namque prædia, aut propria erant, aut fiſcalia. Propria ſeu proprietates dicebantur, quæ nullius iuri obnoxia erant, ſed optimo maximo iure poſſidebantur, ideóque ad heredes tranſibant. Fiſcalia verò, beneficia ſiue fiſci vocabantur, quæ à Rege vt plurimùm, poſteáque ab aliis ita concedebantur, vt certis legibus, ſeruitiiſque obnoxia, cum vita accipientis finirentur. Rurſus proprium, ſeu proprietas duplex: alia quippe *Alode*, ſeu *hereditas, proprium paternum aut maternum* erat. Alia non à parentibus accepta, ſed labore & parſimonia cuiuſque comparata, *ex comparato*, aut *ex conquiſitu* dicebatur. Sed poſtea & res comparatas alodij nomine vocauerunt: eóque peruentum vt *alodia* liberi iuris prædia, quæ nec fidem, nec penſitationem deberent, generaliter dicta ſint, ad feudi differentiam, quo ſenſu Alodij vocabulum adhuc hodie iure noſtro vſurpatur. Hæc diuiſio paſſim apud medij ſæculi ſcriptores notanda occurrit. infrà c. 12. *Villas illas, ſitas in pago illo, quas aut munere regio, aut de alode parentum, vel vndecunque ad præſens tene-*



Digitized by Google

*re videtur*, & l. 2. c. 17. Greg. Tur. l. 9. c. 38. *Sunneſigillus & Gallomagnus, priuati à rebus quas à fiſco meruerant in exilium retruduntur, &c. quibus nihil aliud eſt relictum, niſi quod habere proprium videbantur.* Idem lib. VII. c. XL. de vxore Mummoli, *Mulieri nihil amplius quàm ea quæ de parentibus habuerat relinquens.* Capitul. Caroli M. lib. III. c. XIX. *Auditum habemus, qualiter & comites, & alij homines qui noſtra beneficia habere videntur, comparant ſibi proprietates de ipſo noſtro beneficio.* & eod. lib. cap. 20. vbi alodis nomen. lib. IV. c. XXVIII. *Quicumque ſuum beneficium occaſione proprij deſertum habuerit.* Sic & in teſtamento Caroli M. c. IV. & in diuiſione regni à Ludouico Pio facta c. V. *beneficium* ab *hereditate* ſeparatur. Proprietatem autem, ſeu *terram propriam* (vt Gregor. Turon. appellat lib. III. c. XV.) aut ex alode, aut ex comparato fuiſſe, ex formulis ſuprà prolatis, & li. II. c. VI. & VII. manifeſtum eſt. Fiſci verò nomen frequenter in eius æui auctoribus, & vetuſtiſſimis inſtrumentis occurrit. Childebertus R. apud Aimoin. l. II. c. XX. Baſilicæ S. Vincentij martyris, *fiſcum Iſciacenſem* concedit. Sangallenſis lib. I. c. XIV. *Cum illo fiſco vel curte, illa Abbatiola vel Eccleſia, tam bonum vel meliorem vaſallum, quàm ille Comes eſt, vel Epiſcopus fidelem mihi facio.* Caroli Calui pro S. Dionyſio præceptum, *fiſcus noſter vbi fiſcalinus Manbertus cuſtos eſſe videtur.* Sigebertus ad annum DCCCLXXXVI. & DCCCXC. Ex quibus locis, pleniùs autem ex hoc Marculfi loco, declaratur fiſcum id appellari quod à fiſco profectum, Regis liberalitate alicui in beneficium conceſſum eſt, & ideo nomen fiſci ſeu terræ fiſcalis retinebat. Capitul. Caroli M. lib. III. c. LXXXII. Synodi Valentinæ ſub Lothario Imp. c. X. De alode autem infrà c. XII.

Ad petitionem illius] Hoc enim libertatis priuilegium, vt plurimum rogatu eorum qui conſtruxerant, aut dotauerant concedebatur. Atque adeò plerumque ſub ea conditione donationes fieri ſolitas ex lib. II. cap. I. apparet. *Ea ſcilicet ratione atque prætextu, vt remota pontificum, ſimúlque eccleſiaſticorum officialium, ſeu publicorum omnium poteſtate, &c.*

Adiicientes] Addit Rex clauſulam immunitatis à functionibus publicis, cuius integra cap. ſeq. traditur formula.

In luminaribus] Quorum vſus peruetuſtus, & à primordio naſcentis eccleſiæ, in antelucanis ſcilicet cœtibus, vt Irenæus, Tertullianus & alij paſſim teſtantur. Tandémque pace Chriſtianis data, Eccleſia id ex priſco more retinuit, tum in Dei honorem, tum in ſignum lætitiæ, vt B. Hieronymi verbis vtar, qui Vigilantium cereorum vſum reprobantem grauiter redarguit. *Nam & abſque martyrum reliquiis* (inquit) *per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt euangelium, accenduntur luminaria, iam ſole rutilante, non vtique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum: vnde & virgines illæ euangelicæ, ſemper habent accenſas lampades ſuas, &c.* Et quidem ignem

honoris gratia non Imperatoribus modò, verùm & aliis prælatum fuiſſe certum eſt, qua de re nos, ſi Deus dederit, aliàs plura. Porro hanc de luminaribus clauſulam habet præceptum Caroli R. in continuat. Aimoin. lib. v. c. I. itémque ſæpe in Mindenſis Eccleſiæ priuilegiis quæ excuſa extant, & omnibus pænè diplomatibus adſcriptam videre eſt.

VT FIRMIOR HABEATVR SVBSCRIPTIO MANVS NOSTRÆ ] Clauſula diplomatibus addi ſolita. Infrà cap. proximo & 3. & paſſim appoſitè ad hunc locum Hincmarus de diuortio HLotarij R. & Thietbergæ, ad XII. interr. *De confirmatione autem ſuæ ſcripturæ nihil dixerunt, quia quod firmauerunt, infringere nefas duxerunt, ſicut in libro Heſther legitur, quantam valitudinem anuli regij habeat ſignatio, quantam cautelam ſigni illius vacuatio, quanto magis Regiæ manus ſubſcriptio. & nec perfunctoriè ducere debet regia dignitas, quod in ſuis præceptis ſcribitur. Et vt hoc*, inquit, NOSTRÆ AVTORITATIS PRÆCEPTVM PLENIOREM IN DEI NOMINE OBTINEAT FIRMITATIS VIGOREM, &c. hæc ille.

EMVNITAS REGIA ] Immunitatem, quæ & emunitas facili CAP. III. mutatione eo ſæculo vocabatur, Modeſtinus in leg. XV. De excuſat. *ἀλειτουργησίαν πολιτικῶν ἢ δημοσίων λειτουργιῶν* definit: eadémque *ἐλευθερία τῶν λειτουργημάτων* Iuſtiniano dicitur. Hanc primi Chriſtiani Imperatores, parcam & modicam Eccleſiis tribuerunt, & initio quidem à ciuilibus & perſonalibus muneribus tantùm, quod ex lib. XVI. Cod. Theod. facilè perſpicitur. Pleniſſima verò immunitas à Regibus noſtris conceſſa eſt, vt meritò dici poſſit, ſuo exemplo cæteris principibus eandem immunitatem Eccleſiis concedendi auctores fuiſſe. Eius itaque formulam hoc capite tradit Marculfus, vt nullus ſcilicet iudex, aut exactor fiſci nomine, audeat aliquid in villis & rebus Eccleſiæ exigere, nec iuriſdictionem aliámve poteſtatem ibidem exercere. Meminit huius immunitatis Synodus Aurelianenſis I. c. VII. *ipſorum agrorum vel clericorum immunitate conceſſa*, cuius initio capitis ( vt id quoque obiter indicem) non *obligationibus*, ſed *oblationibus* legendum eſſe crediderim, *De obligationibus vel agris, quos Dominus noſter Rex Eccleſiæ ſuo munere conferre dignatus eſt, &c.* In Synodo Ticinenſi à Ludouico Italiæ R. petunt Epiſcopi, *vt emunitates progenitorum veſtrorum ita conſeruari præcipiatis, ſicut à glorioſo genitore veſtro conſtitutum eſt:* quibus reſpondet Ludouicus, *Statuimus vt Eccleſiæ Dei per totius regni noſtri fundata terminos, ſub noſtræ emunitatis tuitione ſecuræ, cum rebus & familiis permaneant, &c. earúmque rectores propriis vtantur priuilegiis. Similiter & clerus omnis proprio fungatur miniſterio, nemine moleſtante noſtri terroris formidine.* Anteriorum Regum conſtitutiones, quarum meminit, extant apud Anſegiſum lib. III. c. XXVI. & Benedictum Leuitam li. V. c. CXLVIII. Hoc autem priuilegium, cuius ſpecimen heic extat, *præceptum immunitatis* à Flodoardo dicitur Hiſtor. Rhemenſ. lib. II. c. XI. de Rigoberto Epiſcopo, qui illud à Dagoberto R. ſuæ impetrauit Eccleſiæ,



Digitized by Google

*ſuggerens qualiter ipſa Eccleſia ſub precedentibus Regibus, à tempore domni Remigij, & Clodouei regis quem ipſe baptizauit, ab omni functionum publicarum iugo, liberrima ſemper extiterit.* Neque verò immunitatis iſtius præceptum, ab amortizatione, quo forenſi verbo hodie vtimur, omnino alienum eſt. Nam & pleraque cœnobiorum tabulatia hanc immunitatem, & amortizationis nomine inſcribunt. Quod tamen non eò pertinet, ſi attentiùs ſpectetur, vt à quocunque vectigali, & ſoli tributo vacationem præſtet, ſi fortè cenſualis terra, aut tributaria fuerit, vt apparet ex Capitul. Caroli M. lib. I. cap. XCI. *Vnicuique eccleſie vnus manſus integer abſque vllo ſeruitio adtribuatur, &c. & ſi aliquid amplius habuerint, inde ſenioribus ſuis debitum ſeruitium impendant.* Synodi Meldenſis c. LXIII. Quò pertinet & de terra tributaria Capitul. lib. IV. c. XXXVII. Eiuſdem immunitatis, eadem penè formula & conceptione verborum, diplomata extant apud Flodoard. Hiſt. Rhemenſ. lib. II. cap. XI. Sigonium de Regno Italiæ lib. V. Collectanea Camuzatij Trecenſis: in Eccleſiæ Mindenſis priuilegiis, Io. Piſtorij beneficio editis, & in veteribus cœnobiorum ſcriniis. Emunitatem porrò pro immunitate hoc ſæculo, & ſequentibus dictam fuiſſe, iam obſeruauit nunquam ſatis laudatus Fr. Pithœus, in eruditiſſimo ad Capitula gloſſario.

NVLLVS IVDEX PVBLICVS] Sic in immunitate monaſterij Deruenſis, à Childerico R. indulta, quæ in collectaneis Camuzatij extat, *Vt nullus iudex publicus, quolibet modo iudiciaria accinctus poteſtate, in curtes ipſius monaſterij vbicumque ad præſens eorum maneat poſſeſſio vel dominatio, aut quod inanteà vt diximus fuerit additum, vel condonatum, nec ad cauſas audiendum, nec fideiuſſores tollendum, nec freda exigendum, nec manſiones faciendum, nec rotaticum infra vrbes vel in mercatis extorquendum, nec vllas paratas, aut quaſlibet redhibitiones exactare præſumat.* Ita & Flodoardus Hiſt. Rhemenſ. lib. II. cap. IX. de Dagoberti R. præcepto, *Vt nullus iudex publicus in ipſas terras auderet ingredi, vt manſiones intrando faceret, aut qualibet iudicia, vel xenia ibidem exigere vllatenus præſumeret.* Eadem quoque complectitur priuilegium à Carolo M. Gradenſi Eccleſiæ indultum, apud Sigonium de Regno Italiæ lib. IV. & illud quod Eccleſiæ Patauinæ datum eſt, lib. V. Sic denique S. Martini, S. Dionyſij, Corbeiæ & Mindenſis Eccleſiæ priuilegia, quæ eaſdem clauſulas, & Marculfo ſimillimas conceptis penè verbis continent. Ad quid verò *iudicis publici* nomen? An non omnes publici iudices erant? Putaui aliquandiu publicos ad priuatorum diſtinctionem dici, vt publici fuerint qui Regij eſſent, regiámque iuſtitiam exercerent, priuati autem qui priuatorum dominorum loco ius dicerent. Namque tum, aut ſaltem Caroli M. ſæculo, priuatas iuſtitias fuiſſe ex quibuſdam locis non obſcurè colligi poteſt, vt in Capitul. lib. II. c. XLIV. Dagobertus R. in immunitate S. Dionyſij, data Pariſiis

Digitized by Google

anno x. regni, IV. KL. Auguſti: *Et vt ab omnibus optimatibus noſtris, & indicibus publicis ac priuatis, melius ac certius credatur, &c.* quæ etſi non aliena viderentur, mutaui tamen ſententiam ſuccurrente altera veraque, ni fallor, interpretatione: Publicus enim iudex eccleſiaſtico iudici opponitur in Capitul. Caroli M. lib. v. c. XIV. *Vt omnes iuſtitias faciant, tam publici quàm eccleſiaſtici*, & lib. VI. c. CVI. *Vt Epiſcopus iudices publicos commoneat, &c.* S. Leo ad Epiſcopos per vniuerſas prouincias: *Aliquanti malefici qui ita ſe demerſerunt, vt nullum his auxiliantis poſſit remedium ſubuenire, ſubditi legibus ſecundùm Chriſtianorum principum conſtituta, ne ſanctum gregem ſua contagione pollnerent, per publicos indices perpetuo ſunt exilio relegati.* Ex Hincmaro de Lothar. ad XVII. interd. Qua voce Anianus vtitur ad leg. XII. De Epiſcop. & cleric. Cod. TH. *Specialiter prohibetur, ne quis audeat apud indices publicos Epiſcopum accuſare.* Vnde deſumptum videtur cap. CCXXXVII. lib. v. Capitul. Benedicti Leuitæ. Cuius ratio peti poteſt ex leg. III. De epiſcopal. audient. Cod. Theod. in qua Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius Impp. de Epiſcopis aiunt, *Habent illi indices ſuos, nec quidquam his publicis commune cum legibus.*

PRÆSVMAT INGREDI] infrà cap. IV. *Vt ſicut conſtat ab antedictis principibus de villis præfatæ Eccleſiæ domni illius integram emunitatem, abſque introitu iudicum fuiſſe conceſſam:* & in formula immunitatis Sanctorum, quæ XLIV. inter Anonymi Formulas extat. In cœnobij Deruenſis immunitate Childerici R. corrupta eſt hæc clauſula, ſed quæ facillimè reſtitui poteſt, *In omnibus locis & territoriis vbi aliquid poſſidere videntur, abſque interdictu iudicum.* ex his enim planum eſt, *abſque introitu iudicum* legendum eſſe.

VALEANT DOMINARE] Vides hanc terrarum eccleſiaſticarum immunitatem, præcipuè ad iuriſdictionem & iuſtitiam pertinere, vt ſcilicet eorum ſubditi & coloni à nullo iudice diſtringi poſſint, vt ſæculi verbis vtar; quod & clarè oſtendit charta Henrici I. R. anni MLX. quæ inter Martiniana priuilegia excuſa eſt. Quo fit, vt eo nomine in ſubditos iuriſdictio eis conceſſa videatur, quam illi per Aduocatos & Vicedominos exercebant, qui inter iudices frequenter apud Anſegiſum recenſentur. Ottho Magnus in priuilegio Mindenſis Eccleſiæ anno DCCCCLXI. regni eius XXII. *Hominibus quoque famulatum eius monaſterij facientibus, qui Saxonicè Malman dicuntur, prædictum mundeburdum & tuitionem noſtram conſtituimus, vt etiam coram nulla iudiciaria poteſtate examinentur, niſi coram Epiſcopo, aut Aduocato, quem eiuſdem loci Epiſcopus elegerit.* Quod & in Henrici, Conradi, Otthonis & aliorum diplomatibus reperitur.

IVNIORES] Carolus R. apud Aimoin. Continuat. lib. v. c. I. *nec vos aut iuniores vel ſucceſſores noſtri.* In diplomatibus Caroli M. HLotharij & Theoderici, in eruditiſſimi viri Fr. Pithœi Gloſſario, *Neque*

*vos, neque iuniores, ſeu ſucceſſores veſtri.* Marculfus cap. XXIX. *& nec vos, nec iuniores, aut ſucceſſores veſtri:* quæ verba iuniores pro ſucceſſoribus dici, quaſi neporibus, & poſtea naſcendis, ſatis apertè demonſtrant. Vereor tamen ne hoc loco, & cap. XXIV. iunioris nomen aliud ſignificet, cùm & iuniores, & ſucceſſores ibidem diſtinctis verbis & clauſulis nominenrur. Iuniores enim hoc & ſequenribus ſæculis non ætatis, ſed conditionis nomen eſt: quod non aliena relatione *ſeniori* opponirur, quem etiam non ætatis, ſed honoris cauſa dici & pro domino vſurpari, norum eſt, & poſtea dicetur. Itaque iuniores eſſenr, ſubditi, & inferiores. Carolus M. apud Anſegiſum lib. I. c. CLXVII. *Vt primo omnium* SENIORES *ſemetipſos de ebrietate caueant, & eorum* IVNIORIBVS *exemplum bonum ſobrietatis oſtendant.* lib. III. c. LXIII. *De vulgari populo, & vnuſquiſque ſuos iuniores diſtringat, vt meliùs obediant, ac meliùs conſentiant mandatis imperialibus.* Leg. Alamannor. Tit. LXXVIII. 5. *Si coquus qui iuniorem habet occiditur.* Hincmar. ep. III. c. XVII. Formula vetus ex cod. doctiſſimi viri, nuper magna rei litterariæ iactura fato functi Iac. Bongarſij, quam inter varias XXIII. edidimus, *inluſtris viri illius Comitis, ſui iuniores non exinde ſic fecerunt, quomodo eis fuit demandatum:* vt planè appareat apud Marculfum & aliàs ſæpe, pro miniſtris iuniores dici, quos & hæc ætas, & ſequens frequentiùs *ſeruientes* nominauit. Sic accipio & apud Gregor. Turon. lib. V. cap. XXVI. iuniores Eccleſiæ, *à iunioribus Eccleſiæ iuſſit bannos exigi, pro eo quòd in exercitu non ambulaſſent,* & apud Benedictum Leuitam lib. V. cap. CXXI. & lib. VI. c. CLIV.

AD AVDIENDAS ALTERCATIONES ] Caroli R. præceptum de S. Martini Baſilica, *De rebus ipſius Sancti in regno noſtro Auſtria, Neuſtria, & Burgundia, Aquitania & Prouincia, &c. vt aliquis index publicus fiſci noſtri, ad agendum vel cauſas audiendum, ſeu freda vel inferendas exactandum, vel teloneum tollendum habere non preſumat, ſed quicquid exinde ab antiquis temporibus fiſcus noſter accipere conſueuerat, omnia ex noſtro fiſco reddimus, vt in luminaribus ipſius ſancti Martini, vel alimonia pauperum, ſeu ſtipendia monachorum proficiat.*

FREDA ] Gregor. Turon. De Miracul. S. Martini, lib. IV. c. XXVI. clarè interpretatur. *Affirmauit Rex quoſdam ex his qui abſoluti fuerant ad ſe veniſſe, compoſitionémque fiſco debitam, quam illi fredum vocant, à ſe indultam.* Carolus M. in Capitul. *Hoc quoque iubemus, vt iudices nominati, ſiue fiſcales, de quacumque cauſa freda non exigant, priuſquam facinus componatur, &c. tertiam partem coram teſtibus fiſco tribuat, vt pax perpetua ſtabiliſque permaneat:* ex quibus poſtremis verbis tentari poſſet, fredum tertiam eſſe compoſitionis quæ parti ſoluenda erat. Nam in quibuſdam cauſis, quæ legibus expreſſæ erant, præter compoſitionem, & fiſco fredum ſoluebatur: quo nil frequentius in veteribus legibus, vt in lege Sal. tit. XIV. & leg. Alaman. tit. I. & III. & paſſim

Digitized by Google

paſſim in aliis. Litis enim expenſæ nondum vſu receptæ erant, vt infrà c.xx. dicetur. Fredum verò Ioach. Vadianus, & Amerpachius à Germanica voce *Frid* deducunt, quaſi dicas violatæ pacis pœnam: paci namque obſeruandæ, & ne quis eam infringere audeat multis ab annis Germani ſtudent, legibúſque obligantur. Quod quidem Germanis expendendum relinquo: Dicam tamen pacis conſeruandæ leges, quas *treugas* ſcriptores vocant, à Friderico I. Ænobarbo cœpiſſe, qui id in expeditione Italica ſanxit, ad priuata bella & diſſidia, quæ tum nimium inualuerant tollenda, vt Radeuicus lib. III. c. XXVI. teſtatur. In veteribus autem legibus, fredi vox aliud ſonat. Illud ipſum deſcripſit Tacitus de moribus Germanor. *Leuioribus delictis pro modo pœnarum, equorum, pecorúmque numero conuicti multantur, pars multæ regi vel ciuitati, pars ipſi qui vindicatur, vel propinquis eius exſoluitur.* Non omittendum, fredi verbum & functionem adhuc Friderici II. Imp. temporibus duraſſe, vt edictis eius palam eſt.

MANSIONES AVT PARATAS] Meritò hæc duo coniunguntur, vt & cap. ſeq. *nec manſiones aut paratas faciendum.* Nam apud Sigonium & in antiquis Principalibus litteris paratæ perpetuò manſiones conſequuntur: & verò proxima ſunt: adeò vt in quibuſdam locis vnum pro altero vſurpetur, quamquam diuerſa nomina ſint, & diuerſa etiam iura. Id ius manſiones faciendi, manſionaticum dicebatur. Carolus M. Pipino F. Italiæ R. *Cæteri per ſingula territoria habitantes ac diſcurrentes manſionaticos & paraueredos accipiunt.* Ludouicus Pius apud Anſegiſum lib. II. c. XVII. *Vbi modo via & manſionatici, à genitore noſtro & à nobis per capitulare ordinati ſunt*, & alibi ſæpè. Quod ius non ſatis rectè, paci tanti viri dixerim, Sigonius De Regno Italiæ lib. VII. interpretatus eſt. Diploma Ludouici & Lotharij in Continuat. Aimoin. lib. V. c. X. *expenſas ad hoſpitum ſuſceptiones*, dicit, itidemque Carolus R. c. XXXV. vbi de Abbate S. Germani, *neque ſeruitia ex eis exactet, vel parauer edos, aut expenſas ad ſuas vel ad hoſpitum ſuſceptiones recipiat, ſiue manſionaticos inde exigat.* Atque etiam manſionum nomen hoc ipſum manifeſtat. Tunc namque ſolebant ſubditi hoſpitio non modò recipere miſſos & legatos Principis, comites, duces & eorum miniſtros, verùm & viaticum eis pro vniuſcuiuſque dignitate præſtare. Carolus M. Capitul. lib. III. c. XXXIX. *De miſſis noſtris diſcurrentibus, vel cæteris propter vtilitatem noſtram iter agentibus, vt nullus manſionem contradicere eis præſumat.* & lib. IV. cap. XXX. Ludouicus Italiæ R. in Synodo Ticinenſi, *Quando etiam Epiſcopos, Abates vel Comites, ſeu fidelium noſtrorum quempiam, in propria villa morari contigerit, cum ſuis, in ſuis maneant domibus, ne ſub obtentu hoſpitij vicinos opprimant.* In eam rem Tractoria dabatur, cuius formulam infrà cap. XI. videbimus. Regis quoque recipiendi idem onus prouincialibus incumbebat, eiúſque rei cura ad Manſionarium ſpectabat, cuius officium latè ex

Kk

Adalhardo deſcribit Hincmar. ep. III. cap. XXIII. *Inter quos etiam & manſionarius intererat, ſuper cuius miniſterium incumbebat, ſicut & nomen eius indicat, vt in hoc maximè ſollicitudo eius intenta eſſet, vt tam ſupradicti actores, quámque & ſuſceptores, quo tempore ad eos illo vel illo in loco Rex venturus eſſet, propter manſionum præparationem, vt opportuno tempore praeſcire potuiſſent; ne aut inde tardè ſcientes, propter afflictionem familiæ importuno tempore peccatum, aut iſti propter non condignam ſuſceptionem, &c.* Is manſionarius in aula Conſtantinopolitana *δειπνομονὸς* vocabatur, vt eruditè obſeruat, & Suidam emendat Io. Meurſius in Gloſſar. Nóſque eum hodie *manſionum mareſcallum* dicimus. Tectum & hoſpitium quidem, ſiue vt illi vocabant *manſionem* præbere, *manſionaticum* vocabatur; *paratarum* verò nomine, quæ pro viatico & alimentis præbebantur. Verùm hæc duo, vt iam diximus, etſi diuerſa nomina nacta ſint, tamen vtplurimùm ſimul exigebantur, ideóque mutuò ſe concomitari ſolent in omnibus veteribus inſtrumentis, atque adeò vnum pro altero non rarò ſumitur. In Præcepto conceſſionis à Ludouico Pio Hiſpanis dato, *Miſſis noſtris, aut filij noſtri, quos pro rerum opportunitate illas in partes miſerimus, aut legatis qui de partibus Hiſpaniæ ad nos tranſmiſſi fuerint, paratas faciant.* Et paulò pòſt de Comite ne illos grauet, *neque eos ſibi vel hominibus ſuis aut manſionaticos parare, aut &c.* Hincmarus, *nec manſionaticos ſuis amicis, aut hominibus à presbyteris parari.* Qui mos origine Romanus eſt, hoſpitúmque ſuſceptionem *metatum* illi appellabant, de quo titulus eſt XLI. li. XII. Cod. & publico ſumptu ali eos qui à Principe cum tractoria alicubi dirigebantur, declarat titulus eiuſdem libri De tractoriis & ſtatiuis. Originem aperit Liuius initio lib. XLII. de L. Poſthumio Albino Cos. qui primus litteras miſit, *vt ſibi magiſtratus obuiam exiret, locum publicè pararet, in quo diuerteretur, iumentáque cùm exiret inde præſto eſſent.*

PARATAS FACERE ] Nominis huius interpretatio & notatio à ſuperioribus pendet. Itaque nil amplius de eo dicere ſtatueram, niſi aduertiſſem, ibidem quoque Sigonium impegiſſe, quod non cauſa obtrectandi clariſſ. viri memoriæ, dico, ſed veritatis, & ne alios eius auctoritas in errorem trahat. Ille enim ait ſumptus fuiſſe quos populi *in vias pontéſque fluminum quà tranſiturus, aut quo aditurus Rex erat* impendebant. Quod minus rectè dictum eſſe ex locis ſuprà allatis, atque etiam diplomatibus, quæ apud eum extant apparet. Cl. Falcetus, quem verè Varronem Francicum dixerimus, optimè *paratas* vno Gallico verbo *liurées* interpretatus eſt: ſic enim hodie dicuntur cibi, qui in familia Regia, miniſtris & familiaribus in ſpecie quotidie præbentur. Tunc enim, vt diximus, non hoſpitium modò Regi, aliiſque ab eo miſſis dabatur, verùm & parabantur alimenta, adeò *vt ex omnibus*, inquit Ottho Friſingenſis, De geſtis Friderici lib. II. c. XII. *quæ*

***terra producere ſolet, vſui neceſſariis, exceptis vix bubus & ſeminibus,*** *ad excolendam terram idoneis, de cæteris quantum neceſſe fuerit, militi profuturis, ad regios vſus ſuppeditare æquum illi arbitrentur.* Capitul. Caroli M. lib. IV. c. XXX. c. LXIX. & c. LXXIII. Vet. Formul. apud Pithœum, in Gloſſar. paratas, *paſtas* rectè agnominat. *Non ad manſionaticos vel repaſtos exigendum*, ibidem, *non pro paſto exigendo, non pro manſionatico requirendo.* Illud addam, paratarum munus non ad hoſpitis priuati tantum onus pertinuiſſe, ſed videri ſumptus illos publicè collectos ab incolis præſtitos. Id colligo tum ex verbo *publicè*, quod ſæpè titulo De tractoriis, Codd. Theod. & Iuſtinian. reperitur, tum ex Capitul. lib. IV c. LXIX. *Vt miſſi noſtri, qui vel Epiſcopi, vel Abates, vel Comites ſunt, quandiu prope ſuum beneficium fuerint, nihil de aliorum coniecto accipiant. Poſtquam verò inde longè receſſerint, tunc accipiant ſecundum quod in ſua tractoria continetur. Vaſſi verò noſtri & miniſteriales, qui miſſi ſunt vbicumque venerint, coniectum accipiant: coniectum*, hoc eſt contributionem, ſymbolum, collectam. Quò pertinet & illud Greg. Turon. lib. VI. c. XLV. de Childeberti R. filia, quæ in Hiſpaniam nuptura ducebatur: *Adparatus quoque magnus expenſæ de diuerſis ciuitatibus in itinere congregatus eſt: in quo nihil de fiſco ſuo Rex dari præcepit, niſi omnia de pauperum coniecturis.* Vbi coniecturæ, quæ ſuperioribus locis coniecta dicuntur.

FIDEIVSSORES TOLLERE] id eſt cogere, vt ſubditi Eccleſiæ & in eccleſiaſtica terra degentes, aut ſtatim ad iudicis audientiam pergant & iudicatum faciant; aut ſi velint dimitti, fideiuſſores ſeu vades iudicio ſiſtendi cauſa præſtent. In ſumma hoc agitur ne iudex, aut miniſter regius in terris quibus immunitas conceſſa eſt, ius dicat, & iuſtitiam exerceat. Greg. Turon. lib. IV. c. XLIII. *Albinus de ſede exiliens, adprehenſum archidiaconum coarctat. Pro quo nunquam obtinere potuerunt, nec Epiſcopus, nec ciues, nec vllus maior natu, nec ipſa vox totius populi acclamantis, vt datis fideiuſſoribus diem ſanctum archidiacono liceat cum reliquis celebrare, atque accuſatio eius in poſterum deberet audiri, &c.* Idem lib. VIII. c. XII. *Epiſcopum vallat, fideiuſſores requirit, & ad præſentiam Regis Guntchranni direxit.* & lib. VIII. c. VII. & c. XLIII. lib. IX. c. VIII. Capitul. Caroli M. lib. III. c. XXXIV. *De his qui legem ſeruare contempſerint, vt per fideiuſſores ad præſentiam Regis deducantur.* lib. V. c. CXLVII. & paſſim. Marculfus infrà lib. I. ca. XXVII. & XXVIII. Hincmarus ep. ad Sigloardum, apud Flodoard. lib. III. ca. XXVIII. Multa diplomata habent *fideiuſſores requirere.*

MANVS NOSTRÆ SVBSCRIPTIONIBVS] Cæſares olim propria manu libellos, reſcripta, edicta ſubnotaſſe teſtantur hiſtoriæ Auguſtæ ſcriptores, Lampridius in Alexandro, Vopiſcus in Carino, & alij ſæpè. Et in Valentin. Nouell. Magnus Cuiacius obſeruat hæc verba *Diuina manu*, húncque morem apud Conſtantinopolitanos Impe-

ratores duraſſe notat ad lib. x. Cod. Vnde & Regibus noſtris adhuc hodie propriæ manus adnotatio in vſu eſt. Tunc autem ſubſcriptionis nomine de qua heic Marculfus agit, ſignum illud & caracter continebatur, totius nominis litteras implexas referens, qualia in vetuſtis Regiis & Imperatoriis diplomatibus videre eſt: quod & doctiſſimus Freherus exiſtimauit. Alibi dicitur *manu noſtra firmauimus*. Vnde & in Capitul. Benedicti Leuitæ lib. v i. c. ccxvii. *manufirmationes* dicuntur.

Cap. iv. Confirmatio de emvnitate ] quæ à Regibus ſucceſſoribus ſolita peti, ſolita & indulgeri: infrà c. xvi. & xvii.

Per svam avctoritatem ] Auctoritatis nomine heic & ſuperiori capite intelligitur diploma, pragmaticum, ſeu vt ſæculi etiam verbis vtar, præceptum regium, ea forma deſcriptum qua maiorem auctoritatem habiturum erat, & vt puto, manu propria Regis ſubſcriptum, & anulo ſeu ſigillo Principis munitum, qua in re ab indiculo differt, vt mox adnotabimus. Gregor. Turonenſis lib. ix. c. xxx. *Sed protinus epiſtolam cum auctoritate miſerunt, ne populus Turonicus pro reuerentia S. Martini deſcriberetur.* & cap. xlii. in Radegondis epiſt. *Per auctoritates præcellentiſſimorum domnorum regum Chariberti, Guntchranni, Chilperici & Sygiberti, cum ſacramenti interpoſitione & ſuarum manuum ſubſcriptionibus obtinui confirmari.* Conſtitutio Chlotarij MS. *Vt auctoritates cum iuſtitia & lege competente, in omnibus habeant ſtabilem firmitatem, nec ſubſequentibus auctoritatibus contra legem elicitis euacuentur.* Leges Vviſigot. lib. 7. tit. 5. Edictum Theoderici R. cap. 73. *Auctoritates quorumlibet iudicum &c.* Capitul. lib. 1. cap. lxxxviii. vbi de conſtitutione quadam Ludouici Pij de ordinatione ſeruorum agitur, *In ambone ipſa auctoritas coram populo legatur, & coram ſacerdotibus, vel coram fidelibus laicis ante cornu altaris, ſicut in noſtra auctoritate continetur, &c.* Synodi Pariſienſis an. dcccxlvi. quæ vulgò Meldenſis dicitur, cap. lxxi. *Vt auctoritatem ſigillo Regio roboratam, more tractoria Chriſtianiſſimus princeps donet ſingulis Epiſcopis, &c.* Præceptum Dagoberti de fugitiuis: *Vt autem hæc noſtra auctoritas pleniorem & firmiorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria nos & ſancta ſynodus noſtra eam ſubter decreuimus roborari.* Data svb die vii. kl. ivn. anno v. regni Clipiaco.

Cap. v. Præceptvm de Episcopatv ] Formula eſt, vt & lemma oſtendit, qua Rex, cùm primùm de obitu alicuius Epiſcopi certior factus eſt, ad Epiſcopum metropolitanum ſcribit, & præcipit vt virum illum à ſe probatum & electum, in Epiſcopum ordinet & benedicat. Id quoque *preceptum de Epiſcopatu*, dicit Gregor. Tur. lib. vi. c. vii. de Vcecenſi Eccleſia: *Iouinus iterum qui quondam prouinciæ rector fuerat* regivm *de Epiſcopatu* præceptvm *accipit.* & lib. vii. c. xxxi. *preceptionem* vocat: *Nuper in Aquenſi vrbe Epiſcopus obierat. Et Nicetius Comes loci illius, germanus Ruſtici, vici Iulienſis Epiſcopi*

Digitized by Google

PRÆCEPTIONEM *ab Chilperico elicuerat, vt tonſuratus ciuitati illi ſacerdos daretur.* Quod tum receptum fuiſſe hæc formula docet, idémque Gregor. Turon. multis locis teſtatur, lib. III. c. II. *Cùm hæc Theoderico nuntiata eſſent, iuſſit inibi ſanctum Quintianum Epiſcopum conſtitui, & omnem ei poteſtatem tradi Eccleſiæ. Et ſtatim directi nuntij conuocatis pontificibus & populo eum in cathedram Aruernæ Eccleſiæ locauerunt.* lib. IV. c. XVIII. *Cùm Pientius Epiſcopus ab hac luce migraſſet, apud Pariſios ciuitatem, Paſcentius ei ſuccedit ex iuſſu Regis Chariberti.* alibi *Rege ordinante*, & *Rege eligente*, vt lib. VI. c. XV. & lib. VIII. c. XXXIX. Idem refert ſanctiſſimam vocem illam Guntchranni R. lib. VI. c. XXXIX. vbi de Bituricenſi Epiſcopatu: *Poſt hæc Sulpitius in ipſa vrbe ad ſacerdotium Guntchranno Rege fauente præeligitur. Nam cùm multi munera offerrent, hæc Rex Epiſcopatum quærentibus reſpondiſſe fertur: Non eſt principatus noſtri conſuetudo ſacerdotium venundare ſub pretio, ſed nec veſtrum eum præmiis comparare: ne & nos turpis lucri infamia notemur, & vos mago Simoni comparemini.* Idipſum notat lex Baiuuar. tit. I. cap. X. *Si quis Epiſcopum quem conſtituit Rex, vel populus ſibi elegit pontificem occiderit, ſoluat eum Regi vel plebi aut parentibus ſecundum hoc edictum, &c.* Synodus Aurelianenſis V. ſub Childeberto R. cap. X. *Vt nullum Epiſcopatum præmiis, aut comparatione liceat adipiſci, ſed cum voluntate Regis iuxta electionem cleri & plebis, ſicut in antiquis canonibus continetur, conſenſu cleri ac plebis à Metropolitano, vel quem vice ſua miſerit à comprouincialibus pontificibus conſecretur.* Id à Regibus continuatum declarant cuiuſque temporis hiſtorici. De Carolo Mattello Flodoardus lib. II. c. XII. De Carolo M. Sangallenſis lib. I. c. III. vbi Carolus his qui litteris operam dabant, *Nunc*, inquit, *ad perfectum attingere ſtudete, & dabo vobis Epiſcopia & monaſteria permagnifica.* & c. IV. V. & VI. HLudouicus R. ait Chronicon Beſuenſe, *Bictone Epiſcopo defuncto Albericum virum dignum Epiſcopatu Eccleſiæ Lingonenſi reſtituit.* & paſſim de aliis apud hiſtoricos. Ex quibus apparet, vt & ex hac formula, non obſeruata fuiſſe Synodi Pariſienſis decreta, quæ Childeberti R. tempore, pontificante Germano, habita eſt. cap. VIII. *Nullus ciuibus inuitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi & clericorum electio pleniſſima quæſierit voluntate, non Principis imperio, neque per quamlibet conditionem contra Metropolis voluntatem, vel Epiſcoporum prouincialium ingeratur.* Quod quodammodo repetitum extat in Synodo Rhemenſi ſub Sonnatio Epiſcopo celebrata apud Flodoardum lib. II. c. V. Niſi dicas ſynodi mentem fuiſſe electionem firmare, ius Regis non infringere, ſed Metropolitani conſenſum exquirendum eſſe: quod probari poſſet ex Gregor. Turon. lib. IV. cap. XXVI. vbi de Santonenſi conuentu agit. Vnde & poſtea eadem moderatione Hincmar. ep. III. c. IX. *Conſenſu principis terræ, electione cleri & plebis, & approbatione Epiſcoporum prouinciæ* Epiſcopum ordinari debere



Digitized by Google

ſcribit. Quò pertinet & eiuſdem clariſſ. Præſulis epiſtola ad Hugonem Abbatem apud Flodoard. l. III. c. XXIV. *Oſtendens quòd non Epiſcopi de palatio præcipiebantur eligi, ſed de propria qualibet Eccleſia: & quòd de ordinando Epiſcopo non regis vel Palatinorum debet eſſe commendatio, ſed cleri & plebis electio, & Metropolitani in electione diiudicatio, deinde terreni principis conſenſio, & Epiſcoporum manus impoſitio.* Anaſtaſius Bibliothecarius de Benedicti III. electione. *His peractis clerici & cuncti proceres decretum componentes propriis manibus roborauerunt, & conſuetudo priſca vt poſcit, inuictiſſimis Lothario ac Ludouico deſtinauerunt Auguſtis.* Sanè hodie abſque controuerſia Reges noſtri nominandorum antiſtitum ius retinent, ex pacto cum Summis Pontificibus & Sede Apoſtolica facto.

ASSIDVÆ PRÆDICATIONIS ] Munus id Epiſcopale. S. Auguſtinus Confeſſion. lib. VI. c. III. de B. Ambroſio. *Et eum quidem in populo verbum veritatis rectè tractantem omni die dominico audiebam.* Synod. VI. in Trullo cap. 19. & ibi Balſamon. Poſidius de vita B. Auguſtini cap. 4. *Poteſtatem dedit Valerius coram ſe in Eccleſia euangelium prædicandi, ac frequentiſſimè tractandi, contra vſum quidem, & conſuetudinem Africanarum Eccleſiarum.* Eius rei edictum Caroli M. memorat Sangallenſis lib. I. c. XX. *Præcepit religioſiſſimus Carolus Imperator, vt omnes Epiſcopi per latiſſimum regnum ſuum, aut ante præfinitum diem, quem iſte conſtituerat, in eccleſiaſtica Sedis Baſilica prædicarent, aut quicumque non faceret, Epiſcopatus honore careret:* quibus feſtiuam narrationem de quodam Epiſcopo ſubiungit.

VNA CVM PONTIFICIBVS VEL PROCERIBVS NOSTRIS PLENIVS TRACTANTES ] Videlicet vt magis ritè & ſecundùm canones electus videretur, non Regis tantùm imperio conſtitutus. infrà c. ſeq. *De cuius ſucceſſore ſollicitudine integra cum pontificibus, vel primatibus populi noſtri pertractantes.* Gregor. Turon. lib. IV. cap. VII. de Cautino Aruernenſi Epiſcopo. Carlomannus Dux & Princeps Francorum in Synodo habita anno DCCLII. apud Benedictum Leuitam lib. V. c. II. *Et per conſilium ſacerdotum & optimatum meorum, ordinauimus per ciuitates Epiſcopos, & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopum Bonifacium, qui eſt miſſus ſancti Petri.*

ACTIO PROBATA ] id eſt officium. Vide infrà ad cap. XI.

NOBILITATIS ORDO SVBLIMAT ] Baſilius ad Ambroſium. *ἄνδρα ὑψηλὸν τῷ φρονήματι, γένει λαμπρότητι, περιφανῆ βίῳ, λόγων δυνάμει, πράγμασι τοῖς κατὰ τὸν βίον περίβλεπτον.* quæ veriſſima Ambroſij præconia. Gregor. Turon. de gloria Confeſſor. cap. 76. de Simplicio Auguſtodunenſi Epiſcopo. *Fuit de ſtirpe nobili, valde diues in opibus ſeculi, nobiliſſimæ coniugi ſociatus.* Deinde: *Propter illam, vt diximus, ſeculi dignitatem, Simplicius decedente Egemonio à populis eligitur: ſed à Deo pro caſtitatis & ſanctitatis gloria deſtinatur.* Tunc enim non alij

quàm nobiles Epiſcopi fiebant. Quod paſſim apud Sidonium & Gregorium Turonenſem obſeruare licet. Quin & in Abbatibus idem quodammodo exigebatur. Ludouicus Pius de S. Martini cœnobio, *Poſt illius (Fridegiſi) autem deceſſum fratres habeant facultatem eligendi de ipſis Abatem, quem optimum & nobilitate generis, & probitate morum, & in ſcripturis eruditum, &c.*

Benedici ] hoc eſt conſecrari: vtroque enim vocabulo vtebantur. Gregor. Tur. lib. VIII. c. XX. *Ea conditione remouetur, vt eum Bertchrannus, Oreſteſque ſeu Palladius qui eum benedixerant, vicibus paſcerent.* lib. IV. c. VI. *Veni, conſenti nobis, & benedicentes conſecremus te ad Epiſcopatum.* Quamquam poſtea receptum ſit vt *conſecrari* dicantur Epiſcopi, Abbates *benedici*, cap. I. De ſupplend. negligent. Prælat. cap. Cùm contingat. De ætate & qualit. ordinand. Heic autem apparet Regem ad metropolitanum Epiſcopum ſcribere, cuius officij illud erar, vt confirmaret ſuffraganeos, & cum aliis prouinciæ Epiſcopis conſecraret. Ideóque additur *cum adunatorum caterua pontificum.* & cap. ſeq. *iunctis vobis cum veſtris comprouincialibus, ipſum in ſupra ſcripta vrbe conſecrare.* Synodi Nicænæ can. IV. τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ᾽ ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. Synodi Antioch. c. XIX. Ἐπίσκοπον μὴ χειροτονεῖσθαι δίχα συνόδου καὶ παρουσίας τοῦ ἐν τῇ μητροπόλει τῆς ἐπαρχίας. Martinus Bracarenſis in collect. can. c. III. & IV. Hincmarus aduerſus Hincmarum Laudunenſem, qui nondum typis editus, ſed ex Bibliotheca illuſtriſſimi præſidis Iac. Auguſti Thuani, à docto & pio viro breui lucem expectat. Sic igitur ille cap. VI. in quo præclarè metropolitani Epiſcopi iura ſummatim recenſet: *Si in Rhemenſi prouincia preter meam ſententiam quis fuerit à quibuſcumque & quantiſcumque prouincia huius Epiſcopis factus Epiſcopus, ſicut myſtica Nicena Synodus diffiniuit, non oportet eum eſſe Epiſcopum. Si autem communi cæterorum decreto Epiſcoporum rationabili, & ſecundum regulam Eccleſiaſticam comprobato, tu aut alij duo tui complices tecum propter contentiones proprias contradixeritis, mea cum pluribus ad ordinandum Epiſcopum obtinebit ſententia, & mihi non tibi firmitas eorum quæ geruntur de ordinationibus, vel aliis rebus eccleſiaſticis in Rhemenſi prouincia tribuetur: in qua ſi fuerit defunctus Epiſcopus, ego & non tu viſitatorem ipſi viduatæ deſignabo Eccleſiæ, & electionem cum decreto canonico pręcipiam fieri. Et ſi in partes ſe eligentium vota diuiſerint, meum, & non tuum erit eligere, qui maioribus ad ordinandum ſtudiis iuuetur & meritis: & meum eſt ordinandum examinare, non tuum: tuum eſt autem cum aliis mecum ordinare Epiſcopum, & litteris canonicis, quas ordinatus ab ordinatoribus ſuis iubetur accipere, poſt me in tuo loco ſubſcribere.*

Indicvlvs Regis ad Episcopvm vt alivm benedicat ] Caput hoc eiuſdem cum ſuperiore argumenti eſſe titulus teſtatur. Verùm hanc ineſſe puto differentiam, quòd ſuperius *præ-* Cap. VI.

*ceptum* inſcribatur, maioris ſcilicet auctoritatis diploma, manu propria Principis ſubſcriptum, & annulo fortè munitum, vt ſuprà de auctoritate diximus. Iſtud verò *indiculus* dicitur, quem, vt exiſtimo, rectè epiſtolam abſque ſigillo dixeris. Id colligo ex Capitul. lib. III. c. LVIII. *Et ſi conſacramentales homines cum ipſo venire renuerint, iuſſione dominica, aut indiculo, aut ſigillo ad palatium venire cogantur.* In legibus VViſigotth. lib. 2. tit. 1. l. 18. *De his qui ammoniti iudicis epiſtola, vel ſigillo, ad iudicium venire contemnunt.* Ergo indiculus & ſigillum diſcreta ſunt, & indiculus abſque ſigillo eſt. Indiculi verò nomine nil frequentius æuo illo.

ILLI EPISCOPO ] Metropolis antiſtitem *Archiepiſcopum* dixiſſet ſi ſæculi tuliſſet vſus. Per ea namque tempora, Archiepiſcoporum appellatio vixdum in Occidente vſurpari cœperat: ſolique Patriarchæ ita deſignabantur, quod poſtea Metropolitanis communicatum hodie retinemus.

CAP. VII. CONCESSIO CIVIVM PRO EPISCOPATV ] Ita MS. titulum concipit, magis tamen placet CONSENSVS CIVIVM, in quo capitum index, & extrema capitis verba conſentiunt: ita etiam P. Pithœi Codex MS. Niſi *conſenſionem* quis malit. Igitur hac formula plebs paſtore deſtituta, Regem ea de re certiorem facit, & ſuppliciter poſtulat, vt virum aliquem in Epiſcopum illis concedat. Id ſolitum fieri ex Gregor. Turon. apparet, lib. IV. c. XXVI. vbi de Santonenſi conuentu: *Quo eiecto conſenſum fecerunt in Heraclium tunc Burdegalenſis vrbis presbyterum, quem Regi Hariberto ſubſcriptum propriis manibus per nuncupatum presbyterum tranſmiſerunt, qui veniens Turonos rem geſtam beato Eufronio pandit, deprecans vt hunc conſenſum ſubſcribere dignaretur.* Et poſtea, *Conſenſum ad te direxerunt, vt alius in loco eius ſubſtituatur.* Lib. VIII. c. XXII. *Cum muneribus & conſenſu ciuium ad Regem properat, ſed nihil obtinuit.* Idem de B. Gregorij PP. electione initio lib. X. *Comprehenſo diſruptis epiſtolis conſenſu, quem populus fecerat, Imperatori direxit.* Quò pertinet & Synod. Aurelianenſis V. can. XI. *Nullus inuitis detur Epiſcopus, ſed nec per oppreſſionem potentium perſonarum ad conſenſum faciendum ciues aut clerici inclinentur.*

SENIORI COMMVNI ILLIVS ] Nullus vt apparet ſenſus. Itaque minima vel nulla mutatione legendum, *illi Regi vel ſeniori, commune illius* ciuitatis nempe, τὸ κοινὸν. Populus enim conueniens de electione tractabat, & conſenſu in aliquem facto, eius relationem ſcriptam & ſubſcriptam ad Regem dirigebat: vt hæc formula teſtatur, & Gregor. Turon. Seniorem verò pro domino vſurpari, iam attigimus, & notius eſt quàm vt probatione egeat.

CAP. VIII. CHARTA DE DVCATV, PATRICIATV AVT COMITATV ] Litteræ ſunt Principis, quibus prouinciæ vel ciuitati rectores deſtinat,

ſtinat, qui, aut Patritij, aut Duces, aut Comites vocantur. Hanc formulam iam edidit eruditiſſimus vir P. Pithœus, flos litteratorum, litterarúmque verè parens, in opere quod de Campaniæ patriæ ſuæ Comitibus edidit. Nos ex archetypo iterum repræſentamus.

Actionem comitatvs, dvcatvs, patritiatvs] Actionem, id eſt, officium: inde agentes, infrà cap. xi. *omnibus agentibus*, id eſt, officialibus, miniſtris, vbi nos plura. De Comitatu verò & Ducatu pauca heic attingere ad Marculfi illuſtrationem non piget. Et quidem de comitatu illud primum occurrit, videri nihil omnino commune habere cum Germanis illis comitibus de quibus agit Tacitus, vt quidam ſcripſere. Comites enim ille dixit, Latini ſermonis proprietate, eos qui officij cauſa maiores comitantur. Itaque hic magiſtratus à Francis vſurpatus merè origine Romanus eſt, non illius quidem veteris reipublicæ, nec initio florentis imperij, ſed poſteriorum temporum: quibus Comitis nomen variis magiſtratibus tributum fuit, atque adeò ciuitatum rectoribus. Vt remota omittam, Comites Maſſiliæ apud Sidonium legimus lib. vii. epiſt. ii. & Comitiuæ Syracuſanæ & Neapolitanæ formulas, lib. vi. Variarum Caſſiodorus ſcripſit, quarum ſi munia cum noſtris conferas, eadem prorſus apparebunt. Ille enim *iudices* eos vocat cap. xxii. xxiii. & xxiv. & ciuilia negotia examinare dicit, itidémque eos *exercitum habere*, & prouinciam cuſtodire. Ideóque in formula Comitiuæ prouinciæ lib. vii. *Quamuis omnium* (inquit) *dignitatum officia à manu ſecludantur armata, & ciuilibus veſtibus videantur induti, qui diſtrictionem publicam docentur operari: tua tamen dignitas à terroribus ornatur quæ gladio bellico, rebus etiam pacatis accingitur.* Per ſingulas prouincias, Comites à Theoderico Italiæ R. mitti ſolitos eodem libro docet, qui inter Gotthos, aut Gotthum & Romanum ius dicerent, & iudices etiam vocat: Vt rectè definierit Suidas Comitis verbum, dum populi magiſtratum vocat, Κόμης ὁ λαοῦ ἄρχων. nec aliter ſanè Heſychius. Quæ omnia Comitis etiam apud Francos veteres munus deſcribunt. Singulis enim tum ciuitatibus Comites præerant, quorum poteſtas iiſdem quibus Epiſcopi finibus diſtincta erat. Gregor. Turonenſ. lib. vi. cap. xxii. *Rex igitur peruaſis Chilpericus ciuitatibus fratris ſui, nouos Comites ordinat, & cuncta iubet ſibi vrbium tributa deferri.* cap. xli. *Miſitque ad Duces & Comites ciuitatum nuntios, vt muros componerent vrbium.* Idem ſæpe eos iudices, non Comites, vocat: ſed lib. vii. cap. xlii. ſeipſum interpretatur: *Poſt hæc edictum à iudicibus datum eſt, vt qui in hac expeditione tardi fuerant damnarentur. Biturigum quoque Comes miſit pueros ſuos, vt in domo Beati Martini, &c.* lib. viii. cap. xviii. *Gundobaldus comitatum Meldenſem ſuper Guerpinum (inuaſit) ingreſſúſque vrbem, cauſarum actionem agere cœpit. Exinde dum pagum vrbis in hoc officio circumiret, in qua-*

*dam villa à Guerpino interficitur.* Sic enim locum mutilum, vno verbo reſtituo. Idem de Gloria Confeſſor. cap. x. & de Vita Patrum in S. Nicetio, & paſſim. Synodi Cabilonenſis II. ſub Carolo M. c. xx. *Comites, qui poſt Imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt.* Hincmarus, epiſtola pro Epiſcopis Galliarum & Germaniarum Chriſtianiſſimo Principi, quæ prima inter Buſæi Paralipomena excuſa eſt, cap. III. *Huius glorioſæ domus Dei decorem & locum habitationis gloriæ eius fideliſſimè diligere & zelari debent, non ſolùm Epiſcopi & ſacerdotes in ſedibus, ſed etiam Reges in regnis & palatiis ſuis, & Regum Comites in ciuitatibus ſuis, & Comitum Vicarij in plebibus, & quicumque patresfamilias in domibus ſuis.* Horum officium & munus *in pace & iuſtitia facienda* præclarè traditur in Capitul. lib. II. c. VI. & lib. IV. c. V. Qui tandem extremo dominationis Carolinæ ſtirpis, ex miniſtris Domini facti latè dominati ſunt, donec priſtinæ dignitati ſenſim regnum reſtitutum. Nec verò omittendum eſt Comitum officium ſub prima Regum noſtrorum familia non ad vitam fuiſſe, vt quidam ſcripſerunt. Ad certum namque tempus eos tum conſtitutos mihi conſtat ex multis Gregorij locis, quorum inſignis eſt lib. IV. cap. XXXVI. vnde apud eum frequenter hæc verba leguntur, *ex prefecto, ex comite, ex duce, ex vicario,* & ille remotorum exempla recenſet. Quod item à Romanis deſumptum dubitari non poteſt, qui magiſtratus omnes ad certum tempus deſignatos habuere. Ideóque in Caſſiodori Formulis lib. VI. & VII. omnibus ferè adſcribitur, *per indictionem illam.* Duces autem Romani rei bellicæ & exercitibus regendis tantùm præpoſiti erant, inde Duces Limitum in Notitia Imperij, & Ducis Rhetiarum Formula apud Caſſiodor. lib. VII. Apud Francos verò præerant quidem exercitui: verùm & ius quemadmodum Comites dixiſſe, hæc formula oſtendit, & ex Gregorio Turonenſi planum eſt. Comitibus honore & poteſtate ſuperiores fuiſſe conſtat, pluréſque Comitatus & Comites eorum curæ committebantur. Gregorius Turon. lib. VIII. c. XVIII. *Nicetius per emiſſionem Eulalij à comitatu Aruerno ſubmotus, ducatum à Rege expetiit, datis pro eo immenſis muneribus. Et ſic in vrbe Aruerna, Ruthena atque Vcetica Dux ordinatus eſt.* cap. XXVI. *Turonicis atque Pictauis Ennodius Dux datus eſt.* Ex quibus liquet duodecim Comites ſub cura Ducis neceſſariò non fuiſſe, vt quidam aiunt. Sanè in Annalibus Pipini, qui Aimoino ſubiuncti ſunt, lib. IV. c. LXI. ita ſcriptum legitur: Pipinus *domum reuerſus Grifonem more Ducum duodecim comitatibus donauit.* Quod ſi verum eſt, Pipini tantùm æuo id obſeruatum dici debet: ſuperiora namque Gregorij exempla aliud notant. Scitè VValafridus Strabo, peruetuſtus auctor, qui dominante ſecunda Regum noſtrorum familia claruit, in libro quem ille De rebus eccleſiaſticis ſcripſit, cap. XXXI. vbi ſæculi & Eccleſiæ dignitates comparat, Comites Epiſcopis, Duces Metropolitanis aſſimilat: *Archiepiſcopos, qui*

*ipſis Metropolitanis præminent, Regibus conferamus. Metropolitanos autem Ducibus comparemus, quia ſicut Duces ſingularum ſunt prouinciarum, ita & illi in ſingulis prouinciis ſinguli ponuntur. Vnde in Calchedonenſi Concilio iubetur, Ne vna prouincia in duos Metropolitanos diuidatur. Quod Comites vel præfecti in ſeculo, hoc Epiſcopi cæteri in Eccleſia explent.* Sic ille. De Patriciis verò c. xxxv. dicetur.

VIDVIS ET PVPILLIS MAXIMVS DEFENSOR ] Ita etiam Ludouicus Pius Comites admonet Capitul. lib. II. c. VI. *Pupillorum & viduarum & cæterorum pauperum adiutores & defenſores ſitis.* Sed præſtat caput longius exſcribere, huic enim formulæ planè geminum eſt, & omnino ad illuſtrationem & explicationem non huius tantùm loci, ſed & ſuperiorum, & ſequentium clauſularum confert. *Proinde monemus veſtram fidelitatem, vt memores ſitis fidei nobis promiſſæ, & in parte miniſterij noſtri vobis commiſſi, in pace ſcilicet & iuſtitia facienda. voſmetipſos coram Deo & coram hominibus tales exhibeatis, vt & noſtri veri adiutores, & populi conſeruatores iuſtè dici & vocari poſſitis: & nulla qualibet cauſa, aut munerum acceptio, aut amicitia cuiuſlibet, vel odium aut timor, vel gratia ab ſtatu rectitudinis vos deuiare compellat, quin inter proximum & proximum ſemper iuſtè iudicetis. Pupillorum verò & viduarum & cæterorum pauperum adiutores & defenſores, & ſanctæ Eccleſiæ vel ſeruorum illius honoratores, iuxta veſtram poſſibilitatem ſitis. Illos quoque qui temeritate & violentia in furtis & latrociniis, ſiue rapinis communem pacem populi perturbare moliuntur, veſtro ſtudio & correctione, ſicut decet compeſcite*, &c. Synodus Ticinenſis ſub Ludouico Italiæ R. *Vt ſinguli Comites* (ita lego, non *conuentus*, vt vitiosè editum eſt) *& exactores Reip. in ſuis miniſteriis legalem procurent facere iuſtitiam, pupillos & viduas protegant, per loca ſolita reſtaurent palatia, quibus cùm iter dictauerit nos legatóſque noſtros valeant recipere.* Optimè viduarum & pupillorum cauſa commendatur magiſtratibus, quos contrà improbus ille certiſſimam eſſe prætoribus prædam dicebat. Præclarum etiam illud, vt viduarum, pupillorum, pauperum cauſæ ante meridiem audiantur & definiantur, & cauſæ regiæ & potentum poſt meridiem, Capitul. lib. II. cap. XXXIII. & lib. IV. cap. XVI.

IN FISCI DITIONIBVS SPERATVR ] Comites tributa etiam curaſſe, & ærario intuliſſe, vel hic locus euincit. Illud quoque confirmat Gregor. Turon. lib. VI. c. XXII. & lib. VII. c. XXIII. & Caſſiodor. lib. VI. c. XXI. rectori prouinciæ id muneris adſcribit. Leges Ribuarior. tit. 45. *Si quis iudicem fiſcalem quem Comitem vocant.* Qua de re eiuſdem Gregor. Turon. inſignis eſt locus lib. 10. cap. 21. *Eunte autem Comite, vt debitum fiſco ſeruitium ſolitè deberet inferre.* Quæ verba cum vltimis Marculfi componenda ſunt: *Per voſmetipſos annis ſingulis noſtris ærariis inferatur.* Vnde & tributum, inferenda dicitur, in Capit. Caroli M. addit. 4. cap. 84. Appendix Gregorij cap. 74. Aimoinus lib. 4.



Digitized by Google

cap. 26. Exemplar V. C. Pithœi *fiſci dicationibus* habuit; cuius loco rectius in Reg. *ditionibus* ſcriptum eſt.

CAP. IX. INDICVLVS AD ALIVM REGEM ] Epiſtola eſt à Rege ad alium Regem ſcripta, legatis etiam miſſis.

FRATRI ILLI REGI ] Vt hodie, ita tum quoque mutuò ſe Reges fratres dicebant. Alaricus R. ad Chlodoueum R. apud Gregor. Turonenſ. lib. II. cap. XXXV. *ſi frater meus velit.* Choſroes Perſarum R. in epiſt. ad Iuſtinianum, in Menandri Protectoris Excerptis De legationibus Χοσρόης βασιλεὺς βασιλέων, &c. Ἰουστινιανῷ Καίσαρι ἀδελφῷ ἡμετέρῳ, & alibi apud eundem ἀδελφότης. Poſſet tamen dici hoc capite Regem fratrem vocari, quòd eo ſæculo vixerit auctor, quo regnum inter fratres diuiſum erat: ſed ſuperior interpretatio verior eſt.

CAP. XI. TRACTORIA LEGATORVM ] Tractoriarum vſum à Romanis mutuatum eſſe hæc formula indicat. Sunt autem diplomata, quæ dantur miſſis vel euocatis à Principe, vt curſu publico vti poſſint, quem alioqui abſque diplomate vſurpari fas non erat: adſcriptis etiam locis & manſionibus, quibus ſumptu publico ali debent. Commeatus enim in itinere præſtandus definiri his litteris ſolebat, vt hæc quoque formula exemplo eſt. Diplomata ſimul vocari inſignis locus Plutarchi in Galba oſtendit, καὶ τὰ καλούμενα διπλώματα σεσημασμένα δέοντων ἀγνοείζοντες οἱ κατὰ πόλιν ἄρχοντες ἐν ταῖς τῶν ὀχημάτων ἀμοιβαῖς, ἐπετεχύνουσι τὰς πομπὰς τῶν γραμματοφόρων: & ille poſtmodum Imperaror, qui quòd ſine diplomatibus curſum vſurpaſſet, pedibus iter facere coactus eſt. *De tractoriis & ſtatiuis* titulus extat Cod. Th. & Cod. Iuſtinian. lib. XII. vbi plura Magnus Cuiacius, qui hanc Marculfi formulam integram inſerit, quam tamen puriorem auctore exhibere conatus eſt, nos fide auctoris edidimus. Tractorias igitur à Francis frequentatas Marculfus docet, poſteáque Caroli æuo duraſſe ex Capitul. pater. lib. IV. cap. XXX. *Si quis litteras noſtras deſpexerit, id eſt tractoriam, quæ propter miſſos recipiendos dirigitur*, &c. Quid verò vnicuique in itinere commeatus præſtari deberet, Tractoria ſignabatur. Capitul. lib. IV. cap. LXIX. *Miſſi accipiant ſecundum quod in ſua tractoria continetur.* Idque variè pro dignitate & qualitate (vt Capitula dicunt) perſonarum; vt ecce plus Epiſcopo, quem Rex mittebat, Abbati & Comiti non tantum, minus autem Vaſallo decernebatur, quemadmodum Capitul. comprehenſum eſt. lib. IV. cap. LXXII. *Epiſcopo panes XL. friſcingæ tres, de potu modij tres*, &c. quæ huius formulæ ſpeciem referunt. Verùm Marculfi & Caroli M. temporibus non eò pertinuiſſe tractorias arbitror, vt curſus publici vſum concederent, qui nullus tum erat; ſed vt equi, manſiones, ſumptus & viatica miſſis à Principe directis, aut ab eo euocatis à ſubditis & prouincialibus ſuppeditarentur, qui manſionaticorum & paratarum oneri tenebantur, qua de re ſuprà cap. III. Paratas enim pro

ſpeciebus, quæ in hac tractoria recenſentur accipio. De Paratis Capitula Caroli & Ludouici apud Cariſiacum, *Conſtituite Comites & miniſtros Reip. qui non diligant munera, &c. qui illorum friſcinkas non prædentur. Cuſtodiant ſyluas, vnde habeant paſtionem, defendant & excolant prata, vnde habeant pabula : quatenus non ſit neceſſe vobis per quaſcumque occaſiones, quorumcumque hortatibus, circuire loca Epiſcoporum, Abatum, Abatiſſarum, vel Comitum, & maiores quàm ratio poſtulat paratas exquirere, & pauperes eccleſiaſticos, & fidelium veſtrorum manſuarios, in carrucaturis & paraueredis exigendis grauare.* Tractorias olim apud Romanos non tantùm Imperator dabat, ſed & Præfectus prætorio & Magiſter officiorum: leg. IX. De curſu publico, lib. XII. Cod. Hæc verò formula nomine Regis inſcripta probat non ab aliis quàm à Rege Francorum concedi ſolitas. Itaque petierunt Galliæ Epiſcopi à Carolo Caluo R. vt id illis tribueretur. Synodi Meldenſis c. LXXI. *Vt authoritatem ſigillo Regio roboratam, more tractoriæ Chriſtianiſſimus Princeps ſingulis donet Epiſcopis.* Sanè hoc ius ſingulari beneficio quibuſdam conceſſum fuiſſe non negauerim. Tractoriæ autem ſpeciem refert vetus diploma Chilperici R. datum ſub die III. Kal. Maij, anno I. Regni, Compendio. Quo res ab auunculo Clodehario R. & Baldechilde Regina auia ſua Corbiæ monaſterio donatas, & priuilegia conceſſa confirmat. Et inter cætera annonas quaſdam à telonario Foſſatenſe annis ſingulis accipiendas, eáque de cauſa euectionem quoque concedit miſſo monaſterij, cui hæc procuratio committetur. cuius particulam mox exſcribemus. Inter Formulas incerti auctoris vna extat, quæ *Tracturia pro itinere peragendo* inſcribitur, & ab Epiſcopo cuidam qui Romam orationis cauſa petit traditur : & inter Varias cap. XV. alia eſt peregrinationis item cauſa à Maiore domus conceſſa. Et ambæ quidem precibus conceptæ ſunt, vt religionis cauſa peregrino manſionem, focum, panem & aquam tantùm largiri velint illi per quos iter facturus eſt, Dominúmque eis retributurum. Vna verò etſi eodem ferè ſtylo, à Maiore domus, qui tum Regis vices agebat ſcripta eſt, precibus tamen agit, quia extra ditionem: Ita tractoriæ vocabulum latiùs extenſum eſt. Si quidem Carolus M. in præcepto S. Dionyſij de mercato, quo telonea & omnigeneris tributa ad mercatum venientibus remittit, illud ipſum tractoriam vocat, *per hanc noſtram tractoriam:* Itidémque HLudouici Pij de ipſa re diploma *Tractoria* dicitur.

OMNIBVS AGENTIBVS ] Cuiacius adiecit *in illo loco*, quaſi dicas, omnibus qui ibi degunt & habitationem habent. non ſatis conuenienter, & præter auctoris mentem. Nec eſt etiam quod ad Agentes in rebus quis referat, quorum in Romano imperio erant ſcholæ ſub Magiſtri officiorum diſpoſitione, qui variis officiis & miniſteriis deſtinabantur, & in frumentariorum locum ſucceſſiſſe Aurel. Victor teſta-

tur: de quibus titulus eſt lib. XII. Cod. & ab Ammiano Marcellino & BB. Ambroſio & Auguſtino ſæpiùs memorantur, quod planè alienum eſt ab Agentibus ad quos hæc formula. Itaque eius vocabuli interpretatio ex eodem ſæculo, non aliunde petenda eſt. Vnicum è S. Dionyſij ſcriniis diploma id præſtabit. Præceptum Dagoberti R. de fugitiuis: *Dagobertus Rex Francorum vir illuſter, Omnibus Epiſcopis, Abatibus, Comitibus, Centenariis, Vicariis & cæteris Agentibus noſtris.* Idem de mercato: *Dagobertus Rex Francorum vir inluſter, Leutone, Vulfione, Raucone Comitibus, & omnibus Agentibus noſtris, Vicariis, Centenariis, & cæteris miniſtris Reip. noſtræ.* Vbi palam eſt agentes non aliud quàm miniſtros & officiales regios deſignare. Actionis quippe nomine officium ſignificabatur. Marculfus ſuprà cap. VIII. *Ideo actionem Comitatus, Ducatus, Patriciatus in pago illo, quam anteceſſor tuus videtur egiſſe, tibi ad agendum regendúmque commiſimus.* S. Auguſtin. ep. LXX. *Bonifacio Comiti. Nempe omnes actus publicos quibus occupatus eras relinquere cupiebas.* Idem Sermone de diuerſ. *qui aut militiæ cingulo detinentur, aut in actu ſunt publico conſtituti.* Victor Vticenſis lib. II. *Cenſet primò tyrannus iuſſione terribili, vt nemo in eius palatio militaret, neque publicas ageret actiones, niſi ſe Arianum feciſſet.* Inde Actionarij pro officialibus in legib. Longob. lib. I. tit. IX. l. XXVIII. *Damus in mandatis cunctis Epiſcopis, Abbatibus, ſeu Actionariis noſtris, vt hæc omnia adimpleantur.* Gloſſæ. *Actionarij, Comites actiones & ima perquirentes.* Sic Synodi Aurel. IV. c. XIII. *publicis actionibus applicare.* Synodi Rhemenſis, ſub Sonnatio Epiſcopo apud Flodoard. lib. II. c. V. *Inceſti communione priuentur, & neque in palatio militiam, neque agendarum cauſarum licentiam habeant.* id eſt, non vt poſtulare non poſſint, ſed ne officij exercendi facultatem habeant. Nam & Gregor. Turon. lib. VIII. c. XVIII. Comitem *cauſarum actionem agere* dixit. Eòdem pertinet & Gregorij Tur. inſignis locus lib. IV. c. XLII. de Mummulo, cuius pater Autiſiodorenſem Comitatum regebat. *Cùmque*, inquit, *ad renouandam actionem, munera Regi per filium tranſmiſit*, &c. qui locus etiam oſtendit quod ſuprà diximus, Comitatus ad certum tempus tunc datos, muneribúſque continuationem impetratam. Actor autem dominicus, de quo apud Gregor. Tur. lib. IX. c. XXXVIII. & in Capitul. lib. IV. cap. III. & XLI. aliud eſt, nam pro Rationali, & procuratore fundi alicuius regij accipitur.

EVECTIO ] Gregor. Turon. lib. IX. cap. IX. *datis litteris, & pueris deſtinatis cum euectione publica.* Plura apud Cuiacium ad leg. III. De curſu publico. lib. XII. Cod. Quibus addere viſum eſt quod ex veteri diplomate Chilperici R. exſcripſimus, cuius antè mentio facta eſt. *Ita vt Telonarius qui per teloneum foſſenſe agere videtur, annua illatione hæc omnia ad miſſos ipſius monaſterij qui inde directi fuerunt dare & adimplere teneatur. Imòque & euectionem ad ipſum miſſum qui ad hoc exi-*

Digitized by Google

*gendum ambularet, perpetualiter abſque renouata tracturia annis ſingulis dare præcipimus. Hoc eſt veredos ſeu parauer edos* x. *panis nitidi* x. *ſequentis* x. *vini mod.* I. *ceruiſiæ mod.* I. *lardi lib.* x. *carnis pondo* xx. *caſei lib.* xII. *piſorum lib.* xx. *caprum* I. *pullos* II. *oua* x. *olei lib.* II. *gari lib.* I. *piperis vnciam* I. *cumini vncias* II. *ſal, acetum, olera, lignum ſufficienter. Hæc omnia ſuperiùs commemorata locis conuenientibus, annis ſingulis, eiſdem tam euntibus quàm redeuntibus, abſque mora dare & adimplere deberetis, etiam ad reuertendum carra* xII. *de loco in locum per loca conſuetudinaria.*

EVECTIO SIMVL ET HVMANITAS MINISTRETVR ] Humanitas pro cibo. Optatus lib. v. p. 59. a. *Vindicent ſibi & miniſtri* (id eſt *diaconi*, ſic Commodianus) *qui menſæ dominicæ famulantur, vt pro humanitate exhibita ab inuitatis gratulatio eis referatur.* Caſſiodor. lib. VI. cap. III.

VEREDOS SEV PARAVEREDOS ] Procopius de bello Perſico lib. II. ὁ δὲ ἵπποις δημοσίοις ὀχούμενος, οὓς δὴ βερέδους καλεῖν νενομίκασιν. Mulra Cuiacius ad tir. de curſu publico. & Fr. Pithœus in Capitul. Gloſſar. ad quos lectorem remitto. Enumerationis verò quæ ſequitur non diſſimilia ſunt Principalia reſcripta de annonis ſingulis diebus certis perſonis præſtandis, apud Trebellium Pollionem & Vopiſcum.

AVCAS ] Anſeres habet Cuiacius, & recta eſt inrerpretatio, ſed *aucas* ſæculi vocabulo ſcriptum fuiſſe fides MS. teſtatur. Leg. Alaman. tit. XCVIII. 18. *ſi auca fuerit inuolata.* 19. *ſi accipiter qui aucam mordet.* In Traditione bonorum in villa Hoſtheim anno DCCCLXXVI. Traditionum Fuldenſium lib. II. *Oues* XL. *Aucæ* XVIII. *pulnilli* II. *capones* II. quod nomen etiam hodie Aquitani retinent.

GARI ] Liquamen Romanis maximè celebratum. Auſonius ad Paulinum ep. XVI.

FACVLAS TANTAS ] Ligni ſcilicet, in epiſtola Valeriani ad procuratorem Syriæ apud Trebellium Pollionem, *ligni quotidiani pondo mille*, nam & in quibuſdam locis vbi rarius eſt appenditur, vt ibidem eruditiſſimus Caſaubonus obſeruauit.

PRÆCEPTVM DONATIONIS ] Inter virum & vxorem, vt Cap. XII. ſeries oſtendit, liberis non extantibus, vſufructus nomine, ei qui ſuperſtes fuerit. Eódem pertinet cap. VII. lib. II. cuius ſi non eadem omnino verba, eadem prorſus mens: verùm differentia in eo eſt, quòd hæc ante Regem facta ſit, ideóque præceptum dicitur, & inter Regales chartas traditur: altera verò, non anre Regem, ſed inter chartas pagenſes lib. II. refertur. Quæ donationis inter virum & vxorem mutuæ ſpecies apud nos obſeruatur, eaſdémque planè ei leges conſtituit Pariſiorum conſuetudo c. CCLXXX.

PRO EO QVOD FILIORVM PROCREATIONEM INTER SE HABERE MINIME VIDENTVR ] Hoc caſu donationem ita

conceptam permittit lex Ribuariorum. Tit. L. & LI. *Si quis procreationem filiorum vel filiarum non habuerit, omnem facultatem ſuam in preſentia Regis ſiue vir mulieri, vel mulier viro, ſeu cuicumque libet de proximis vel extraneis, adoptare in hereditatem, vel in adfatimi per ſcripturarum ſeriem, ſeu per traditionem & teſtibus adhibitis ſecundum legem Ribuariam licentiam habeat.* Tit. LI. *Quòd ſi adfatimus* (id eſt, donatio) *fuerit inter virum & mulierem, poſt diſceſſum amborum ad legitimos heredes reuertatur, niſi tantum qui parem ſuum ſuperuixerit, in eleemoſyna, vel in ſua neceſſitate expenderit.* Id ex teſtamento mutuo inter virum & vxorem, Valentiniani Nouella approbato, petitum eſſe dici poteſt.

Per manvm nostram visi svnt condonasse] Sic cap. proximo, *per manum noſtram tranſuulſum.* & paulò pòſt, *nobis voluntario ordine viſus eſt leſo vuerpiſſe vel condonaſſe, & nos predicto viro illi ex noſtro munere largitatis, ſicut ipſius illius decreuit voluntas, conceſſimus.* Leg. Ribuar. tit. L. *in præſentia Regis.* Ideóque & hæc donatio præceptum donationis inſcribitur, quòd ante Regem peracta ſit. Poſſeſſionis enim ſolenniter transferendæ duo tum modi, aut in iudicio ante Comitem & iudices ſuos, quos Scabinos dicebant, aut in Regis præſentia in palatio. Quæ cauſa fuit Marculfo in duos libros opus ſuum partiendi, vt ſingillatim horum negotiorum formulas traderet. Capitul. Benedicti Leuitæ lib. VI. c. CCVII. *Qui filios non habuerit, & alium quemlibet heredem ſibi facere voluerit, coram Rege, vel coram Comite & Scabinis vel miſſis dominicis, qui ab eo ad iuſtitias faciendas in prouincia fuerint ordinati, traditionem faciat.* Teſtamentum verò viri & vxoris Nouella IV. lib. II. Valentiniani approbatum, in præſentia Principis fiebat, ſaltem venia impetrata, & relatione facta. *Nam cùm liceat* (inquiunt Impp.) *cunctis iure ciuili atque pretorio, liceat per nuncupationem, liceat municipalibus geſtis iudicia ſuprema componere, proculdubio manebit firmior hæc voluntas quæ teſtimonio Principis & ſubſcriptione conditoris firmatur*, cui congruit l. Omnium. C. de Teſtament. Vnde hanc donationis formam fluxiſſe probabile eſt.

Avt mvnere regio, avt de alode parentvm, vel vndecvmqve] Eandem heic tangit bonorum diuiſionem quam ſuprà cap. III. notauimus. Beneficium namque, Alode, & comparatum his verbis ſignificantur. *Munere Regio.* id eſt per beneficium Regis, quod poſtea Feudum dictum eſt: licèt non ignorem à Regibus tunc quoque in proprietatem prædia data, vt infrà cap. XVII. Alodi verò rectè parentum nomen ſubiungitur. Propriè enim Alode illud eſt quod à parentibus acceptum poſſidetur. Sic lib. II. cap. IV. VI. & IX. Itaque *comparato* opponitur lib. II. cap. VII. *tam de alode, aut de comparato, vel de quolibet adtractu.* cap. XII. *tam de alode paterna quàm de comparato.* Incerti auctoris formul. XLVII. *tam quod alode parentum,*

*rentum, quàm ex meo contractu mihi obuenit*, & c. XLIX. Formul. Roman. c. XIV. & XXXVIII. Ioannes VIII. PP. Ludouico R. epiſt. CXXXIX. de Boſonis filiabus, vt eis bona paterna redderentur: *Et pro noſtro amore integriter ipſ.u proprietates, quas vos alodes dicitis, reddat.* Sic quoque heteditas paſſim pro alode dicitur, Leg. Salic. tit. LXII. leg. Ribuarior. tit. LVIII. nam quod in titulo *Alodes* dixeranr, in diſpoſitione *hereditatem* vocant. Matculf. lib. II. c. VII. *tam de alode quàm de comparato*, eadem poſtea tepetendo, *tam de hereditate parentum quàm de comparato.* Vita Catoli M. apud Adhemarum, *ibique multitudo Saxonum baptiza·a eſt, & ſecundum morem, omnem ingenuitatem illorum & alodem manibus gurpierunt ſi ampliùs immutaſſent*, quæ eadem Reginoni, *vt perderent ingenuitatem & hereditatem* dicuntur. Traditionum Fuldenſ. lib. II. Abbatiſſa Emhil donat *propriæ hereditatis ſuæ terram in diuerſis videlicet locis, tam de paterno quam & de materno iure ad me pertinentem.* Alibi ſæpe *paternum aut maternum alode.* Rhenanus & Vadianus arbitrantur Alodij vocem inde natam, quòd ea bona familiis velut coagmentata & coniuncta eſſent, à Germanica voce *anlodt.* Tentati poſſet ab alia Germanica voce originem ducere *Ald*, quæ vetus antiquúmque declatat, auctore Auentino in Gloſſario. quæ notatio ad heteditatis nomen, & patetnam terram proximè accedit. Tandem verò & compatatum alode dictum, & generaliter omnis ptoprietas hoc cenſita nomine, vt ad Capitula obſetuat ſæpe nominatus vir magnus Fr. Pithœus. In Adnuntiatione HLudouici Regis: *Et illorum alodis de hereditate, & de conquiſitu, & quod de donatione noſtri ſenioris habuerunt.*

DRAPPIS ] Synodi Piſtenſis anni DCCCLXIII. cap. I. *Et ſicut quando ſolemus de iſtis frequentibus itineribus reuerti ad manſiones noſtras detonſi & decaluati, cum drappis & calceamentis depannatis, & tunc nos reſicimus & reparamus.* Variar. Formul. cap. VIII. & XIII. *aurum & argentum & drapalia.* Quod panni ſeu veſtimenti genus, hodie nomen apud nos retinet, *drap.*

PRÆCEPTVM DE LÆSIVVERPO PER MANVM REGIS ] Cap. XIII. Formula eſt ttaditionis, pet quam poſſeſſio in palatio & in Regis præſentia ttansfertur.

FIRMISSIMVM ] Quod enim in præſentia Principis actum eſt omnes ſolennitates ſupetat. Immo qui *teſtamenuum Regis* ( id eſt inſtrumentum ) *abſque contrario teſtamento falſum clamauerit, non aliunde niſi de vita componat.* Leg. Ribuar. tit. LXII. 7.

PER FISTVCAM ] Ttadita videlicet feſtuca in ſignum tranſlatæ poſſeſſionis. Multis quippe tum vtebantur traditionum ſymbolis, per glebam, ſiue tertam & herbam, vt loquuntut Fotmulæ incerti auctoris cap. XIX. & XLIII. per vitgam aut baculum, Vetus venditionis inſtrumentum apud Briſſonium Form. lib. VI. *Tu paſtuti fuſte illum*

*inueſtito, tu ſegniti fuſtem manu capito*, & aliàs ſæpe: per chirotecam, Robertus Comes & Abbas S. Martini anno VII. regni Odonis R. *reddimus Dociacum, admoniti, ad eius ſepulchrum veniens per guantum noſtrum:* per librum, vt ad Goffridum Vindocinenſem obſeruat vir eximiæ eruditionis Iac. Sirmondus, baculóſque & chirothecas, & eiuſmodi traditionum ſymbola multa in tabulario S. Albini hodie quoque extare teſtatur: per anulum Comitis Vet. Form. *Genitor ſuus dimiſit per fiſtucam & anulum ipſius Comitis, ipſi aduocato tradidit in ſua eleemoſyna:* per cultellum cum ceſpite & feſtuca, tabularium S. Benigni Diuionenſis, *Fulchardus per Vvadium ſuum & cultellum ſuum cum feſtuca & ceſpite, coram præſentia bonorum hominum, qui ibidem aderant ſe exutum fecit, & ſecundum legem ſuam miſſis beati Benigni publicè tradidit, Aldegario videlicet monacho & præpoſito eiuſdem monaſterij, & Godefrido nomine tenus monacho, res quas per pretium Berthiloni chorepiſcopo & Abati, atque monachis eiuſdem loci vendiderat, accepto librarum* VII. *pretio. Anno* XXVIII. *regnante Carolo R.* Fiſtucæ verò frequens in eam rem vſus. Marculfus lib. I. cap. XXI. *quod in præſenti per fiſtucam eas eidem viſus eſt commendaſſe.* lib. II. c. XIV. *pars parti tradidiſſe, & per fiſtucam omnia partitum eſſe dixiſſe.* Leg. Salicæ tit. XLVIII. vbi qui modus donationis faciendæ fuerit, & poſſeſſionis transferendæ traditur, & tit. LII. Frequentia huius traditionis ex facilitate deſcendit, quòd fiſtuca obuiam ſæpe occurrat. Id luculenter deſcribitur in conceſſione Guidonis Comitis Pictauorum, quam ego doctiſſimo viro Ioh. Belic Fontenaienſis apud Pictonas præfecturæ Aduocato Regio, lubens acceptam refero. Dignus profectò, qui in hanc rem exſcribatur, locus. *Vobis & omnibus aliis abhinc inanteà permitto, concedo, & ad integrum reſtituo, terras eaſdem & cætera omnia cum omnibus priſtinis conſuetudinibus, ſicut ipſe & mater mea cum illo tenuerunt, & monaſterio S. Trinitatis dederunt, vt habeatis & teneatis firmiſſimo ſtabilimento vos & poſteri veſtri. Tunc inclinauit ſe Comes, & accepit* VIRIDEM SCIRPVM, *nam domus recenter erat iuncata, ſicut ſolemus facere quando aliquem perſona potentis vel Dominum ſuſcipimus, vel amicum. Tunc iunco ipſo, non tam donum faciens quàm reſtaurationem, dedit duobus fratribus qui præſentes aderant, id eſt domno Claro & fratri Dauid, &c. Anno ab Incarnatione Domini* MLXVIII. *Indict.* VII. X. *KL. Iunij. Acta eſt iſta conceſſio à venerabili Comite Pictauorum Vvidone infra terram quæ vocatur Maritima apud Eccleſiam S. Saturnini.*

VVERPISSE] id eſt dimittere, & ſic alium veſtire. Vita Caroli M. apud Adhematum, *ingenuitatem illorum, & alodem manibus gurpierunt:* quo loco in quibuſdam exemplaribus non *gurpierunt*, ſed *dulgtum fecerunt* ſcriptum eſſe V. C. P. Pithœus notauit, quæ verba eódem recidunt. Chron. S. Benigni Diuionenſis ſub Rodulfo R. Robertus Vicecomes *in ipſo placito, in præſentia principum eoſdem ſeruos vuir-*

*piuit & ſancto Benigno reddidit.* Eò etiam referendum quod in Form. XLIII. incerti auctoris dicitur *de ipſis rebus ſe exutos eſſe dixiſſe*, nam rem dimittendo & ſe exuendo alium inueſtibant. Quo Vverpiendi verbo hodie vtimur, in iure enim dimittere, *deſguerpir* dicimus. Inde vidua in veteribus Gallicis ſcriptis *la guerpie*, quaſi relicta dicitur. Froſſarr. Hiſt. Vol. 1. cap. CCXLII.

LÆSOVVERPISSE ] Leg. Salicæ tit. XLVIII. hæc traditur donationis forma quæ à Marculfo non longè recedit, *in mallo, &c. & ſic feſtucam in laicum eius iactet, & ipſi in cuius laiſum feſtucam iactauerit, in caſa ipſius manere, & hoſpites tres ſuſcipere*, &c. Fr. Pithœus ex vet. gloſſar. *in laiſum* in ſinum interpretatur, huicque eleganter vulgare forenſe verbum *tendre le giron* refert. Itaque Læſouuerpiſſe eſt rem aliquam dimiſiſſe, & alteri tradidiſſe feſtuca in ſinum iactata.

ACCOLABVS ] Hæc enumeratio omnibus inſtrumentis adſcripta eſt, vt exempla proferre fruſtra ſit. Accolæ verò qui heic nominantur ſunt coloni ſeu adſcriptitij qui ſimul cum prædiis venîbant, vt & de villicis, ſaltuariis, & actoribus apud Iuriſconſultos exempla extant. Chartul. S. Martini, *cum hominibus ibidem commanentibus, quos colonario ordine viuere conſtituimus.* Seruorum autem quæ fuerit apud Germanos veteres conditio, apertè declarat Tacitus: *Seruis non in noſtrum morem deſcriptis per familiam miniſteriis, vtuntur. Suam quiſque ſedem, ſuos penates regit, frumenti modum dominus, aut pecoris, aut veſtis vt colono iniungit: & ſeruus hactenus paret.*

ERGO COGNOSCAT ] Si ad proximam præfationem hæc referas, abſona & aliena erunt. Nam cùm in ſuperiori præfatione loci ſancti fiat mentio, heic de inluſtri viro loquitur. Verùm & hæc & quæ ſequuntur ad primam & ſecundam præfationem referenda, quæ de donationibus à Rege fidelibus ſuis factis ſcriptæ ſunt. CAP. XIV.

FARINARIIS ] Farinarium pro piſtrino dicit, vt & alij nòn pauci medij ſæculi ſcriptores. Leg. Salicæ tit. XXIV. 3. *Si quis ſcluſam de farinario alieno ruperit.* Tit. XXXIII. 3. *ſi quis viam quæ ad farinarium ducit, clauſerit.* Diploma Caroli Simplicis R. de S. Martini cœnobio, *cum vineis, culturis, ſyluis, pratis, farinariis.* In Traditionibus Fuldenſibus lib. II. *totum & integrum, terris, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, aquis, molinariis, &c.*

QVICQVID EXINDE FACERE VOLVERIT, EX NOSTRO PERMISSV IN OMNIBVS HABEAT POTESTATEM ] Sic cap. præced. & cap. XVII. Gregor. Turonenſ. lib. X. cap. XXXI. *Cui aliquid de fiſci ditionibus eſt largitus, deditque ei poteſtatem faciendi de his rebus quæ voluiſſet.*

CONFIRMATIO ] Vide infrà cap. XXXV. Confirmatio eſt à Rege locis ſanctis & venerabilibus indulta, quam ſolemne erat à Principe impetrari; priuilegia enim & cætera eiuſmodi à Principibus CAP. XVI.



Digitized by Google

indulta, poſt illos ſucceſſorum confirmatione opus habent. Cæterum, de confirmationibus eiuſmodi rerum Eccleſiarum agit Hincmarus de diuortio Hlotharij & Thietbergæ, pag. 399. & 412. vbi querelam inſtituit aduerſus Reges ſui temporis, qui ſpecie confirmationis ab Eccleſiis & locis ſanctis petitæ, quam liberaliter indulgebant, bona tamen quæ eâ deſignabantur, occupabant, & aut ſibi retinebant, aut fidelibus largiebantur. Quam in verſutiam latè inuehitur.

CAP. XVII. CONFIRMATIO PRO SÆCVLARIBVS VIRIS] Confirmatio eſt à Rege conceſſa, eius quod ab anterioribus Regibus, quibuſdam perſonis ex fiſco donatum fuerat, non in beneficium ſeu feudum, (morte quippe accipientis finiebatur) ſed in proprium, vt ad ſucceſſores etiam tranſiret. Quod ex his verbis manifeſtum eſt, *Et ipſe & poſteritas eius eam teneant & poſſideant, & cui voluerint ad poſſidendum relinquant, vel quicquid exinde facere voluerint ex noſtro permiſſu libero perfruantur arbitrio.* Theganus Treuirenſis Chorepiſcopus De geſtis Ludeuuici Imp. c. XIX. eius liberalitatis nomine Ludouicum extollit, *In tantum largus vt villas regias, quæ erant ſui & aui & tritaui, fidelibus ſuis tradidit, eas in poſſeſſiones ſempiternas, & præcepta conſtruxit* &c. quæ tamen non rectè Falcetus de beneficiis intelligit, & præter auctoris mentem feudorum ſucceſſionis & proprietatis inde deducit originem, Antiquit. lib. VIII. c. XVIII. In chartular. S. Martini Turonenſis extat eius donationis diploma Caroli Simplicis R. Odoni Comiti factæ: *Placuit fidelem noſtrum de rebus proprietatis noſtræ donare, vt quicquid pro vtilitate, iure proprietario facere decreuerit licentiam habeat, & poteſtatem faciendi, donandi, vendendi ſeu commutandi. Anno* X. *regni Indict.* XII. *Narbonæ.* Itémque alia eiuſdem Odonis, tum Regis Ebolo Comiti. Sic etiam accipio, *in alodium dare* Synodi Meldenſis cap. XLI.

CAP. XVIII. DE REGIS ANTRVSTIONE] Ex hac formula apparet antruſtionem dici fidelem Regis, qui ſe fidem ei ſeruaturum iuramento ſpopondit. Quod & nomen indicat: Fidem enim *trevv* hodie quoque Germani vocant, vt & apud Auentinum in gloſſario *drou* & *dravv*, quæ non niſi pronuntiatione differunt. Itaque antruſtiones fideles ſunt, leudes vt paſſim Gregor. Turon. eos vocat, & Auctor Appendicis ad Gregor. ſiue is Idacius ſiue Fredegarius ſit, aut vt ſequens ætas dixit, vaſſi & vaſalli. Inde Truſtis leg. Salicæ tit. XLIII. 4. *Si quis eum occiderit, qui in truſte dominica eſt*, XXIV. *denariis, qui faciunt ſolidos* DC. *culpabilis iudicetur.* Aliter verò in Reg. MS. legis Salicæ, quæ Marculfo noſtro præpoſita eſt concipitur, quod proximè huic formulæ accedit. *Si quis antruſtionem dominicum occiſſerit malb. malcho*, XXIV. *denariis, qui faciunt ſolidos* DC. *culpabilis indicetur.*

VNA CVM ARIMANIA SVA] Ita edidi, Fr. Pithœum ſequutus, qui ad tit. XLIII. leg. Sal. hanc formulam exſcripſit: etſi Reg.

Digitized by Google

exemplar non *arimania* ſed *arma* habeat. Hæſi certè aliquandiu vtrum eligerem, quòd per arma iuſiurandum olim præſtitum memineram, itémque illud interpretari poſſe putarem, de eo qui armis ornatus, vt par erat, conſpectum Principis adit. Vicit me tandem auctoritas Pithœi, quam etiam ratio ſuadet. *Arimania* ergo heic pro familia vſurpatur. Sanè eo nomine ſeruorum ſeu colonorum ſpeciem ſignificari, multis ex inſtrumentis manifeſtum eſt. Vvido Imp. in legibus Francicis & Longobardicis adiectis tit. v. *Nemo Comes, neque loco eius Præpoſitus, neque ſculdaſius, ab arimannis ſuis aliquid per vim exigat præter quod conſtitutum legibus eſt, ſed neque per ſuam fortunam in manſione arimani ſe applicet, &c.* tit. vi. 2. *Si ex præcepto imperiali Comes loci ad defenſionem patriæ ſuos arimannos hoſtiliter præparare monuerit*, &c. Diploma Conradi Imp. pro Eccleſia Mutinenſi, anno MXXXIX. apud Sigonium De Regno Italiæ lib. VIII. *caſtella, villas, manſos, ſeruos, & ancillas, erimanos & erimanas.*

In manv nostra trvstem et fidelitatem visvs est conivrasse ] Manibus enim datis more Francico, fidelitas promittebatur. Annales Pipini, inſerti Aimoini continuationi lib. IV. c. LXIV. *Illuc & Taſſilo Dux Baioariorum, cum primoribus gentis ſuæ venit: & more Francico, in manu Regis in vaſſaticum manibus ſuis ſemetipſum commendauit: fidelitatémque tam ipſi Regi Pipino, quàm filiis eius Carolo & Carlomanno iureiurando ſupra corpus ſancti Dionyſij promiſit*, qui locus fidelitatis illius morem apertè tradit, & Marculfum omnino illuſtrat. Sacramenti verò formulam, qua conceptis verbis ſuper Sanctorum reliquias iurabatur, ediderunt P. Pithœus vnà cum ſecundæ Regum familiæ hiſtoricis: Fr. Pithœus in Gloſſar. & Falcetus Antiquit. lib. VI. c. V. ideóque non exſcribo. Hominium id poſtea dictum eſt, cuius formulas poſterioribus ſæculis varij variè pro more regionis tradiderunt. Richardi Capuæ Principis fidelitatis iuſiurandum lib. I. Regiſtri Gregor. VII. PP. extat. Videndi Fulbertus apud Iuonem Carnotenſem Decreti par. XII. c. LXXVI. Radeuicus lib. III. c. XIX. lib. II. Feudorum tit. VI. & VII. Gallica verò lingua pleræque Ciuitatum leges & Conſuetudines: liber II. MS. legum, Pariſiorum & Aurelianenſium: Butellerius in Summa Rurali. Sed vt ad Annales Pipini redeam, ſcitè *ſeipſum commendauit* ſcriptum eſt; *ſe* namque *commendare*, pro hominium ſeu fidelitatem facere tunc vſurpabatur. Hincmarus de Villa Nouiliaco (eruditorum etenim coniecturæ, qui huius opuſculi eum auctorem faciunt libens accedo) *Proceſſu denique temporis commendauit Donatus filium ſuum Gozelum Carolo Regi, cui in beneficium dedit Carolus villam Nouilliacum cum appenditiis ſuis.* Nithardus lib. I. *Qui omnes commendati eidem ſacramento fidem firmauerunt.* Conceſſionis præceptum à Ludouico Imp. Hiſpanis datum. *Nouerint tamen iidem Hiſpani ſibi licentiam à nobis eſſe conceſſam, vt ſe in*

*vaſſaticum Comitibus noſtris, more ſolito commendent.* Diuiſio regni Ludouici Pij, cap. VI. Sic etiam accipienda hæc verba, *ſe illi committunt*, apud Frodoardum ad an. 912. 924. & 940. Illud poſtremò obſeruandum, fidelitatem hodie quidem feudi cauſa tantum præſtari, tum verò, vt ex hac formula patet, etiam citra beneficium plerique eiuſmodi ſacramento fidem ſuam obſtringebant, ſeruitiúmque Principi profitebantur, non tamen fortaſſe ſine ſpe aliquod beneficium poſteà à Principe obtinendi. Solebant enim Reges his fidelibus ſuis beneficia ſeu feuda vacantia conferre. Conceſſionis præceptum Ludouici Imp. pro Hiſpanis, *ſi beneficium aliquod quiſpiam eorum ab eo cui ſe commendauit, fuerit conſecutus, ſciat, &c.* Sangallenſis De geſtis Caroli M. lib. I. cap. XXII. de quodam Epiſcopo: *Hic habuit vnum vaſallum non ignobilem ciuium ſuorum valde ſtrenuum & induſtrium, cui tamen ille, ne dicam aliquod beneficium, ſed ne vnum quidem aliquando blandum ſermonem impendit:* vbi vaſallum ſine feudo & beneficio nominat. Vid. Capitul. lib. III. cap. LXXIII. Poſſent & alia non pauca eiuſdem rei exempla proferri.

TRVSTEM] id eſt, fidem. Leg. Sal. tit. XLIII. Decretio Chlotarij R. cap. 3. Vnde *antruſtio*, de quo antea.

VVIRGILDO SVO] Vvirgildus tum vocabatur pecunia quæ pro homicidio, aut alio delicto defuncti heredibus & propinquis ſoluebatur: fredum verò quicquid ex eadem cauſa fiſcus capiebat. Nam apud Germanos veteres certa pecuniæ ſumma delicta æſtimabantur, neque homicidium morte lui lex erat. Leg. Baiuuar. cap. I. tit. VII. 3. *Nulla ſit culpa tam grauis vt vita non concedatur.* Cap. II. tit. I. 4. *Vt nullus Baiuuarius alodem aut vitam ſine capitali crimine perdat, id eſt ſi in necem ducis conſiliatus fuerit, aut inimicos in prouinciam inuitauerit, &c. Cætera verò quæcumque commiſerit peccata, quouſque habet ſubſtantiam componat ſecundùm legem.* Vides facinoroſos nec vita nec bonis priuari, niſi in maieſtatis crimine, in cæteris pecuniariam fuiſſe pœnam quæ *compoſitio* dicebatur. Idem in reliquis eiuſdem æui legibus obtinet. Morem hunc antiquiſſimum obſeruauerat Tacitus: *Suſcipere tam inimicitias ſeu patris ſeu propinqui, quàm amicitias neceſſe eſt. Nec implacabiles durant. Luitur enim homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque ſatisfactionem vniuerſa domus.* Ideóque frequenter in vet. legib. & capitulis hæc verba reperias *de vita componat*, & Capitul. lib. III. cap. X. *ſi quis conuictus fuerit periurij, perdat manum aut redimat.* Vveregildus igitur *compoſitio* dicitur quæ propinquis præſtatur luendi homicidij, aut alterius criminis cauſa. Præter vett. leg. in quibus ſæpius id occurrit Capitul. lib. IV. cap. XIII. c. XV. c. XVIII. *Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum noſtrum in triplo componat, & vuirgildus eius proximis perſoluatur.* Burchardus in lege Familiæ. *Ius erit familiæ, vt de vueregeldo fiſcalini ho-*

*minis quinque libræ ad cameram reddantur, & duæ libræ & dimidia amicis eius contingant.* Item *vueregeldum reddat, & cum proximis pacem faciat.* In Vuillelmi Normanni Angliæ R. Legibus apud Rogerium Houedonum Annal. par. poſt. in Henrico II. *Vuere ſuum id eſt pretium redemptionis ſuæ ſoluat.* Inde *triniumgeltum*, & *niungeldum* pro triplici & nona compoſitione in legib. Baiuuar. tit. II. c. XIII. & tit. VIII. c. I. & II. Leg. Alaman. tit. VII.

SOLID. DC. ESSE CVLPABILEM ] Quæ Salica & magna eſt compoſitio, Leg. Sal. tit. XLIII. & paſſim. Pragmaticum Regum Lotharij & Ludouici pro Eccleſia Pariſienſi. *Si fortè calliditate iudicis, aut alicuius perſonæ, ipſa immunitates alicubi inruptæ fuerunt, priſcorum lege id eſt ſolidis* DC. *multetur.*

PRÆCEPTVM DE CLERICATV ] Iam monuimus præceptum apud Gregor. Turon. Marculfum & alios pro diplomate Principis accipi. Præceptum igitur de clericatu heic dicitur Regis epiſtola qua licentiam alicui concedit vt clericus fieri poſſit. Nam abſque Principis conſenſu clericos ordinari mos non erat. Quod apertè hæc formula teſtatur. Adalberonis Remenſis Archiepiſcopi epiſtola, quæ LVII eſt inter Gerberti epiſtolas: *Perfidiæ ac infidelitatis crimine in regiam maieſtatem arguor detineri, eo quòd nepotem meum clericum videlicet meæ eccleſiæ licentia donauerim, quia & palatium adierit, & dono alterius Regis Epiſcopatum acceperit eius regni, quod ſenior Lotharius in proprium ius reuocauerat. Quodque gradus eccleſiaſticos ei poſtmodum contulerim abſque licentia & authoritate ſenioris mei.* Synodi Aurelianenſis I. c. VI. *De ordinationibus clericorum id obſeruandum eſſe decreuimus, vt nullus ſæcularium ad clericatus officium præſumat accedere, niſi aut cum Regis iuſſione, aut cum iudicis voluntate.* Eius rei ratio redditur à Carolo M. apud Anſegiſum lib. I. c. CXX. vbi id quoque renouata conſtitutione ſancitur. *De liberis hominibus, qui ad ſeruitium Dei ſe tradere volunt, vt priùs hoc non faciant, quàm à nobis licentiam poſtulent. hoc ideò quia audiuimus aliquos ex illis non tam cauſa deuotionis hoc feciſſe, quàm pro exercitu, ſeu alia functione regali fugienda. Quoſdam verò cupiditatis cauſa ab his qui res illorum concupiſcunt, circumuentos audiuimus, & hoc ideò fieri prohibemus.* CAP. XIX.

DE CAPITE SVO BENE INGENVVS ESSE VIDETVR ] Adnuntiatio apud Piſtas an. DCCCLXIV. c. XXVIII. MS. *Vt illi Franci qui cenſum de ſuo capite, vel de ſuis rebus ad partem regiam debent, ſine noſtra licentia ad caſam Dei, aut ad alterius cuiuſcumque ſeruitium ſine licentia noſtra tradere voluerint, Comites vel Vicarij hoc eis non conſentiant, ſed ex banno noſtro prohibeant.*

IN PVLETICO PVBLICO CENSITVS NON EST ] Pithœus ad tit. XXVI. Leg. Sal. hanc particulam exſcribens *polyptico* legit, rectius ſanè & concinnius. MS. tamen libri lectio retinenda videtur,

quamquam barbara, ſed quæ linguæ corruptionem prodat; nam polypticum ſignificat, & ab eo deductum eſſe apparet. Hodie quidem eccleſiaſticorum beneficiorum & redituum notitias & catalogos *Poulier* dicimus, itaque nil immutandum. Senſus autem huius loci hic eſt, Regem licentiam alicui dare clericum fieri, ſi quidem ingenuus ſit, non ſeruus publicus, aut colonus, ſiue adſcriptitius, qui in publicis rationibus ſeu polyptychis cenſitus & inſcriptus non ſit. Quò pertinet Synodi Rhemenſis ſub Sonnatio Epiſcopo decretum, apud Flodoard. Hiſt. Rhem. lib. II. c. v. *Hi verò quos publicus cenſus ſpectat, ſine permiſſu Principis vel Iudicis ſe ad religionem ſociare non audeant.* Rationes autem publicæ polyptycha dicuntur. In leg. II. De diſcuſſoribus. Cod. Th. quæ initio Impp. *polyptica* dixerant, in fine eadem *ratiocinia publica* vocant, quod ibidem etiam rectè Anianus interpretatur. Vegetius De re militari lib. II. c. XIX. Caſſiodor. Variar. lib. V. c. XIV. Plenè autem de polyptychis agit Magnus Cuiacius Obſeruat. lib. IV. c. XXVII.

Comam capitis sui tonsurare ] Comam namque clerici ordinandi deponebant. Gregor. Turon. lib. III. c. XVIII. de Chlodoualdo Chlodomeris R. F. *ſibi propria manu capillos incidens clericus factus eſt.* lib. IV. cap. IV. de Macliavo Britanno, *Veneticam vrbem expetiit, ibique tonſuratus & Epiſcopus ordinatus eſt. Mortuo autem Chanaone hic apoſtatauit, & demiſſis capillis vxorem quam poſt clericatum reliquerat, cum regno fratris ſimul accepit.* Hic enim Macliavus cùm clericatui renuntiare vellet, demiſit capillos, id eſt comam nutrire cœpit. Inde pleriſque ſynodis cauetur ne clerici comam nutriant. Lubet heic obiter adnotare, cùm Childebertus & Chlotarius RR. de fratris filiis interficiendis conſilium caperent, Clotildæque matri vtrum illos tonderi an interfici mallet, nuntiarent, tonderi non accipi vt clerici, aut monachi fierent, vt plerique intelligunt, ſed an vellet eos à regni ſucceſſione remoueri, inciſa cæſarie, quam prolixam, & venuſtè comptam Reges, Regiique tum principes alebant. Id apparet ex his apud Gregor. Turon. verbis, lib. III. c. XVIII. *vtrum inciſa cæſarie, vt reliqua plebs habeantur.*

Cap. XX. De divisione vbi Regis accesserit missvs] Familiæ erciſcundæ iudicij formula eſt, qua Rex diuidendæ hereditatis cauſa, ad petitionem partium miſſum ſuum delegat. Leges Longob. lib. II. tit. XXIX. Flodoardus lib. III. c. XXVII. Huc planè facit Gregor. Turon. locus lib. IX. c. XXXIII. *In qua cauſa Theutarius presbyter, qui nuper ex referendario Sygiberti Regis conuerſus presbyterij honorem accepit, acceſſit vt hanc diuiſionem iuxta regis imperium celebraret.* Illud conſtat iure Romano Prætores coheredibus, aut aliis volentibus à communione diſcedere, arbitrum dediſſe.

Flodoard. lib. II. c. IV.

Et decima illivs svmptvs litis] In MS. vitioſè ſcriptum erat *ſuntellitis*, cuius loco *ſumptus litis* repoſui, quod & ſcripturæ

pturæ veſtigium & ſenſus ipſe ſuadebat. Conſtitutio Caroli M. MS. cap. VII. *De hereditate inter heredes ſi contentione egerunt, & Rex miſſum ſuum ad illam diuiſionem tranſmiſerit, decimum mancipium, & decima virga hereditatis fiſco Regis detur.* Qui locus ad huius loci interpretationem omnino facit. Sententia igitur eſt, Regem decimam illius litis, ſumptuum ſeu expenſarum nomine fiſco ſuo quacumque de cauſa debitam, alicui donare & concedere. Olim namque apud Romanos neceſſaria erat ex parte actoris cautio decimæ partis litis, calumniæ nomine, quia initio litis cauebat actor ni viciſſet reo decimam præſtitum iri. Extat in conſultatione veteris Iuriſconſulti conſtitutio Diocletiani ex Cod. Hermogeniano (quam inde etiam exſcribit Cuiacius Obſeruat. VII. c. VI.) quæ eius repromiſſionis decimæ partis meminit, *quippe ſi per calumniam hoc eum facere confidis, remedio repromiſſionis initio poſtulatæ calumniæ decimæ partis eius quod competit, tibi condemnari eum deſiderare potes.* Cuius cautionis ſpecimen præbet cap. XXIX. Formular. Legis Romanæ. Hanc obſoletam ſuſtulit Iuſtinianus leg. vlt. §. antiqua Cod. De iureiurand. propt. calum. dan. §. Hæc autem Inſtit. De pœna temerè litigant. eandémque poſtea reduxit non abolito calumniæ iureiurando Nou. CXII. Decimam igitur litis apud Francos receptam fuiſſe probat hæc formula, quæ à Romanis accepta in tantum inualuit, vt non aliæ litium expenſæ multis ſæculis in vſu fuerint præter decimam rei in iudicium deductæ, & pecuniariam mulctam quam emendam dicebant: vt auctor eſt Petrus Fontanus, qui B. Ludouico R. claruit, cuius ea de re vetus quoque conſtitutio extat. Tandémque decreuit Carolus IV. R. vbique illud obſeruandum, vt victus victori in expenſas teneretur, non in prouinciis tantùm vbi ius ſcriptum pro legibus erat, quod optimus doctiſſimúſque ſenex Ant. Oiſellus obſeruauit Manual. lib. VI. Id porro heic ſingulare eſt, decimam litis fiſco præſtari ſolitam; verùm ſic accipio, vt ſportularum & iudicij nomine pars illius decimæ fiſco competeret. Sanè vetuſtiſſimo Romano iure quidpiam non diſſimile obſeruatum ex Varrone & Feſto elici poteſt. Sic enim ille De lingua Latina lib. IV. *Ea pecunia quæ in iudicium venit in litibus, ſacramentum à ſacro. Qui petebat, & qui infitiabatur, de aliis rebus vterque quingentos æris ad pontem deponebant: de aliis rebus item certo alio legitimo numero aſſium. Qui iudicio vicerat, ſuum ſacramentum à ſacro auferebat, victi ad ærarium redibat.* Valerius Max. lib. VII. cap. VII. *Sacramento cum adoleſcentulo contendere auſi non ſunt.* παρακαταβολὴ apud Pollucem lib. VIII. ἐπὶ μὲν τῶν πρὸς τὸ δημόσιον ἀμφισβητημάτων τὸ πέμπτον, ἐπὶ δὲ τῶν ἰδιωτικῶν τὸ δέκατον. Idem Valer. Max. lib. VII. c. VIII.

De cavsis alterivs recipiendis ] Vetuſtiſſimo Romano iure non licebat per procuratorem agere, Inſtit. De his per quos agere poſſumus: ſed poſtea receptum eſt in pleriſque cauſis per pro- Cap. XXI.

curatores etiam experiri. Apud Francos verò illud non licuiſſe citra Principis reſcriptum, docet hæc formula, qua conceditur, vt quidam qui propter ſimplicitatem rebus ſuis ſupereſſe non poteſt per alterum poſſit agere, quod & veteribus Romanis non ignotum. Auctor ad Herennium lib. II. *Ex æquo & bono ius conſtat, quod ad veritatem & vtilitatem communem videtur pertinere: quod genus, vt maior annis* LX. *& cui morbus cauſa eſt, cognitorem det.* Illud longo pòſt tempore apud nos obtinuiſſe, vt præter Regem nulli procuratoris habendi abſque Principis conſenſu, facultas ſuppeteret, teſtantur Io. Faber ad §. Vniuerſitatis Inſtit. De rer. diuiſ. & Brolius in ſtylo Parlam. Innocentij quoque III. PP. reſcriptum ad ſcholares Pariſienſes, qui procuratoris conſtituendi licentiam ab eo petierant, hanc habet ex more Francico dubitandi cauſam. cap. Quia in cauſis De procurator.

Clementiæ regni nostri petiit] Eadem ratione & Eccleſiarum aduocati ſeu defenſores à Principe petebantur. Benedictus Leuita Capitul. lib. V. c. XXXI. & lib. VII. c. CCCVIII. Chlotarius R. in Chron. Beſuenſi, *Vvaldalenus Abbas petiit à nobis, vt inluſtris vir Gengolfus omnes cauſas ipſius monaſterij ad proſequendum & redintegrandum deberet recipere. Cui nos hoc beneficium præſtitiſſe cognoſcite. Quapropter per præſens hoc preceptum iubemus, vt memoratas omnes cauſas ipſius monaſterij, illuſtris vir ille ex noſtro permiſſu licentiam habeat proſequi, & vnumquodque vt iuſtum eſt reſtituat. ſic tamen quandiu eorum pariter fuerit voluntas. Data* XV. *KL. Sept. Anno* VIII. *regni domni Chlotarij Regis.*

In vice ipsivs] Qui propter ſimplicitatem, vt dictum eſt, rebus ſuis ſupereſſe non poterat. Sic accipienda in Legib. Andegauenſibus c. XL. *procuration par non puiſſance.*

Admallandvm proseqvendvmqve] Admallare, id eſt ante iudicem vocare litigandi cauſa. Leg. Salicæ tit. LII. 2. *Si adhuc ſupradictum debitum ſoluere noluerit, debet eum ſic admallare, Rogo te iudex vt hominem illum, denominatum, gaſachionem meum* (id eſt aduerſarium) *qui mihi fidem fecit, de debito tali, denominato, ſecundum legem Salicam mihi eum adſtringas. Tunc iudex dicere debet, Ego gaſachium tuum illum in hoc mallo quod lex Salica habet.* & tit. LIII. *Secundum legem habeat admallatum.* Inde *hamallus* leg. Sal. tit. XLIX. *iſta omnia vbi ſuus hamallus eſt.* Quæ omnia, à *Mallo* ſeu *placito*, in quo iudicia fiebant, nomen habent, qua de re poſtea ad incerti auctoris Formulas.

Omnes cavsas lvi] Lui corruptè pro illius infinitis locis occurrit, indéque dictio noſtra *lui*, eodem omnino ſenſu, quod ſemel adnotaſſe ſufficiat.

Directvm faciat] noſtris *droict.* Gregor. Turon. lib. IV. c. XIV. *Deſiſtite ab hac intentione, verbum enim directum non habemus.* For-

mula ſacramenti fidelitatis apud Attiniacum facti, *ſicut Francus homo per recte eſſe debet ſuo Regi.* id à *recti* vocabulo mutuatum, vt *Curuo dignoſcere rectum* apud Horatium, vnde apud nos eodem ſenſu, *tort & droict.*

Præceptvm denariale ] Manumiſſio hæc eſt per denarium præſente Rege facta. Multis quippe modis apud veteres Francos manumiſſio procedebat, aut ante regem per denarium, cuius heic editur formula, aut in Eccleſia per chartam ſeu tabulam, aut etiam per epiſtolam priuatam, quarum formulas, lib. II. & inter veteres alias videre eſt. Inde libertorum alij denariales, alij chartularij, ſeu tabularij dicti. Benedictus Leuita Capitul. lib. VI. cap. CCVIII. ex Pipini Italiæ R. legibus tit. X. *Homo denarialis non antea hereditare in ſua agnatione poterit, quàm vſque ad tertiam generationem perueniat. Homo chartularius ſimiliter faciat.* & manumiſſio quidem per denarium ex lege Salica, Ribuaria, aut alterius aduentitiæ gentis deſcendebat: per tabulam verò, ſeu chartam, in Eccleſia ſecundùm legem Romanam fiebat, & eadem ratione manumiſſi per chartam, lege Romana vtebantur: illa verò libertatis datio per epiſtolam priuatam, ex domini manumittentis gente legem ſumebat. Leg. Ribuar. tit. LIX. & tit. LX. qui *de tabulariis,* id eſt per chartam manumiſſis inſcribitur, & tit. LXIII. vbi plura de manumiſſionibus & earum forma. Apud Longobardos quatuor manumiſſionum ſpecies erant. Leg. Longobard. tit. XCI. Luitprandi R. tit. XXXIV. & Aſtolfi R. tit. VIII. De manumiſſione in Eccleſia, aut per epiſtolam poſtea agetur: Hæc verò de qua nunc Marculfus, ſolenniter auctoritate regis, eóque præſente, iactato denario per manum ſeu domini, ſeu alterius celebrabatur, vt hæc formula oſtendit. Eius etiam in veteribus inſtrumentis aliquot extant exempla. In veteri charta Eccleſiæ Lugdunenſis apud Fr. Pithœum ad Leg. Sal. tit. XXVIII. *Seruum iuris veſtri manu propria, & manu illius excutientes denarium, ſecundùm Legem Salicam, liberum, cum omnibus quæ habet vel adquiſierit, fecimus.* Quibus addere placuit & aliud exemplum nondum editum ex tabulario S. Martini Turonenſis: *Carolus Imperator Auguſtus &c. Adalgarius Leuita petiit, vt imperiali more preceptum fieri iuberemus. Decernimus vt more prædeceſſorum noſtrorum, Imperatorum & Regum, à manu ipſius Leuthardi denarius excutiatur, vt à præſenti die idem Leuthardus, ſemper & vbique omnibus locis liberatus valeat uti propria poteſtate abſque alicuius reſultatione, aut contradictione, & quoque ei libuerit omnibus modis liber & velut nobili proſapia genitus eſſet, liberaliter per noſtram auctoritatem pergat: Hanc preceptionem manu noſtra firmauimus, & annulo noſtri imperij ſigillauimus. Amalbertus notarius ad vicem Autberti archicancellarij. Data* XV. *KL. Iulij anno Incarnationis Dominicæ* DCCCLXXXVI. *Indictione* V. *Imperij Caroli* VII. Cap. XXII.

Iactante denario ] pro *iactato denario*, vt ſæpe *nuncupan-*

te pro *nuncupato.* Igitur excutiebatur nummus de manu ipſius ſerui qui manumittebatur, vt ex locis ſuprà exſcriptis apparet: qui nummus vel argenteus, vel aureus erat, nullo prorſus diſcrimine. Id enim pro forma & dicis tantùm cauſa, vt apud Romanos in mancipatione. Vet. Formul. apud Fr. Pithœum. *Nos verò manu propria excutientes de manu ſupradicti N. denarium vel nummum, vel argenteum, vel aureum, vel dragmam, vel ſeſtertium, vel minam, &c.*

Secundum legem Salicam ] Caput hoc legis Salicæ non extat, eius tamen mentio fit tit. xxviii. *Si quis ſeruum alienum ante Regem per denarium ingenuum dimiſerit.* Ex quo & aliis pleriſque argumentis coniicere licet multo plura fuiſſe legis Salicæ capita, quàm quæ ad noſtram memoriam peruenerint. Eodem modo in formulis Incerti auctoris cap. xlvii. *Poſtea ante domnum illum Regem iactato denario ſecundùm Legem Salicam te ingenuam dimiſi.* In charta Eccleſiæ Lugdunenſis apud Pithœum, *excutientes denarium ſecundùm Legem Salicam.* Ibidem Vet. Formul. *ſecundùm Legem Salicam eum liberum dimiſimus, & ab omni iugo libertatis abſoluimus.* De eiuſmodi manumiſſione per denarium ante Regem, eſt etiam titulus ſpecialis in lege Ribuaria tit. lix. vnde apparet non Legis Salicæ propriam fuiſſe, ſed & aliarum legum. *Si quis*, inquit, *libertum ſuum per manum propriam, ſeu per alienam in præſentia Regis ſecundùm legem Ribuariam ingenuum dimiſerit per denarium, &c.*

Sicut et reliqui mansoarii ] Manſoarij heic dicuntur, qui aliis manentes, ſiue commanentes, & villici παραμονάριοι, manſi, ſeu manſarij; coloni denique, totidem namque vocabulis appellantur. Manſuarij in continuat. Aimoini lib. v. c. xxx. vbi de Normannici tributi exactione à Carolo Caluo R. *Vt de manſis indominicatis ſolidus vnus, de vnoquoque manſo ingenuo quatuor denarij de cenſu dominico, & quatuor de facultate manſuarij: de manſo verò ſeruili, duo denarij de cenſu dominico, & duo de facultate manſuarij:* quo tamen loco Falcetus non rectè manſum pro homine accipit, diſertè enim ibidem cauetur de cenſu fundi, ſeu manſi nomine exigendo, & de facultatibus & bonis hominum aliud tantum, hoc eſt tributum & rei & perſonæ. Manſus enim villula eſt coloni vnius habitationi propria, de quo ad Varias Formul. plenior erit dicendi locus. Illud quoque ex hoc continuation. Aimoin. loco aduertendum, manſos & eorum manſuarios ſeu colonos, alios liberos, alios ſeruiles eſſe, vt & in Flodoardi appendice *manſi ingenuiles & veſtiti* memorantur: cuiuſmodi fuiſſe illos de quibus nunc ſermo eſt, probat manumiſſio per denarium, colonariæ tamen conditionis: coloni namque iure Romano liberi ſunt & res proprias habent Leg. 1. De præd. tami. Leg. xviii. De agricolis & cenſ. lib. xi. Cod. terram tamen dimittere non poſſunt, nec etiam poteſt prædium vendi receptis colonis, Leg. ii. eod. tit. De agricolis. Itaque conceſſa

non fuit plena libertas, per quam à loco recedendi, & quamlibet partem petendi facultas dabatur. *Maſſarios* dixit Rotharis Longobardorum R. tit. XLIX. & CVI.

CHARTA DE CAVSA SVSPENSA] Vt dum reipublicæ cauſa quis abeſt, lites & negotia aduerſus eum conquieſcant. Leg. Salicæ III. I. 4. *Si in iuſſione Regis fuerit occupatus manniri non poteſt*, quæ tamen abſunt à Reg. MS. In editione Germanica, *ſi in dominica ambaſcia fuerit occupatus manniri non poteſt:* & in Conſuet. Hannonenſi, *ſi eum aut infirmitas, aut ambaſcia dominica detinuerit.* Hæ litteræ hodie quoque ex cauſa conceduntur, eáſque litteras ſtatus vulgò nuncupamus. In conſtitutione Philippi Auguſti R. De decimis & crucis expeditione apud Rigordum. *Nullus crucem habentium ſiue clericus, ſiue miles, ſiue alius quilibet alicui reſpondebit ſuper hoc vnde tenens erat ea die, qua crucem aſſumpſit, donec ab itinere ſuſcepto redierit.* Cap. XXIII.

SVORVMQVE AMICORVM AVT GASINDORVM] Gaſindos pro ſeruis aut fidelibus accipio, qui dominis ſuis perpetuò adhærent eiſque iugiter miniſtrant: quod ex Marculfo ipſo colligi poteſt, lib II. cap. XXXVI. in lemmate, *Si aliquis ſeruo ſuo gaſindo ſuo aliquid concedere voluerit:* initióque capitis ita ſcriptum eſt, *Iuſtiſſimè noſtris ſubleuantur muneribus, qui nobis fideliter & inſtanti famulantur officio.* mox *fideli noſtro illi. Pro reſpectu fidei & ſeruitutis, quam circa nos impendere non deſiſtis.* Gaſindorum porrò vocabulo vtitur Rachis R. in legibus Longobardicis. tit. VI. 4. *Si enim quicumque liber homo, in ſeruitio de gaſindio Regis, aut de eius fidelibus introierit.* In iiſdem Legibus Rotharis R. tit. XCI. 13. *ſi aliquid in gaſindio ducis conquiſiuit.* In legibus Pipini Italiæ R. tit. XIV. *Si forſitan attenderit ad gaſindium, vel ad parentem, aut ad amicum ſuum.*

SEV VNDECVNQVE IPSI * LEGITIMO REDIBIT MITTIO] Sic ſcriptum non hoc tantùm loco, ſed & bis capite ſequenti, corruptè quidem & nullo ſenſu. Itaque difficilis emendatio, præſertim in eiuſmodi auctoribus, vbi cauendum ne menda purgando auctoris faciem immutes, quod in Marculfo agere religio fuit. Lucem verò affert formula quæ ſequitur, *ſi aliqua cauſa aduerſus eum vel ſuo mittio ſurrexerint:* vbi *mittio* pro *miſſo* ſcriptum eſſe clarum eſt. Sententia igitur loci hæc eſt, vndecumque aut ipſe vt alterius procurator tenetur, aut ipſius etiam procurator, horum omnium cauſas donec reuertatur ſuſpenſas eſſe. * Legitimè *in Pith. & Lindemb. c. XXVI.*

CHARTA DE MVNDEBVRDE REGIS] Mundeburdium Germanis ſcriptoribus tutela eſt ſeu defenſio & tuitio, vnde & hæc formula: qua Princeps Epiſcopo, aut Abbati tuitionem & defenſionem ſuam impertit, ne à quibuſlibet infeſtentur, atque etiam vt eorum cauſæ in palatio tantùm decidantur concedit: quibus non admodum diſſimilia ſunt diplomata, quæ adhuc hodie Eccleſiis dari moris eſt, eáque dicuntur, Cap. XXIV.

*lettres de garde gardienne.* Nam & ex hac formula patet, Eccleſiis vt plurimum eiuſmodi defenſionem tribui. Vnde & Caroli Martelli maioris domus mundeburdij Bonifacio Epiſcopo dati diploma extat in Pithœi Gloſſar. in ver. *Miſſus ſancti Petri*, quod huic formulæ planè geminum, iiſdemque clauſulis conſtat. Synodi Meldenſis c. XLI. *Prouidendum eſt regia maieſtati, vt monaſteria, quæ ab hominibus Deum timentibus in ſua proprietate conſtructa, prædeceſſores illius, cauſa defenſionis & mundeburdi ſuſceperunt, vt libera libertate, remota ſpe hereditaria de illorum propinquitate, ibidem religio obſeruaretur, & nunc in allodium ſunt data.* Eadem decernuntur in Synodo Ticinenſi ſub HLothario & HLudouico, an. DCCCL. apud Caniſium c. XVI. *Suggerendum eſt beatiſſimis Imperatoribus, quia hi qui monaſteria & ſinodochia ſub defenſione ſacri palatij poſuerunt, ideo feciſſe probantur, quòd à nullo melius, quàm à ſummis poteſtatibus protegenda crediderint, &c.* Quæ Synodus Regiaticina à Caniſio inſcribitur, & de loco inquirendum cenſet. Ego Ticinenſem dixi, quæ regni Longobardici ſeu Italici regia erat, quod & initium ſynodi indicat *in vrbe regia Ticino*, quæ verba diſtincta nullam dubitationem relinquunt: hæc obiter. Synodus Confluentina an. DCCCLX. quæ Caroli & Ludouici RR. fœdera continet. *Volumus vt Eccleſiæ & caſæ Dei, & Epiſcopi, & Dei homines clerici & monachi & nonnæ, talem mandeburdem & honorem habeant, ſicut tempore anteceſſorum noſtrorum habuerunt.* Sanè Gallici Epiſcopatus in regia tutela & defenſione perpetuò fuerunt, adeò vt extremis Carolinæ ſtirpis temporibus, & initio tertiæ Regum familiæ, iure regio ciuilibus bellis imminuto, omnibus occupatis, Epiſcopatus tamen in tutela & protectione Regum manſerint. Chronicon Andegauenſe de Neuſtria Hugoni Abbati conceſſa ſub Carolo Simplici R. *Iſte itaque tractus cùm ei datus eſſet ad integrum cum ciuitatibus & comitatibus & abatiis caſtelliſque præter Epiſcopatus ſolos, qui in regia dominicata retenti ſunt.* Rigordus in Philippi Auguſti Vita. *Igitur Reges Francorum prædictas Eccleſias in ſua libertate ſemper cuſtodire cupientes, quibuſcumque Principibus terras cuſtodiendas tradidiſſent, tamen Eccleſias ſub poteſtate ſua & protectione retinere decreuerunt, ne principes quibus terra cuſtodienda delegabatur, Eccleſias vel clericos ibidem Domino ſeruientes aliquibus angariis, talliis, vel aliis exactionibus grauare præſumerent.* Nec verò Eccleſiis tantùm mundiburdium dabatur, ſed & aliis perſonis, vt viduis & orphanis. Capitul. lib. VI. cap. CCXXIII. *Vt viduæ, orphani, & minùs potentes ſub Dei defenſione & noſtro mundeburde pacem habeant, & eorum iuſtitias acquirant.*

SVB SERMONEM TVITIONIS NOSTRÆ VISI FVIMVS RECEPISSE] Tuitio Euſtorgio Mediolanenſi Epiſcopo à Theoderico R. data, extat apud Senatorem lib. II. c. XXIX. quam vide. Sic *in verbo regis* eſſe, Leg. Sal. tit. XIV. & tit. LIX. *Rex ad quem mannitus eſt*

*extra ſermonem ſuum ponet:* Nam in verbo Regis quis recipiebatur, ne ab inimicis læſi aut interfici poſſet. Gregor. Turon. lib. IX. c. XIX. *Regina Brunichildis in verbo ſuo poſuerat Sicharium & C. Aginnum properans epiſtolam eius elicuit, vt à nullo contingeretur.* Eodem lib. c. XXVII. de Guntchranno R. qui puellæ quæ Amalonem Ducem vim ſibi facientem occiderat *præceptionem tribui iuſſit, vt in verbo ſuo poſita, nullo vnquam parentum defuncti illius moleſtiam pateretur.* His reſpondet tuitionis formula apud Caſſiodor. lib. VII. cap. XXXIV. *Diuerſorum te quemadmodum quereris, diſpendiis ſauciatum, in caſtra defenſionis noſtræ clementer excipimus, &c.*

SVB MVNDEBVRDE VEL DEFENSIONE ] Mundeburdium, vt diximus, tutela eſt, & Longobardicis legibus fœminarum tutor *mundoaldus* & *mundius* dicitur: veteribus Francis *mainbour* & *mainbournie* pro tutela vel cura: apud Froſſartem vol. I. cap. CLV. *fuſſent en garde, baille, tutelle, cure, manburnie.* Burchardus Decretorum lib. XIX. ex Pœnitentiali Romano: *Rapuiſti vxorem tuam, & vi ſine voluntate mulieris, vel parentum in quorum mundiburdio tenebatur illam adduxiſti?* Sæpe etiam in eiuſmodi litteris pro mundiburdio tuitio & defenſio dicitur. Gregor. Turon. lib. IX. c. XX. in pactione Regum apud Andelaum: *Ne à quocumque, vllo vnquam tempore conuellatur, & ſub tuitione ac defenſione domni Childeberti, &c. debeat poſſidere.* Sic & in priuilegio Ludouici & Lotharij pro Corbienſi cœnobio, *Vt ipſum monaſterium ſub noſtro munimine & defenſione, cum cellulis ſibi ſubiectis & rebus vel hominibus ad ſe pertinentibus confirmare feciſſemus*, mox *ſub tuitionis atque immunitatis noſtræ defenſione.* Ex quibus etiam liquet tuitionis clauſulam frequentiſſimè immunitatis priuilegio inſertam fuiſſe, vt & ſuprà cap. III. Otthonis Magni diploma pro Eccleſia Mindenſi, *anteriorum Regum conſcripta, qualiter ipſi præfata Eccleſiæ res, cum omnibus in ipſis rebus conſiſtentibus ſub illorum reciperent mundeburdo.* poſtea, *mundeburdum & tuitionem noſtram.*

TANTVM IN PALATIO NOSTRO ] Sic edidi & poſtulabat ſenſus, nam in MS. vitioſè *tum in palatio* legitur. Huc facit locus ſynodi Ticinenſis ſuprà exſcriptus, *ſub defenſione ſacri palatij.*

PROLOGVS DE REGIS IVDICIO ] Reges noſtros olim proprio ore ius dixiſſe notum eſt, Epiſcopis & proceribus adſidentibus, præſertim de maioribus cauſis, & inter Epiſcopos, abbates, comites & potentiores perſonas Capitul. lib. III. c. LXXXVII. lib. V. c. CLVI. & de vaſſis & fidelibus ſuis, lib. III. c. LXIV. lib. V. c. XLVI. item ex cauſa prouocationis, aut negati vel diu dilati iudicij à comitibus, lib. V. c. CXLI. lib. III. cap. VII. & cùm quis iudicatum facere negligit, aut ſe iudicio ſiſtere recuſat, lib. II. cap. XIX. Marculfus lib. I. c. XXVI. XXVII. & XXVIII. tum demum de neglectu regalium conſtitutionum & decretorum, & ex variis cauſis, de quibus aliàs ſingillatim. Illud eſt quod ſæ- CAP. XXV.

piſſime hic auctor *in palatio cauſam proſequi.* Verùm ex his quædam à Rege ipſo iudicabantur dum ius dicebat: quaſdam verò Comes palatij vice Regis Epiſcopis etiam & proceribus adſidentibus finiebat, & nihilominus Regis nomine iudicata inſcripta erant, atque ſi ipſe iudicaſſet. Huius itaque iudicij formula nunc exhibetur, præfationis videlicet, narr. rei iudicatæ tot formulæ quot negotia. Nos antiquitatis cauſa integrum Regis iudicium in cauſa Abbatis S. Benigni Diuionenſis exſcribemus. Veritatem enim & rem geſtam repræſentat, quam adumbratam formula tradit, præſertim cùm illud ipſum inſtrumentum viſum & laudatum animaduerterim à Io. Tilio rerum noſtratum peritiſſimo. Eſt igitur eiuſmodi in Chronico Diuionenſi, quod litteratiſſimi viri Caroli Labæi beneficio videre contigit.

Chlotarivs Rex Francorvm vir inlvster. *Quotieſcumque altercantum iurgia Palatij noſtri iudicia, noſtrorúmque fidelium ac Eccleſiarum ſeu ſacerdotum pro quarumcumque rerum negotiis noſcuntur aduenire, oportet nobis in Dei nomine iuxta legum ſeueritatem inquirere, vt deinceps nulla videatur quæſtio renouari. Ideòque cùm nos in Dei nomine Maſolaco in Palatio noſtro, vnà cum apoſtolicis viris patribus noſtris Epiſcopis, optimatibus, cæteriſque Palatij noſtri miniſtris, necnon & Andobello Palatij noſtri Comite, qui de ipſo miniſterio ad præſens nobis deſeruire videbatur, ad vniuerſorum cauſas audiendas, iuſtoque iudicio terminandas reſideremus, aduenientes ibi actores Baſilicæ domni Benigni, quæ eſt ſub oppidum Diuione conſtructa, vbi ipſe pretioſus martyr in corpore requieſcit, & vir venerabilis Vulfechramnus aba praeſſe videtur, videbantur repetere à quibuſdam hominibus, dicentes quia anteacto tempore bonæ recordationis parens noſter domnus Guntchrannus quondam Rex per teſtamenti ſui paginam ad ipſam Baſilicam ſancti Benigni villam nuncupatam Elariacum cum adiacentiis, vel omni re ad ſe pertinente conceſſiſſet: & ipſi homines infra ipſum terminum commanentes, ex parte maxima plurima peruaſiſſent, vel ad ſuam partem contradicerent, & reditus terræ partibus ipſius Baſilicæ reddere contemnerent, & ſyluas de ipſo agro deuaſtaſſent, & terram exinde, aut prata per loca plurima inuaſiſſent vel vineas plantaſſent, aut calmus rupiſſent: E contra illi dicebant, quod ipſe princeps domnus Guntchrannus per præceptionem quam in præſenti protulerunt relegendam, in anteceſſores parentes eorum firmaſſet: Vbi continebatur quòd ab eo tempore quo ipſum agrum Elariacum iam dictus Princeps ad memoratam Baſilicam ſancti Benigni contulerat, per munificentiam ipſius Principis promouerant,* (leg. promeruerant) *vt quicquid ex ſucceſſione parentum habebant, hoc nunc ipſis confirmatum eſſe deberet. Interrogatum eſt à noſtris proceribus, ſi ceſſionem ipſius domni Guntchranni, aut aliorum Principum, ſeu alia inſtrumenta de ipſo agro habebant an non, in præſenti edicere debebant. Sed ipſi profeſſi ſunt ad præſens, quòd aliud inſtrumentum nullum vel firmationem magis exinde*

*non*

*non haberent quàm quod præſentabant. Vnde & ipſis confirmationibus relectis & percurſis, inuentum eſt à fidelibus noſtris quòd nullum detrimentum vel preiudicium ipſa Baſilica domni Benigni de ipſo agro Elariacenſi exinde non pateretur. Etiam & pactionem præſentabant, qualiter anteſeſſor ſupradicti Vulfechranni, Richimarus quondam aba, ſeu & apoſtolicus vir domnus Berthoaldus Epiſcopus, vnà cum ipſis, vel parentes eorum de parte maxima de infra termino ipſo Elariacenſe contentionem maximam habuiſſent: & ipſas terminationes perambulaſſent & ſigna poſuiſſent. Proinde nos taliter vnà cum noſtris proceribus in quantum illuſter vir Andobaldus Comes palatij noſtri teſtimoniauit, conſtitit decreuiſſe, vt dum hæc cauſa inter ipſos ſicut ſuperiùs continetur taliter acta, vel inquiſita fuiſſet, per ordinem iubemus ipſum agrum Elariacenſe, quantumcumque domnus Guntchrannus per teſtamenti ſui paginam ibidem delegauit, poſtpoſita & calcata ipſa confirmatione vel reliquis* [*à domno Guntchranno*] *& ſucceſſoribus principibus factis deſcriptionibus, ne deinceps per ipſos aliqua remoueri videatur cauſatio, ſed quod hactenus tenuiſſe videntur infra ipſum agrum Elariacenſe vel vbicumque tam terris, curtiferis, caſis, vineis, pratis, ſyluis, paſcuis, aquis, adiacentibúſque ſuis per alia loca cum omni iure teneant, poſſideant abſque ſollicitudine, abſque alicuius repetitione: Sitque in Dei nomine ad partem ſancti Benigni & prouiſorum ſubiectorúmque eorum euindicatum omni tempore, &c. loci ac re* ( leg. eius loci ac rei ) *ſopita cauſatio.* ABBIEINVS *recognouit & datauit ſub die* IX. *KL. Nouemb. in anno* VIII. *regnante domino noſtro feliciter Amen. Airardus presbyter recognouit & ſubſcripſit.* Chlotarius ille filius erat Chlodouei Dagoberti F. vt idem chron. teſtatur, Guntchrannúmque R. parentem vocat, quòd ex maioribus ſuis vnus, proauique patruus & loco patris fuerit.

VNA CVM DOMNIS ET PATRIBVS NOSTRIS EPISCOPIS] Hi enim in iudiciis Regi adſidebant, vt etiam notauit Tillius, qui rectè Curiæ ſeu Parlamenti originem hinc deducit, illúdque ita duraſſe vſque ad Philippi VI. Valleſij tempora, qui ampliſſimum Pariſienſem Senatum à comitatu & conſiſtorio Principis ſeparatum, edicto conſtituit. Huius quoque iudicij Epiſcopis & proceribus adſtantibus forma refertur Antiquitatum Fuldenſium lib. I. *Anno Dominicæ Incarnationis* DCCCXXXVIII. *ind.* I. XVIII. *KL. Iulij, facta eſt contentio Gozboldi & Hrabani Abbatis, coram Imperatore Ludouico & filiis eius Ludouico & Carolo, necnon & principibus eius in palatio apud Niomagum oppidum conſtituto de captura, &c. præſentibus Trugone Archiepiſcopo, Otgario Archiepiſcopo, Radolto Epiſcopo, &c. Adalberto Comite, Helphrico Comite, Albrico Comite, Popone Comite, Gobavuino Comite Palatij, Ruadharto ſimiliter Comite Palatij, &c. innumerabilibus vaſallis dominicis.*

OPTIMATIBVS NOSTRIS] Ita nobiliſſimi & regni priores in Appendice Greg. deſignantur, Capitul. lib. I. c. CXXXII. *Vt omnes Epiſcopi, Abates, abatiſſæ, optimates & Comites.* lib. V. c. V. *per conſilium ſacerdotum*

*& optimatum meorum.* Frequentiſſimè verò in Annalibus Fuldenſibus à P. Pithœo & Mar. Frehero editis. Caroli Calui præceptum de fugitiuis S. Dionyſij, *ſtatuimus cum communi conſenſu & conſilio totius regni noſtri optimatum.* Iidem *priores regni* Gregorio Turonenſi, *primates* Appendici, *maiores* & *ſeniores* Hincmaro, *proceres* infrà cap. XXXVIII. *Palatini* in Roberti R. priuilegio pro S. Dionyſij cœnobio, *ex ſententia Palatinorum noſtrorum adiudicauimus.*

PATRIBVS ILLIS ] Repetitio, hoc eſt Epiſcopis illis, qui patres ab Eccleſia, dignatione meriti & ſacerdotij dicti ſunt. Vrbanus PP. ex Auguſtino apud Gratianum Diſtinct. LXVIII. Gregor. Turonenſ. lib. IV. c. XXVI. de preſbytero Heraclio ad Charibertum Regem. *Pater,* inquit, *presbyter tuus Leontius, cum prouincialibus ſuis ſalutem tibi mittit.* Senator Variar. lib. XI. ep. III. *ſpiritales parentes, animæ veri parentes.*

REFERENDARIIS ILLIS ] Referendarios Romani habuerunt, qui ſupplicum deſideria Principi referrent, ſimúlque eius iuſſiones & reſponſa exponerent, Nouel. X. & CXIII. Caſſiodor. lib. VI. cap. XVII. vbi eorum deſcribit officium. Apud Francos verò diuerſum quodammodo munus erat. anulum namque Principis Referendarium tenuiſſe Gregor. Turon. oſtendit lib. V. c. III. Et eod. lib. cap. XLII. Vrſicinum Vltrogotthæ Reginæ Referendarium facit: ſubſcriptionem etiam regiis litteris appoſuiſſe idem teſtatur lib. X. cap. XIX. vt Referendarium ſummi Cancellarij munus ſuſtinuiſſe apud Gregorium dubitari non poſſit. Quod & Sigebertus ſcribit ad annum DCXXXVII. *Referendarius,* inquit, *dicebatur ad quem publicæ conſcriptiones referebantur, vt per eum anulo ſeu ſigillo Regis confirmarentur.* Eadem fere Aimoin. lib. IV. cap. XLI. At cùm plurium Referendariorum heic fiat mentio, & ſummorum Cancellariorum primæ Regum familiæ diplomata repeгiantur, ſuſpicari licet hoc ſaltem tempore & poſtea Referendarios in aula Francica plures fuiſſe, qui ſcilicet libellos ſupplices & diplomata ſubſcribenda Regibus offerrent. Quod innuere videtur præceptum Dagoberti de fugitiuis S. Dionyſij, *Landericus obtulit, Dagobertus Rex ſubſcripſit.* In præcepto immunitatis eiuſdem cœnobij, *Dado obtulit.* & in diplomate Chlodouei Dagoberti F. *Gerardus obtulit, Chludouius Rex ſubſcripſit.* Niſi fortè coniicias ex Referendariorum ordine vnum aliquem anuli Principis cuſtodem fuiſſe. Hodie quidem Magiſtri libellorum ſupplicum eorum officio funguntur.

DOMESTICIS ] De quibus ad lib. II. c. vlt. commodiùs tractabitur.

SENISCALCIS ] Annales Fuldenſes ſub an. DCCCXXXVI. *Carlus per Autulfum Seneſcallum miſſo exercitu Britones domuit.* Sic & Vita Caroli M. apud Adhemarum, & Sigebertus: qui Audulfus in continuat. Aimoini lib. IV. c. LXXVIII. *regiæ menſæ præpoſitus* dicitur, eundémque Re-

gino Prumienſis *principem coquorum* vocat: quo etiam officio functos ſub tertia regum familia ex vetuſtiſſ. vernaculis carminibus obſeruat Falcetus Origin. lib. 1. c. x. vt & plures extitiſſe: maiorem verò *dapiferum* tunc dictum, etiam vexillum regium in acie detuliſſe. Robertus Monachus S. Remigij Rhemenſis Hiſtor. lib. IV. *Ipſo die Podienſis Epiſcopus perdidit dapiferum ſuum, qui ſuæ aciei deferre ſolebat vexillum.* Inter primas certè regni dignitates hanc fuiſſe declarant Regum tertiæ familiæ diplomata, quæ quidem à dapifero cum quatuor aliis familiæ regiæ præcipuis miniſtris ſubſcribi conſueuerant. Ludouici VI. R. diploma donationis ad S. Dionyſium. *Præſentibus ex Palatio noſtro, quorum nomina ſubtitulata ſunt & ſigna, S. Ancelli tunc temporis dapiferi noſtri, S. Giliberti buticularij, S. Hugonis Conſtabularij, S. Vvidonis Camerarij, Stephanus Cancellarius relegendo ſubſcripſit. Anno* MCXII. Innumera eiuſmodi litterarum exempla paſſim reperiuntur, adeò vt vacante dapiferi ſeu Seneſcalli officio, ſubſcriberetur in litteris *dapifero nullo.* Guillelm. Tyrius Hiſt. belli ſacri lib. IV. cap. V. *Alexius megadomeſtici dignitate (quem nos maiorem Seneſcallum appellare conſueuimus) fungeretur officio, ab Imperatore ſecundus.* Itaque non malè eos in Maiorum domus locum ſucceſſiſſe obſeruatum eſt, nam *maioratum & ſeneſcalciam* Hugo de Cleriis vocat. Quod munus præclarè deſcribit Hincmarus ex Adhalardo ep. III. c. XXIII. *Quæ videlicet cura, quamquam ad Buticularium vel ad Comitem ſtabuli pertineret, maxima tamen cura ad Seneſcallum reſpiciebat, eo quòd omnia cætera, præter potus, vel victus caballorum ad eundem ſeneſcallum reſpicerent.* Eius quoque iura ab Hugone de Cleriis traduntur, qui Ludouico VI. R. vixit, & poſt Goffridum Abbatem Vindocinenſem à doctiſſimo Iac. Sirmondo editus eſt. Hunc nos hodie *Magnum Magiſtrum Franciæ* dicimus, de quo plura apud Tillium & Falcetum.

CVBICVLARIIS ] Gregor. Turon. lib. VII. c. XXI. *Eberulfum cubicularium* Chilperici R. refert à Fredegunde accuſatum, quòd is Principem occidiſſet, theſauróſque expilaſſet: vnde etiam apparet, theſaurorum curam ad cubicularium pertinuiſſe. Idem lib. X. cap. X. *Chundonem* Guntchranni R. *cubicularium* nominat. Plures fuiſſe ex hac formula & aliis locis manifeſtum eſt. Vnus verò cæteris præpoſitus fuit, de quo etiam ſupraſcripti loci Gregorij Turonenſis accipiendi ſunt. Quem Regi adſediſſe non mirum, ob dignitatis prærogatiuam: cùm idipſum Romano imperio ſolitum fuiſſe doceat Zozimus lib. V. vbi de Timaſij magiſtri militum ſub Arcadio damnatione. ὁ μὲν βασιλεὺς προυκάθητο δικαστής. Εὐτρόπιος δ' παρεστὼς, ἐπειδὴν καὶ τὴν ἡγεμονίαν πάντων τῶν βασιλικῶν εἶχε κοιτώνων, τῆς πάσης ψήφου κύριος ἦν. Præpoſitus is erat ſacri cubiculi. Eius officium latè ab Hincmaro exponitur ep. III. c. XXII. (Camerarium enim cum cubiculario eundem facio) *De honeſtate verò palatij, ſeu ſpecialiter ornamento regali, necnon & de donis annuis militum, abſque*

*cibo & potu vel equis, ad Reginam præcipuè & ſub ipſa ad Camerarium pertinebat, &c.* Videndi Tillius, & Falcetus Origin. lib. 1. cap. XI. Porro hos omnes proceres & regiæ familiæ miniſtros regij quoque iudicij participes fuiſſe probat Lex Ribuar. tit. XC. *Iubemus vt optimates, maiores domus, domeſtici, comites, graſiones, cancellarij, vel quibuſlibet gradibus ſublimati in prouincia Ribuaria in iudicio reſidentes munera ad iudicium peruertendum non recipiant: quòd ſi quis in hoc deprehenſus fuerit, de vita componat.* Quod antè conſtituerat Gundebaldus R. in præfat. Legum Burgundionum.

COMITE PALATII ] Hoc officio functos reperio Trudulfum & Romulfum apud Greg. Turon. lib. IX. c. XII. & cap. XXX. Aigulfum ſub Chlodoueo Dagoberti F. R. in diplomare eiuſdem Regis; Andobellum ſub Chlotario eius filio: ſub Carolo M. Anſelmum, Vvoradum; ſub Ludouico Reginarium, Adhalardum, Bertricum; & ſub Carolo Caluo Fulconem, Bernardum & alios. In quo verſaretur horum officium plenè tradit Hincmar. ep. III. c. XXI. in finiendis ſcilicet controuerſiis quæ ad palatium deferebantur, & vt ſi quid in legibus emendandum eſſet Principi exponerent, & accepto reſponſo emendarent: idémque cap. XIX. Comitem Palatij Archicapellano ſeu Apocriſiario confert: *Præcipuè*, inquit, *duo, id eſt, Apocriſiarius, qui vocatur apud nos Capellanus, vel Palatij cuſtos, de omnibus negotiis eccleſiaſticis, vel miniſtris eccleſiæ, & Comes Palatij de omnibus ſæcularibus cauſis vel iudiciis ſuſcipiendi curam inſtanter habebant: vt nec eccleſiaſtici, nec ſæculares priùs domnum Regem abſque eorum conſultu inquietare neceſſe haberent, quouſque illi præuiderent, ſi neceſſitas eſſet, vt cauſa ante Regem meritò venire deberet, &c.* Non tamen omnium cauſarum notionem ad illos ſpectaſſe certum eſt, ſed tantùm pauperum & minùs potentium cauſas. Capitul. lib. III. cap. LXXVII. *Neque vllus Comes Palatij noſtri potentiorum cauſas ſiue noſtra iuſſione finire præſumat, ſed tantùm ad pauperum & minùs potentium iuſtitias faciendas ſibi ſciat eſſe vacandum.* Vice tamen regia ſediſſe & de maioribus etiam negotiis ſeu Regum mandato, ſeu officij prærogatiua cognouiſſe, & ex hac formula & Chlotarij R. iudicio, quod ſuprà exſcripſimus palam eſt. Decreta nomine regio inſcripta continebant, Regem ex relatione Comitis Palatij iudicaſſe, aut ab illo & proceribus iam iudicata firmaſſe. Itaque magna eius Comitis dignitas, magna poteſtas. Sangallenſis lib. II. c. IX. *Videntes Comitem Palatij in medio procerum concionantem, imperatorem ſuſpicati, terratenus ſunt proſtrati.* Quem magiſtratum in Germanico imperio longo tempore duraſſe, multáque alia præclara ex iure Saxonico notat P. Pithœus, nunquam ſine laude nominandus, Comit. Camp. lib. 1. Ex diplomatibus & veteribus inſtrumentis breuiter & eruditè horum officium deſcripſit Io. Auentinus Annal. lib. [illegible] eius verba lubet adſcribere: *Is vicem Cæſaris præſidendo ſenatui principali defungebatur, fidem Imperatoris implorantibus aderat,*

*iisque reddebat, fiſcum Auguſti, prædia Salica, redditus regios procurabat, Cæſareum cenſum exigebat, nihil citra eius authoritatem Duci aut decernere, aut ſtatuere licebat, &c.* Ex quibus quàm diſſimile ſit Seneſcalli ſeu Magni Magiſtri officium, quod plerique hodie confundunt, vel cæco perſpicuum eſt. Illud addam, plures aliquando fuiſſe Palatij Comites, non in Germanico imperio tantùm, quod Auentinus & Pithœus tetigerunt, ſed & in prima & ſecunda Francorum Regum familia. Pipini Maioris domus de rebus S. Dionyſij extat iudicium in tabulario eiuſdem monaſterij, vbi hæc verba reperias, *Vbicumque eorum iuſtitiam inuenimus, ſicut proceres noſtri, ſeu Comites Palatij noſtri, vel reliqui legis doctores iudicauerunt.* In Tradition. Fuldenſ. lib. I. vno eodémque tempore, ſub Ludouico Imp. anno DCCCXXXVIII. atque etiam in eodem iudicio duo referuntur Comites Palatij, *præſentibus &c. Popone Comite, Gebavuino Comite Palatij, Ruadharto ſimiliter Comite Palatij, Hattone Comite, &c.* Capitul. lib. III. c. LXXVII. *Vt nullus Comes Palatij, &c.*

INDICVLVS COMMONITORIVS] Regiæ ſunt litteræ, quibus Epiſcopus ante Regem in ius vocatur. CAP. XXVI.

POST VOS RETINEATIS] Noſtris veteribus ſcriptoribus *retenir riere ſoy*, penes ſe.

LEGIBVS REVESTIRE FACIATIS] Id eſt eius rei quam abſtuliſti poſſeſſionem ei reſtituas, iterúmque eum veſtias ſecundùm formam legis qua ipſe viuit. Veſtiendi verbum hoc ſæculo frequens. Leg. Baiuuar. tit. XVII. cap. III. *Mei anteceſſores tenuerunt, & mihi in alodem reliquerunt, & veſtita eſt illius manu cui tradidi.* Pipini Maioris domus iudicium de rebus S. Dionyſij, *Vel caſa S. Dionyſij exinde veſtita fuerat, vel à bonis & Deum timentibus hominibus data vel collata fuerunt, & ipſa caſa legitimè & rationabiliter per legem exinde veſtita fuerat.* Capitul. lib. IV. cap. XIX. *fideiuſſores veſtituræ*, & c. XLII *veſtitura domni Karoli*. cap. XLV. *noſtra veſtitura.* Synodus Leptinenſis an. DCCXLIII. *Eccleſia cum propria pecunia reueſtita ſit.* In Traditionibus Fuldenſibus ſæpiſſimè *veſtitionis* & *veſtituræ* teſtes. In Appendice Frodoardi *veſtitus.*

CHARTA AVDIENTIALIS] Regia quoque eſt epiſtola, qua ad Comitem ſcribit vt quendam, qui eius iuriſdictioni ſuppoſitus eſt, iudicium accipere & iudicatum facere cogat, aut ſi nolit fideiuſſorem det ad Regis iudicium ſiſtendi cauſa. Inde dictam *audientialem* puto, quòd per eam quis ad Principis audientiam vocetur. Vt enim Iuriſconſulti *ius* pro loco dicunt, ſic *audientiam* tum illi appellabant. Greg. Turon. lib. VII. cap. vlt. Synodi Meldenſis cap. LXXVII. CAP. XXVIII.

PAGENSIS VESTER] Pagi appellatio latè patet. neque enim vicus tantùm hoc nomine dicitur, ſed & prouincia, aut ſaltem non exigua pars prouinciæ. Sic Plinio lib. IV. cap. XVII. *Geſſoriacus pagus* non pro vico accipitur, ſed pro magno agri tractu & ciuitatis vnius terri-

torio. Sic & ſeptem Heluetiorum pagi apud Cæſarem : quod Gallica lingua retinuit, ſolita tamen mutatione g in i *pais* namque dicimus, vt Ioſ. Scaliger Phœnix ille litterarum obſeruat: ſeu quia eiuſmodi litteras in medio abiicimus. Gregor. Turon. lib. IX. c. IX. *quicquid de pago Stampenſi vel Carnoteno*. Appendix Gregor. Turonenſ. cap. LVII. *conceſſiſſe pagum Tholoſanum, Chatorcinum, Aganenſem, Petrocorreum, & Santonicum*. Vnde pagenſes dicti, qui eiuſdem pagi ſunt. Pagis autem vt plurimùm præerant Comites, itaque qui eorum ditioni ſubditi erant *pagenſes* dicebantur. Gregor. Turon. lib. VIII. cap. XVIII. *Vuintrio dux à pagenſibus ſuis depulſus ducatu caruit*. Præceptum Dagoberti de mercato S. Dionyſij, *Saxones & Vngarij & Rothomenſes & cæteri pagenſes de aliis ciuitatibus*. Capitul. lib. III. c. LXXIII. *vaſallos ſuos caſatos ſecum non retineat, ſed cum Comite cuius pagenſes ſunt ire permittat*. Eod. lib. c. XLIII. & lib. IV. cap. XIX.

PER FORTIAM TVLISSET ] Hoc eſt, per vim abſtuliſſet. Vnde noſtris *par force*, Leg. Ribuarior. tit. XI. 4. *Si quis regio aut eccleſiaſtico homini de quacumque libet re fortiam fecerit, & per vim tulerit, in triplum componat*. Leg. Baiuuarior. tit. I. c. V. *per fortiam hoſtilem aliquid prædare*. In lege Salica tit. XIV. 13. *per virtutem*. Formul. Incert. auct. cap. XXXIII.

TVLISSET ] id eſt, vi abſtuliſſet. Leg. Ribuar. tit. XI. Leg. Sal. tit. XIV. vetuſtis Francis *tollir*: & inde *male tolte* pro tributo. Sic infrà *tultis fideiuſſoribus*, pro ablatis & acceptis.

TVLTIS FIDEIVSSORIBVS ] Acceptis. Gloſſæ noſtræ ademtis, tultis.

CAP. XXIX. ILLE REX VIR INLVSTER ] In antiquis Regum noſtrorum præceptis & conſtitutionibus nil frequentius, vt *Childebertus vir inluſter* in Decreto poſt Legem Salicam, Chlotarius, Dagobertus, Pipinus, Carolus, & alij in tabulario S. Dionyſij, & cæterorum cœnobiorum archiuis. Sic Ennodius Ticinenſis lib. IV. epiſt. X. ad Traſimundum Vandalorum Regem ſcribens, *Viro inluſtri* epiſtolam inſcribit, vt ibi doctiſſ. Sirmondus notat. Hoc enim titulo nullus maior in Romano imperio. Tanta enim erat apud exteras gentes illius imperij admiratio, vt cæteri Reges eius dignitatibus & honoribus inſigniri cuperent & honeſtari: vt de Patricij & Cos. nomine & inſignibus, quæ Chlodoueus R. ab Anaſtaſio Imp. recepit, Gregor. Turonenſ. lib. II. cap. XXXVIII.

ADSALLISSETIS ET GRAVITER LIVORASSETIS ] Adſallire heic eſt adoriri, appetere, impetum facere, aggredi: vnde noſtris *aſſaillir*. Liuorare eſt vulnerare, & contundere, liuoréſque efficere. Leg. Salicæ tit. XLIV. *Si quis collecto contubernio hominem ingenuum in domo ſua adſallierit*. Formular. Romanar. cap. XXX. *Ipſum adſalliuit, vel ei inſidiauit, & res ſuas ei contradixit, atque violenter ſuper*

*ipſum euaginato gladio venit : vnde liuores & capulatura , atque colaphi manifeſti apparent.* & cap. XXXI. *Me malo ordine aſſalliuit, vel liorauit.*

RAVPA SVA IN SOLIDOS TANTOS] pro *rauba*, id eſt, veſte Leg. Alaman. tit. XLIX. *quicquid ſuper eum rauba vel arma tulit, omnia ſicut furtiua componat,* quod poſtea per veſtimenta explicatur, *De fœmina, ſi ita contigerit dupliciter componat, veſtimenta autem quæ ſuper eam tulit, velut furtiua componat.* Var. Formul. cap. VIII. Raubæ autem vt & veſtis appellatio latè pro omni ſupellectile & veſtimentis accipitur, inde *deſrober.*

COMMVTATIO CVM REGE] Hoc capite multa reperias, quæ inſcriptioni non conueniunt. Eſt enim eiuſmodi, *ille Rex, illi Regi:* ſed poſtea inter Regem & illuſtrem virum aliquid conuentum fuiſſe narratur: tum mentio fit eius quod Rex in animæ remedium dederit: quæ verba ad Eccleſiam, aut monaſterium pertinere dubium non eſt. Tantùm dicam eo animo ſcriptam fuiſſe videri, vt pluribus commutationis negotiis inſeruiret: vt planum ſit clauſulam aliquam aut quædam verba deeſſe. Commutationum autem plures infrà formulæ extant lib. II. cap. XXIII. & XXIV. Incert. Auct. cap. XVII. Leg. Rom. c. XXVI. Vatiar. c. XIV. CAP. XXX.

LOCELLVM] Eodem exemplo infrà lib. II. c. I. facultaticula. Synodi Agathenſis c. VII. *caſella, mancipiola.* Synodi Aurelianenſis IV. c. XIX. *terrula, vineolæ.*

CVM COLONICIS ILLIS] Leg. Burgund. tit. XXXVIII. 7. Colonica eſt villa ſeu villula, cùm modo agri quantum colonus vnus colere poteſt, nec admodum à manſo diſtat, adeò vt manſus & colonica aliquando promiſcuè dicantur. Synodi Valentinæ ſub Lothario Imp. cap. IX. *Sæculares & fideles laici, ſi condere voluerint baſilicas in prædiis ſuis, ſicut edictum piiſſimorum Auguſtorum continet, vnam Colonicam veſtitam cum tribus mancipiis donationis* (al. dotis) *gratia eis conferant.* Edictum illud extat Capitul. lib. I. c. XCI. & in vita Ludeuuici Pij, & Aimoin. continuat. lib. V. c. X. Synodi Meldenſis c. LXIII. vbi tamen *vnus manſus integer* vbique dicitur, quem *Colonicam vnam* hæc ſynodus vocat. Quod ipſum ibidem & in cæteris Conciliis & Capitulis *dos Eccleſiæ* dicitur. Synodi Colonienſis c. IV. c. I. De cenſib. Burchardus lib. III. c. LII. Itaque manſus & colonica non ſemper certam quantitatem, ſed modò maiorem, modò minorem agri modum continebant, quemadmodum hodie videmus in illis poſſeſſionibus quas *fermes* & *meſtairies* dicimus. Aliquando etiam ſub manſo colonicam comprehenſam reperi. Chron. S. Benigni circa an. MVII. *Fœmina quædam nobilis Aremburgis dicta, mater Letbaldi Matiſconenſis Epiſcopi, cum eodem filio ſuo dedit ſancto Benigno in villa Lu vocata ſeptem manſa, cum ſylua ibi adiacente, & ſeruis qui de prædictis manſis ſeptem colonicas tenebant.* In ſumma, plerumque Colonica, Manſus, Villa, & in Germa-

Digitized by Google

nicis ſcriptis diplomatibus & inſtrumentis Hoba & Hobunna pro eodem accipi debent. Tradition. Fuldenſ. lib. II. *duas Hobas ſeruiles*, item *vnam Hobam cum omnibus ad eam pertinentibus*, eod. lib. *trado ſeruum vnum cum ſua Hoba.* Gregor. Turonenſ. de miracul. lib. II. cap. XV. Colonia quoque pro Colonica vſurpatur: Flodoard. Hiſt. Rhem. lib. IX. cap. XIX. de Ebone præſule, *Colonias nonnullas Eccleſiæ, deſcriptis per ſtrenuos viros colonis, eorúmque ſeruitiis ordinauit.* Hincmar. De Villa Nouiliaco, *quaſi de fiſco Regis quaſdam colonias de ipſa villa obtinuit in proprietatem.* Carolus Caluus an. regni XVIII. Indict. VI. (apud Cochlæum in Hiſtor. Niuernenſ.) *dedit Eccleſiæ Maniacenſi manſos* XV. *& colonias* VI. In Tradit. Fuldenſib. lib. I. Vuilibaldus Epiſcopus cœnobio Fuldenſi, *in ſupradicto loco nouem trado colonias (hoc ſunt Hobunnæ) integras cum omnibus adiacentiis & finibus ſuis, in arialis, in terris arduriis, in ſyluis, in campis, in pratis, in paſcuis, aquis, aquarumve decurſibus, ædificiis, molinariis, mancipiis cum omni ſupellectili eorum*, Sic in l. XXIV. locati. l. XII. §. quæritur. l. XX. §. prædia. De intr. vel inſtrum. leg. l. XXVII. §. 2. Ad municipal. Columell. lib. XI. cap. I. *Neque enim coloniæ ſuæ terminos egredi debet.* Inde lex Colonica Varroni R. R. cap. 2. lib. I. ex quibus etiam liquet, quid coloniæ, ſeu colonicæ nomine veteres intellexerint.

NOS PRO ANIMÆ NOSTRÆ REMEDIO IBI DEDIMVS] Satis apertè declarant hæc verba, ad commutationem cum eccleſia aut monaſterio factam hanc clauſulam pertinere. Porro commutationes de rebus eccleſiaſticis, vt & cæteræ omnes alienationes, ſynodis & conſtitutionibus prohibitas fuiſſe conſtat. Synodi Meldenſis c. XXIII. Synodi Valentinæ ſub Lothario Imp. cap. XXI. Benedictus Leuita Capitul. lib. V. c. XLVII. Burchardus Decret. lib. III. c. CLXIV. & ſeqq. Tamen ſpecialiter Principi in Synodo Siluanectenſi conceſſum eſt vt commutationes cum eccleſia facere poſſit. *Si Princeps voluerit rem immobilem ſanctis locis præſtare, & accipere ab eis aliam immobilem rem, & eo modo permutationem contrahere, liceat hoc facere ei diuina pragmatica ſanctione ab eo promulgata.* Quæ verba Iuliani anteceſſoris ſunt Nouellarum interpretis cap. XXXIII. ex Nouel. VII. Aliis verò abſque Regis licentia non licebat: Burchardus lib. III. c. CLXXII. *Ne commutationes rerum vel mancipiorum eccleſiaſticorum qualibet perſona ſine licentia & conſenſu regio præſumat facere.* Ideóque Flodoardus Hiſt. Rhemenſ. lib. II. c. XIX. Ebonem antiſtitem *imperialia ſuper eiſdem commutationibus præcepta* obtinuiſſe refert. Et Tradition. Fuldenſ. lib. II. *Conuentione inter ſe de concambio facta rogatu antedicti Comitis, cum ſcientia & licentia glorioſi Francorum Regis Ludouici, &c.*

CAP. XXXII. SI ALIQVIS CONTRA REGIS VOLVNTATEM EGERIT] Hac formula Princeps ſecuritatem tribuit ei qui iuſſu eius aliquem ſibi aduerſarium aut infidelem occidit, vel expulit, réſque illius in

fiſcum

fiſcum redegit, quem ab omni iniuria tutum & innoxium eſſe iubet, vetátque ne propinquis & amicis illius eo nomine aut armis, aut iudicio eum perſequi liceat. Extat de ea re caput legis Baiuuar. tit. II. cap. VIII. *Si quis hominem per iuſſionem Regis vel Ducis ſui, qui illam prouinciam in poteſtate habet, occiderit, non requiratur ei, nec faidoſus ſit, quia iuſſio domini ſui fuit, & non potuit contradicere iuſſionem, ſed Dux defendat eum & filios eius.* Idipſum ſtatuitur Capitul. lib. v. c. CCXV. *Si quis iuſſione Regis vel Ducis illius, qui ipſam prouinciam regit, hominem occiderit, non requiratur ei: nec propterea faidoſus ſit, quia lex & iuſſio dominica occidit eum, & non potuit contradicere. Princeps verò & ſucceſſores eius defendant eum, & totam progeniem eius, ne ob hoc pereat, aut malum patiatur. Quòd ſi propterea ipſe, aut eius progenies aliquid mali paſſi fuerint, aut occiſi, dupliciter componantur.*

CVM RELIQVIS PARIBVS SVIS ] Pares ſunt ſocij & æquales. Sic ſuprà cap. XII. *qui pari ſuo ex ipſis in hoc ſæculo ſuperſtes extiterit.* Leg. Ribuar. tit. LI. *qui parem ſuum ſuperuixerit.* Leg. Alaman. tit. XLV. *Si qua rixa orta fuerit, &c. illi pares ſequuntur eum vſque in domum ſuam cum armis.* Capitul. lib. III. cap. LXXI. *Quicumque &c. parem ſuum contra hoſtes communes in exercitu pergentem dimiſerit, & cum eo ſtare noluerit, honorem ſuum & beneficium perdat,* & cap. LXXII. Capitula Caroli Calui ad Aquitanos, an. DCCCLVI. *Si talis eſt cauſa, vt illum inde familiariter non debeat admonere, ante ſuos pares illum in rectam rationem mittat & ille iuſtum iudicium iuſtitiæ ſuſtineat:* Quod *iudicium ſociorum* Burchardus in lege Familiæ vocat. *Si quis* (inquit) *ex aliquo commiſſo in manus Epiſcopi cum iudicio ſociorum ſuorum peruenerit, ipſe cum omnibus poſſeſſionibus ſuis eo diiudicetur.* Sic in libris Feudorum paſſim *pares curiæ* ſeu *curtis* dicuntur, qui ab eodem domino feuda tenent, quaſi pares inter ſe. Friderici Imp. conſtitutio apud Radeuicum lib. IV. c. VII. *Si inter dominum & vaſallum lis oriatur, per pares curiæ à domino ſub debito fidelitatis coniuratos terminetur.*

FACIENTEM REVELLO ] Ita MS. Legendum verò *rebellem,* vel *rebellionem.* Sed nihil mutandum, nam more ſæculi loquitur de eo qui Principi rebellis & infidelis exiſtit.

PRO TALI REVELLO IN VITA ORDINAVERAMVS EVM INSEQVI ] Leg. Ribuar. tit. LXXI. *Si quis homo Regi infidelis extiterit, de vita componat, & omnes res eius fiſco cenſeantur.* Annales Fuldenſes ad ann. DCCCLXI. *Ludouicus Ernuſtum ſummatem inter omnes optimates ſuos quaſi infidelitatis reum publicis priuauit honoribus.*

CALVMNIAM ] Id eſt actionem: plura ad Formulas Legis Romanæ cap. v.

PRÆCEPTVM QVORVM AB HOSTIBVS VEL ALIO MODO FVERINT INSTRVMENTA INCENSA ] Certi iuris eſt inſtrumentis igne, vel naufragio conſumptis, hoſtium incurſu vel alio CAP. XXXIII.

caſu perditis, nullum ex ea re domino præiudicium fieri, modò tamen de eius dominio, debito aut alio iure ſufficiens ſit alia probatio. L. Sicut, cum ſeqq. Cod. De fide inſtrument. Adeò vt quibus caſibus per teſtes probatio iure non admitteretur, tamen inſtrumenti amiſſio, & eius tenor per teſtes probari poſſit. L. Teſtium facilitatem in fi. C. De teſtib. Quoties autem caſus aliquis eiuſmodi contigit, ne poſtea difficili probatione ius domini deterius conſtituatur, receptum fuit litteras à Principe impetrare, quibus cauſâ cognitâ, & re probatâ ex relatione incolarum, cauetur ne amiſſio ei noceat, ſed res quas poſſidet, ſecurè in poſterum ſicut antea ſemper poſſideat. Sicque eiuſmodi litteræ ſunt ei omnium inſtrumentorum inſtar. Itaque etiam his litteris ſingillatim res ſingulas & poſſeſſiones omnes recenſere moris erat. Appellantur à Flodoardo *præcepta de chartis combuſtis* Hiſt. Rhemenſ. lib. II. cap. XVII. de Tilpino Epiſcopo, qui à Carlomanno R. plura priuilegia obtinuit. *Item de chartis concrematis, quarum tunc temporis per negligentiam acciderat exuſtio, vt res & facultates Eccleſiæ, quas eo tempore poſſidebat, ita permanerent abſque diminutione confirmatæ ipſi Eccleſiæ per regiam eius auctoritatem.* Extant & aliæ eiuſdem rei formulæ inter Formul. incer. auct. cap. XLVI. vbi id ex Romanis moribus deſcendere dicitur, & Formul. Leg. Roman. cap. XXVII. & XXVIII. A Comite quoque impetrari ſolitas probat formula XLVI. Incert. auct. Eódem ferè pertinent litteræ, quas hodie *lettres en forme de terrier* appellamus.

REGIO MVNERE] Vide quæ ſuprà ad c. III. notata ſunt.

ALODE] ſuprà cap. XII. vbi nos plura.

RELATIONEM BONORVM HOMINVM] Vt amiſſio inſtrumentorum probaretur, & præterea vt illi adſererent quid his chartis comprehenſum eſſet, & quæ bona ille rum poſſideret. Eius formula ſeq. cap. exhibetur.

CAP. XXXV. ILLE REX ILLI PATRITIO] Patritios olim dictos qui maiorum gentium ſenatores eſſent, nemo neſcit. Patritiatus demum dignitas ſub Imperatoribus ſumma, & omnium honorum apex, quos quaſi patres Principis Iuſtinianus ipſe agnoſcit. §. Filiusfamilias Inſtitut. Quib. mod. ius pat. poteſtat. ſolu. l. vlt. De Conſulib. lib. XII. Cod. & Nouel. LXXXI. Hanc dignitatem Conſtantinus Imp. primus inſtituit, vt author eſt Zozimus lib. II. συναναιρεθῆναι τούτῳ καὶ Ὀπτάτον παρεσκεύασεν, ὃς παρὰ Κωνσταντίνου τῆς ἀξίας τετύχηκε τοῦ πατρικίου, πρώτου ταύτην ἐπινοήσαντος τὴν τιμὴν, καὶ προκαθῆσθαι τοὺς ταύτης ἠξιωμένους τῶν τῆς αὐλῆς ἐπάρχων νομοθετήσαντος. Formula patritiatus extat apud Caſſiodor. lib. VI. cap. II. quem vni tantùm cedere fulgori ait, conſulatui ſcilicet, ſolámque cæterarum dignitatum ſucceſſoris ambitionem non timere. Quam tamen dignitatum maximam nihil iuriſdictionis habuiſſe ibidem teſtatur. Patritios quidem legationes obiiſſe, exercitibus præfectos, ſummam rerum aliquando tenuiſſe legimus.

Quo exemplo fuerunt ſub primis Francorum Regibus etiam Patritij ſummæ dignitatis. Itaque Galliarum Patritios memorat Synodus Arauſicana, à Cæſario Arelatenſi contra Fauſtum Rhegienſem habita: vt & Gregorij Magni PP. regiſtrum, vbi Arigium & Aſclipiodotum, & alios ſub Francorum Regibus eo munere functos videre eſt. Ex Gregorio Turon. multis locis liquet ſub Guntchranno R. Patricios fuiſſe, qui Rhodano finitimas prouincias regerent, & exercitus ducerent, eámque dignitatem *patriciatus honorem* & *patriciatus culmen* vocat: qua donatos fuiſſe Agrœculam, Celſum, Pericium, & Mummolum refert lib. IV. c. XXIV. & XLII. Quod etiam ex Appendice Fredegarij apparet, vbi Vltra-Iuranis Patricios datos Ægilanem, Quolenum, Protadium, Vulfum, Richomerem, Vuillibaldum, illóſque exercitibus præfectos fuiſſe tradit. Inter Duces certè numerari clarè eiuſdem Appendicis Auctor innuit cap. LXXVIII. *Dagobertus de vniuerſo regno Burgundiæ exercitum promouere iubet, ſtatuens eis caput exercitus nomine Chadoinum referendarium &c. qui cum decem Ducibus cum exercitibus, id eſt Amalgario, Aremberto, Leudeberto, &c. Vuilibaldo Patricio ex genere Burgundionum, exceptis Comitibus plurimis qui Ducem ſuper ſe non habebant, in Vuaſconia cum exercitu perrexiſſet, &c.* & c. xc. Vuillibaldum *ex patriciatus ſui termino* plurimam ſecum adduxiſſe multitudinem pontificum & nobilium. Ex quibus manifeſtum eſt Patritiis exercitus regendos, prouincias adminiſtrandas datas fuiſſe, leg. Ribuar. tit. LII. *Si quis teſtes ad mallum ante Centenarium vel Comitem, ſeu ante Ducem, Patritium, vel Regem* &c. in ſumma cum Ducibus eodem munere functos. Ideóque Marculfus ſuprà cap. VIII. eadem formula Duces Comites & Patricios à Principe inſtitui docet. Sic & Carolum M. Patricium fuiſſe Romanorum, iiſque hoc nomine imperaſſe, infinita diplomata & hiſtorici teſtantur. Patriciorum quoque dignitatem ab Anglis vſurpatam reperio apud Alcuinum ep. II. quæ ad Æthelredum Regem & Oſbaldum Patricium ſcripta eſt: cuius etiam Patricij meminit Rogerius Houedenus Annal. par. I. ſub ann. DCCXCVI.

ADTRACTVM] Id eſt acquiſitum & comparatum. Paſſim his Formulis & in veteribus inſtrumentis.

SVB NOSTRO SERMONE] Hoc eſt ſub noſtra defenſione, tuitione & mundeburde. Suprà cap. XXIV. Leg. Salicæ tit. LIX. *Tunc Rex ad quem mannitus eſt extra ſermonem ſuum ponet eum.*

VT CAVSAS AVCTORVM ADSVMENDI SVORVM ALIQVIS LICENTIAM HABEAT] Vt quis iure auctoris ſui vti poſſit, ius commune id præſtare videtur, adeò quidem vt ius ſuperueniens auctori meo, ius quoque meum confirmet L. Si à Titio. De Rei vindicat. Tamen id confirmandi, & tollendæ dubitationis cauſa, litteras quoque Principis impetratas fuiſſe docet hæc formula: quibus à Prin- CAP. XXXVI. **Dubium mihi adhuc remanet.**

cipe Epiſcopo vel Abbati conceditur, ſiue etiam alteri, qui res ab aliis emerant, quorum auctores ſine heredibus deceſſerant, vt auctorum ſuorum defenſionibus vti, imò & eaſdem inſtituere actiones & exercere poſſent.

PER QVODLIBET INGENIVM] Id eſt quacumque occaſione, aut artificio. Gregor. Turonenſ. lib. VI. cap. XXII. *Proclamante Epiſcopo & dicente, quod ſæpius hic ingenia quæreret qualiter eum ab Epiſcopatu deiiceret.* Capitul. lib. II. cap. XXXI. *aliorum ſuaſionibus aut petitionibus, vel aliquo ingenio.* Sic & *malum ingenium* in Leg. Sal. tit. XXXVI. 4. & Capitul. lib. II. c. XXXII. *Nullus omnino ſub mala occaſione, vel malo ingenio res pauperum, vel minùs potentum nec emere, nec vi tollere audeat:* olim apud nos *par mal engin.*

HOMALLANDI] Siue obmallandi, id eſt, agendi, iudicio experiundi, & alterum in ius vocandi, vt dictum eſt cap. XXXVI.

SVPER ANNIS CONTRA QVEMCVMQVE SANCIENDI] Hæc videntur eſſe corrupta. Verùm commodè referri poſſunt ad continuationem poſſeſſionis, hoc eſt vt tempora poſſeſſionis auctorum cum eorum poſſeſſione continuentur & coniungantur: quod etiam ad vſucapionem Iuſtinianus extendit. §. Diutina, Inſtit. De Vſucapion. l. 1. Cod. De vſucapione transform.

CAP. XXXVII. IVDICIVM EVINDITALE] Hoc eſt declaratorium, quo Rex notum & euidens facit quendam in palatio die dicta iudicio ſtetiſſe, aduerſarium verò vadimonium deſeruiſſe. Ideóque Comiti mandat, vt contra abſentem qui per triduum expectatus non venit ſententiam proferat ſecundùm conſuetudinem loci, eundémque ad parendum compellat. Eiuſdem argumenti formulæ extant in Formul. Incerti Auctor. cap. XXXVIII. & Formul. Leg. Rom. cap. XXXIII. quæ proximè huic capiti accedunt. Quibus iungi debet notitia de iactiuis cap. XXII. Incert. Auct.

ADSALLISSET] Adſallire, aggredi, impetere, adoriri, qua de re ſuprà, vt & de Liuorandi quod ſequitur vocabulo.

RAVPA SVA] Id eſt, veſtem, ſeu in vniuerſum aliam ſupellectilem. Formula cautionis de infracturis, quæ vltima inter Varias eſt, *& exinde annonam vel aliam raupam in ſolidos tantos furaui.* Sed de his ſuprà.

IN SOLIDOS TANTOS] Id eſt, quæ tot ſolidis æſtimabatur.

CAVSANTES] Aliàs *placitantes*, nobis *plaidans.* Formul. Leg. Rom. c. XXXIII. *rationantes.*

A QVO PLACITO VENIENS] Mallem *ad quod placitum.* Placitum verò generaliter pro die dicta vſurpabant, in qua quid agendum gerendumve eſſet, quòd ſcilicet ſic inter partes pactum conuentum fuiſſet. Sic conuentus regios in quibus de ſumma regni tractabatur placita dixerunt, quæ poſt *parlamenta* dicta. Greg. Turon. lib. VII. c. XIII.

& xiv. & aliàs paſſim. Sic & *placitum legatis dare* ait Greg. Turon. lib. vi. c. xxxiv. pro legatos audire & abſoluere. Vnde placitum pro iudicio ſumptum, Synodi Turonenſis iii. cap. xxxv. *pro quolibet placito vel iudicio à qualibet perſona munera exigere.* Synodi Arelatenſis ſub Carolo M. cap. xvi. *Ne in dominicis diebus publica mercata, neque cauſationes diſceptationéſque exerceantur.* Synodi Turon. iii. c. xxxix. *placita ſecularia.* Sic *placitum Comitis*, & *placitum Centenarij* in Capitul. lib. iii. noſtris *plaids*. Gregor. Turon. lib. vii. cap. xxiii. *Placitum in regis Childeberti præſentia poſuerunt.*

Per triduvm sev amplivs vt lex habvit placitvm svvm cvstodisset ] Sic c. xxxviii. Formul. Incerti Auctor. & Leg. Roman. cap. xxxiii. ex quo diſcimus non vno tantùm die, ſed triduo aduerſarium expectari debuiſſe. Gregor. Turon. lib. vii. cap. xxiii. *Iniurioſus ad placitum in conſpectu Regis Childeberti aduenit, & per triduum vſque occaſum ſolis obſeruauit. Sed cùm hi non veniſſent, neque de cauſa hac ab vllo interpellatus fuiſſet, ad propria rediit.* Iunge Leg. Sal. tit. lix.

Abiectvs sit ] Hoc eſt vadimonium deſeruerit, & defecerit, à deiecti & deiiciendi vocabulo. Formul. Incert. Auct. cap. xxii. *Placitum ſuum exinde neglexit, & iactiuus inde remanſit.* Cautio de infracturis Variar. cap. vlt. *& ſi exinde negligens & iactiuus apparuero.* Leg. Salicæ tit. lii. 3. *quem legitimè habeo adiactiuum vel admallatum ſecundùm legem Salicam.* quo loci videndus Fr. Pithœus.

Solsatissit ] Id eſt ſolem ei occaſum fuiſſe, ante ſolis occaſum iudicio non ſtitiſſe. Nam poſt ſolem occaſum nemo ſe iudicio ſiſtere poterat. Gregor. Turon. lib. vii. cap. xxiii. *per triduum vſque occaſum ſolis expectauit.* Sic Leg. Salicæ tit. lii. *ſolem collocare* & *per ſingulas admonitiones vel ſolem culcatum terni ſolidi accreſcant.* Sic olim apud Romanos in legibus Duodecim Tabularum *ſolis occaſu diei ſuprema tempeſtas eſto*, apud Varronem lib. vi. De lingua Latina. Hunc verò morem ſolis occaſum opperiundi apud Francos multis ſæculis duraſſe, probant veteres noui formulæ, quas doctiſſ. Io. Sauaro edidit, in quibus ante ſolis occaſum aduerſarium vincere neceſſe erat, aut id nominatim excipiendo ſibi cauere. De ciuilibus quoque negotiis illud ipſum Philippus de Beaumanoir teſtatur, qui ſub Philippo III. R. Claromontenſis Comitatus in Bellouacis Leges patria lingua ſcripſit, cuius verba ſunt hæc cap. ii. ex codice optimi doctiſſimique viri Ant. Oiſelli: *Se li aiornemens eſt fais à releuée ou as veſpres, l'euure de la preſentation dure iuſques à Soleil eſconſant, & qui de Soleil luiſant ſe preſente il ne puet eſtre en defaute du iour.*

Nvlla sonnia nvntiasset ] Sonnia eſt impedimentum, excuſatio: Sunnis in Leg. Sal. tit. i. Leg. Ribuar. tit. xxxiv. Capitul. lib. iii. cap. xlv. Eſſonia in Formul. Leg. Rom. cap. xxxiii. nobis

*Exoine*, de quibus integro capite agit Philippus de Beaumanoir quem modò laudaui, cap. III. *Des Eſſoines & contremans*. Veteribus quibuſdam monimentis *ſoine*. Non placet hanc vocem deducere ex alia barbarica voce *Exidoniare*, vt quidam ſcripſere: Nam hæc duo vocabula toto cælo inter ſe diſtant, qua de re aliàs. Mallem à morbo ſuntico, ſunnis originem petere.

COMES PALATII NOSTRI TESTIMONIAVIT ] Sic infrà capite proximo: & in iudicio Chlotarij R. quod ſuprà exſcripſimus: quæ verba Comitem Palatij cum proceribus vice Regia cognouiſſe manifeſtè oſtendunt: nomine tamen regio iudicia inſcripta erant, quod & hodie in Senatuſconſultis fieri ſolet.

COMPONERE ET SATISFACERE NON RECVSET ] Itaque hoc iure qui defecerat & vadimonium deſeruerat, cauſâ cadebat. Quod etiam Lege duodecim Tabularum cautum fuit, *præſenti litem addicito*, apud Gellium lib. XVII. cap. II. verùm poſtea id mutatum. Vlpianus in l. Et poſt edictum LXXII. De iudiciis: *Pronuntiabitur non vbique ſecundum præſentem, ſed interdum vel abſens ſi bonam cauſam habuerit, vincet*. Franci tamen perpetuò obſeruarunt vt abſens cauſâ caderet, niſi iuſtam abſentiæ cauſam nuntiaſſet. Conſuetudines Regulæ à Ricardo Abbate Floriacenſi conſtitutæ conſilio Vicecomitum & Baronum terræ, anno DCCCCLXXVII. *Ille qui die aſſignata vſque ad horam ſeptimam coram priore non comparuerit, tanquam conuictus iudicabitur*. Illud quoque paſſim occurrit in veteribus ampliſſimi Senatus Pariſienſis monimentis. Donec conſtitutione Franciſci I. R. ſtatutum eſt, vt abſente reo actor tamen neceſſe habeat legitimè probare iuſtam actionis cauſam. Quod antea à iudicibus Eccleſiæ, qui lege Romana vtebantur, obſeruatum: Eleutherius PP. apud Gratianum in can. Caueant iudices III. quæſt. I.

CAP. XXXVIII. CHARTA PARICLA ] *Paricla* pro *paricula* ſcriptum eſt. Eſt autem iudicium Comitis Palatij, quo ſtatuit vt quidam qui fugitiuum ſeruum recepiſſe accuſabatur, certa die iuraret cum ſex aliis, ſe non feciſſe, & ita crimen obiectum purgaret. Et quia neutra pars victa dici poterat, iubentur ambo eius iudicij ſimilia exempla accipere: ideo *paricula* dicitur *charta*, quòd eiuſdem exempli duæ litigantibus dandæ eſſent. Sic Variar. Formul. cap. XIV. *Vnde duas epiſtolas pariculas, vno tenore conſcriptas, manu eorum vel bonorum hominum firmatas, inter ſe fieri & firmare rogauerunt*.

ITEMQVE HOMINEM ] Videtur aliquid deeſſe, deſignatio videlicet quorundam qui eodem crimine accuſabantur, quod dictio *item* demonſtrat: deinde quinque denominatos eſſe dicit, quorum vnus iurare iubetur.

FORTITER VISVS EST DENEGASSE ] Gregor. Turon. lib. VII. c. XXIII. *Poſt hæc in iudicium venit: ſed cùm fortiter, vt diximus, denega-*

Digitized by Google

*ret, & hi non haberent qualiter eum conuincere poſſent, iudicatum eſt vt ſe inſontem redderet ſacramento.*

DE QVINQVE DENOMINATIS] Ex quinque reis vnus purgari iubetur ſacramento, ex quo etiam patet initio capitis quædam deeſſe.

SVA MANV SEPTIMA] Porrectis namque manibus iurabant, tactiſque ſacroſanctis euangeliis, aut altari, aut etiam, quod frequentiſſimum erat, Sanctorum reliquiis. Solebant enim non in ciuilibus tantùm & leuioribus cauſis, ſed & in criminalibus cùm nulla probatio ſuppeteret, iuſiurandum decernere vt reus crimen purgatet. Leg. Baiuuar. cap. XII. tit. XV. 2. *Iudex cauſam ſuam bene cognoſcat, & priùs vel tacitus inquirat: vt eum veritas latere non poſſit, nec facilè ad ſacramenta veniatur.* Paulò pòſt, *Nulli liceat periurare, ſed ſicut iudicatum eſt cogatur exſolui. In his verò cauſis ſacramenta præſtentur, in quibus nullam probationem diſcuſſio iudicantis inuenerit.* Gregor. Turonenſ. lib. VII. c. XXIII. Formul. Incert. Auctor. cap. II. III. V. In legib. Friſionum, *non iuret, ſed componat ac ſi ipſe eum occidiſſet.* Leg. Angl. tit. IX. *ſi negat cum vndecim iuret, aut campo decernat.* Denique nil frequentius in his legibus. Vvillelmi Normanni Angliæ R. leges apud Houedenum, *Si Anglicus appellauerit Francigenam, & eum approbare voluerit iudicio aut duello, volo tamen Francigenam purgari ſacramento, non ferro.* Verùm non vni tantùm reo deferebatur iuſiurandum, ſed & alios tres, quinque, duodecim, aut ampliùs, prout iudicatum fuerat, neceſſe habebat adducere, qui ſcilicet idem quod ipſe iurarent; qui *iuratores & coniuratores* in Lege Salica dicuntur, tit. L. LV. LXI. Capitul. lib. III. c. IX. vt *ſacramentales & conſacramentales*, paſſim his legibus. Auctor Vitæ S. Eligij Nouiomenſis lib. II. c. LI. apud Surium, *Lata ſententia eſt vt vir ille cum multis aliis iuraret, ſic enim apud Francos in more poſitum eſt: verùm Abas omnibus aliis remiſit iuramentum, ne alterius flagitio implicarentur. Solus ille agri vſurpator procerum ſententia iurare iuſſus eſt.* Leg. Baiuuar. cap. XII. tit. II. 3. *Cum duodecim ſacramentalibus iuret de lite ſua, vel duo campiones propter hoc pugnent.* Greg. Turon. lib. VIII. c. IX. *Fredegundis Regina, coniunctis prioribus regni ſui, id eſt tribus Epiſcopis, & trecentis viris optimis, ſacramenta dederunt hunc à Chilperico Rege generatum fuiſſe: & ſic ſuſpicio ab animis Regis ablata eſt.* Idem lib. VIII. c. XL. de Pelagio quodam qui res S. Martini abſtulerat, *ille electis duodecim viris vt hoc ſcelus peieraret aduenit.* Capitul. lib. I. cap. LXIII. lib. III. c. IX. & X. lib. V. c. CCI. & CCX. Theganus Treuirenſis Chorepiſcopus De geſtis Ludeuuici c. XXIX. de Paſchalis PP. purgatione: inde frequentiſſimè *manu quinta, manu ſexta, ſeptima, duodecima,* in veteribus legibus, Capitulis, epiſtolis Romanorum Pontificum, & in libris Feudorum. Quæ demum purgatio canonica dicta eſt, quòd ea tantùm purgationis ſpecies ab Eccleſia probaretur: cæteris duelli,

ferri candentis, crucis, aquæ calidæ, panis hordeacei damnatis. Ea de re tituli ſunt lib. v. Decretalium De purgatione canonica, & De purgatione vulgari. Iuriſiurandi forma refertur Leg. Alaman. tit. vi. ſolum videlicet reum conceptis verbis iurare, cæteros verò iuratores hoc tantum, credere illum vera iuraſſe. Innocentius III. PP. in cap. De teſtibus. De purgatione canonica, *Illi qui ad purgandam alicuius infamiam inducuntur, id ſolùm tenentur iuramento firmare, quòd veritatem credunt eum dicere qui purgatur.* Ex conſuetudine tamen iurandi periuria adeò inualuerant, vt iuriſiurandi probatio à pleriſque reprobaretur, & Burchardus Vuormatienſis Epiſcopus in Lege Familiæ duellum eius loco ſuffecerit. Vide Ottonis conſtitutionem in legib. Longob. lib. ii. tit. lv.

Svper capellam domni Martini vbi reliqva sacramenta percvrrvnt ] Hoc eſt ſuper reliquias S. Martini, quæ in Palatio aſſeruabantur, quibus etiam tactis Palatinæ cauſæ iureiurando finiebantur. Solenne fuit iuſiurandum publicè in Eccleſiis, aut martyrum tumulis & altaribus præſtare, aut etiam extra Eccleſiam admotis Sanctorum reliquiis. Gregor. Turon. lib. iv. cap. xlvi. *Requirit hominem alium Vrſum nomine, quem ad altare clam adductum, iurare fecit, ac dicere: Per hunc locum ſanctum & reliquias martyrum beatorum, &c.* lib. v. cap. xxxii. *Si, inquiunt, eſt innoxia, ſuper tumulum hoc beati Dionyſij martyris ſacramentis adfirma. Faciam, inquit pater. Tunc inito placito ad Baſilicam martyris ſancti conueniunt, eleuatiſque pater manibus ſuper altarium, iurauit filiam non eſſe culpabilem.* Lib. viii. c. xvi. de impij cuiuſdam voce, qui peierare conſueuerat, *Ibo ad baſilicam beati Martini, & ſacramento me exuens innocens reddar.* Idem de Miraculis lib. i. c. xxxiii. *Quidam tempore Felicis (Biturigum) Epiſcopi, vicinos ſuos quodam pro crimine impetebat: quos cùm plerumque verbis procacibus laceſſeret, ac iudicio publicè prouocaret, decretum eſt ſententia primorum vrbis, vt ſe ab hac noxa qui impetebantur, ſacramento purgarent, ingreſſique in eius memoratæ ædis altare, cum eleuatis manibus ſacramenta proferrent, &c.* Idem de Miracul. lib. i. cap. xx. xxxix. liii. lib. ii. cap. xix, xxxix. Idem de gloria Confeſſ. cap. xciii. xciv. Leg. Alaman. tit. vi. *Sacramenta ſic fieri debent vt illi iuratores manum ſuam ſupra capſam ponant.* Capitul. lib. i. c. lxiii. Synodi Meldenſis c. xxxix. *Tantum hoc malum eſt, vt ad ſanctuaria martyrum, vbi diuerſorum ægritudines ſanantur, ibi periuri, licèt manifeſtè interdum vexari non videantur, iuſto Dei iudicio à dæmonibus arripiantur, ſicut ſanctus dicit Gregorius.*

Svper capellam domni Martini ] Capellam pro capſa dici, in qua martyrum oſſa conderentur, vel hic locus euincit. Nam & ſuper capſam iurare Lex Alaman. tit. vi. dicit. Sic etiam accipitur in Formul. Incert. Auct. cap. iii. Euodius De miraculis S. Stephani lib. i.

*Capella*

*Capella argentea, in qua erat reliquiarum portio.* Reliquias igitur *Sancti* Martini in palatio aſſeruatas innuit hæc formula, vnde capellæ regiæ ſeu ſacello nomen. Sangallenſis lib. I. c. IV. *De pauperibus ſupradictis quendam optimum dictatorem & ſcriptorem in Capellam ſuam aſſumpſit, quo nomine Reges Francorum propter cappam S. Martini, quam ſecum ob ſui tuitionem & hoſtium oppreſſionem iugiter ad bella portabant, ſancta ſua appellare ſolebant.* Hodie verò capellam vocamus quam veteres cellam & ſacellum dixere.

Percvrrvnt] Id eſt, fieri & præſtari ſolent, à conſuetudine quæ impetu & curſu quodam fertur: S. Auguſtinus Conf. lib. I. c. XVI. *Væ tibi flumen moris humani: quis reſiſtet tibi? quandiu non ſiccaberis?*

De hac cavsa dvctvs sedeat] Ductus pro eductus, hoc eſt extra aleam & periculum poſitus: non diſſimiliter de verbo *exire*, quod vſurpabatur de eo qui accuſatione impetitus, abſolutus eſt; vt & hodie *il eſt ſorti d'affaire.* Auguſtin. Sermon. XVIII. in Matthæum in fin. p. 109. tom. 10.

Cvm legis beneficio] Hoc eſt pretio compoſitionis, quæ Lege ſtatuta eſt. Videantur veteres Leges.

Æqvales præceptiones] Eiuſdem exempli, inde in titulo, *charta paricla* ſeu *paricula*, Variar. Formul. c. XIV.

Vt pro nativitate Regis ingenvi relaxentvr] Cap. XXXIX. Regis eſt epiſtola, qua Comitibus & Domeſticis mandat ſibi filium natum. Ideòque iubet vt in vnaquaque fiſcali villa tres ſerui manumittantur, & lætitiæ, & eleemoſynæ cauſâ. Eò pertinet & illud Gregor. Turon. lib. VI. c. XXIII. *Dehinc Chilperico Regi poſt multa funera filiorum, filius naſcitur: ex hoc iubet Rex omnes cuſtodias relaxari, vinctos abſolui, compoſitionéſque negligentum fiſco debitas præcepit omnino non exigi.* Illud præterea in hoc lemmate obſeruandum, filium Regis Regem dici, quod tunc vſitatum fuiſſe ex Greg. Tur. apparet, qui lib. III. cap. XXII. Theodebertum Theoderici R. filium Regem vocat: & lib. IV. c. XIII. *Intendebat & ipſe Rex Chramnus minas*, qui tamen perduellis patre ſuperſtite Chlotario R. interfectus eſt. Sic & filiæ Regum Reginæ dictæ: Gregor. Turon. lib. X. c. XV. de Chrodieldi Pictauenſi moniali, *Nolite ſuper me quæſo vim inferre; quæ ſum Regina filia Regis.* Rigordus in Philippi Auguſti Vita, Regis Luſitaniæ filiam, Flandriæ Comiti nuptam, *Reginam Comitiſſam* vocat. Nec nouo id exemplo. Seruius in Virgilij Eclog III. in fi. *Regum autem nomina dixit, non quoniam ipſi Reges fuerint, ſed quia Regum filij: vt, Magnum Reginæ ſedenim miſeratus amorem, cùm de Ariadne diceret, Paſiphaes Reginæ filia.* Sic & Claudianus Serenam Theodoſij Imp. fratris filiam Stiliconi nuptam, Reginam vocat, in panegyrico Serenæ. Teucer apud Sophoclem in Aiace Loratio, matrem ſuam filiam Laomedontis R. à Telamone captam, Reginam naturâ fuiſſe dicit, ἣ φύσει μὲν ἦν βασίλεια Λαομέδοντος. Sic Polyxena in Euripidis Hecuba



Digitized by Google

ſe reginam vocat Δούλη κεκλῆσθαι, Βασιλὶς οὖσ' αἰσχύνομαι.

Aliorvm domesticorvm svnt actionibvs] Actionibus, id eſt, officiis & miniſteriis, qua de re latiùs ſuprà cap. xi. de Domeſticis verò ad c. vlt. lib. ii. dicetur.

Cap. xl. Per vestras epistolas] Formula epiſtolæ manumiſſionis, quæ iuſſu Regis à Domeſtico celebratur, extat cap. vlt. lib. ii.

Vt levde samio promittantvr regi] Hoc eſt vt fidelitatis ſacramentum Regis filio promittatur, quem Rex in parte regni ſui Regem conſtituit, in Auſtria aut Neuſtria fortaſſe, quod crebrò ſub prima Regum Francorum familia factitatum. Corrupti verò quid eſſe in hoc titulo ſuſpicor, aut certè pleniùs inquirendum cenſeo. Nam quid *ſamio* ſibi velit, nondum reperi. Fortaſſe ſcriptum erat: *Vt leudis ſacramentum promittatur Regi:* ſacramenti vocabulo breuiatim ſcripto nec poſtea intellecto.

Tam Francos Romanos vel reliqvas nationes] Omnes quippe illi permixti habitabant. Sic ſuprà c. viii. *Omnes populi ibidem commanentes, tam Franci, Romani, Burgundiones vel reliquæ nationes.* Romani autem veteres incolæ appellabantur: omnes namque prouinciales Romani imperij, ciues Romani erant poſt conſtitutionem Antonini, L. In orbe, De ſtatu homin. & inde euerſo imperio nomen Romanum retinuere, Leg. Salicæ tit. xxxiv. *Si Romanus Francum ligauerit ſine cauſa.* & tit. xliii. 6. *Romanus homo conuiua Regis.* 7. *Romanus homo poſſeſſor.* 8. *Romanus tributarius.* Greg. Tur. lib. ii. cap. xxxiii. de Gundebaldo R. *Burgundionibus leges mitiores inſtituit, ne Romanos opprimerent.* Leg. Burgund. tit. xl. *Cæterum ſi quis poſthac barbarus vel teſtari voluerit vel donare, aut Romanam conſuetudinem, aut Barbaricam eſſe ſeruandam ſciat,* & paſſim his Legibus. Caſſiodor. lib. vii. cap. iii. *Neceſſarium duximus illum &c. ad vos Comitem deſtinare, qui ſecundum edicta noſtra inter duos Gotthos litem debeat amputare: ſi quod etiam inter Gotthum & Romanum natum fuerit fortaſſe negotium, adhibito ſibi prudente Romano, certamen poſſit æquabili ratione diſtringere. Inter duos autem Romanos Romani audiant.* Vetus conſtitutio Chlotarij R. nondum edita, quam eruditiſſimus Iac. Sirmondus humanitate & liberalitate ſua mihi communicauit. *Inter Romanos negotia cauſarum Romanis legibus præcipimus terminari.* Sed de his, ſi Deus dederit, aliàs plura.

Bannire] Id eſt edicto conuocare. Bannum enim edictum eſt & denunciatio quælibet. Appendix Gregor. Turon. cap. lxxxvii. *Iuſſu Sygoberti omnes Leudes Auſtraſiorum in exercitu gradiendum banniti ſunt.* Leg. Ribuar. tit. lxvii. *Si quis legibus in vtilitatem Regis, ſiue in hoſte, ſiue in reliquam vtilitatem bannitus fuerit, & minimè adimpleuerit, ſi ægritudo eum non detinuerit, ſolidis* lx. *mulctetur.* Capitul. lib. iii. cap. lxix. *Quicumque homo noſtros habens honores in hoſtem bannitus fuerit.* lib. iv. cap. xxv. *Non manniatur ſed per comitem banniatur.* Hincmar. ep. iv.

Digitized by Google

cap xv. Synodus Confluentina an. DCCCLX. *Ab hoc die & deinceps de Dei banno & noſtro bannimus, vt nemo hec amplius preſumat.* Sic bannum pro denunciatione & edicto. Capitul. lib. III. c. LXVI. & lib. IV. c. XXIV. & LX. Inde etiam pœna ſeu mulcta edicto non obtemperantis bannum dicitur ſæpe in Capitulis & aliàs. Vt & Heribannum pro mulcta eius qui ad exercitum ire neglexit, quod nos *Arriereban* dicimus. Gregor. Turon. lib. v. c. XXVI. lib. VII. c. XLII. Capitul. lib. III. cap. XIV. & XXXV. Cuius vocis veſtigia plura apud nos hodie remanent, ſiquidem & nuptiarum proclamationem *bannos* appellamus.

MISSO NOSTRO] Legato, qua voce nil frequentius.

EX NOSTRO LATERE] Sic Greg. Tur. lib. IV. c. XIII. *Miſit Rex Imnacharium & Scaptarium primos de latere ſuo.* Synod. Matiſconenſis II. ſub Guntchranno R. c. XIV. *Hi qui lateri Regis adhærent.* Vita Ludeuici Pij, quæ etiam apud Adhematum extat, & Aimoini continuationi ſubiuncta eſt lib. V. c. X. *Eodem anno generalem conuentum Aquiſgrani habuit: & per vniuerſas regni ſui partes fideles ac creditarios à latere ſuo miſit, qui æqui iuris tenaces exiſtentes peruerſa corrigerent, omnibúſque congruum ius æquo libramine penderent.* Sangallenſis lib. II. c. IX. *Tunc ex latere Cæſaris directi ſunt qui eos honorificè introducerent.* Hodie quidem ſummi Pontificis legatos Cardinales *legatos à latere* dicimus.

FIDELITATEM] Gregor. Turon. lib. VII. c. VII. *Priores quoque de regno Chilperici, vt erat Anſoualdus & reliqui, ad filium eius qui erat vt ſuperiùs diximus quatuor menſium ſe collegerunt, quem Chlotarium vocitauerunt, exigentes ſacramenta per ciuitates quæ ad Chilpericum priùs aſpexerant, vt ſcilicet fideles eſſe debeant Guntchranno Regi ac nepoti ſuo Chlotario.* & cap. XIII. de Gararico duce qui *ſacramenta de nomine Childeberti ſuſceperat.* Appendix Greg. cap. LXXVI. Capitul. lib. III. c. VIII. *Vt nulli alteri per ſacramentum fidelitas promittatur, niſi nobis & vnicuique proprio ſeniori ad noſtram vtilitatem & ſui ſenioris, &c.* & cap. LXXXVIII. Eius porro ſacramenti formulam P. Pithœus de litteris optimè meritus edidit, vnà cum ſecundæ Regum familiæ hiſtoricis.

LEODE] Pro fide accipio. Leudes in leg. Vuiſigothor. lib. IV. tit. v. c. v. Leudes namque apud Gregorium Turonenſem ij dicuntur qui fideles Regis ſunt, & qui nulli præterquam Principi obnoxij ſunt, quos ſequens ætas *Barones* dixit. Greg. Turon. lib. IX. c. XX. in pactione Regum apud Andelaum, *Leudes illi qui domno Guntchranno poſt tranſitum domni Chlotarij ſacramenta prebuerunt.* Appendix Gregor. cap. LIV. *Chlotarius cum proceribus & leudibus Burgundiæ Trecaſſinis coniungitur:* & paſſim. Idem leudes Baronum nomine comprehendit, c. XLI. *Burgundiæ Barones verò tam Epiſcopi, quàm cæteri leudes timentes Brunichildem.* Vnde proculdubio feudum *leudum* ſiue *lehen* hodie quoque Germani vocant, quod iam à Cuiacio initio Feudorum obſeruatum eſt. Huc referri poſſet quod nos *ligium hominium* ſeu *homagium* dicimus.

Qq ij

Samio ] Corruptè, vt quidem cenſeo, aut certè pleniùs inquirendum. Putarem notis *ſacramenti* vocem heic ſcriptam nec intellectam.

Per loca Sanctorvm vel pignora ] Appendix Gregor. c. xc. *Hi duo Flaochatus & Vuillibaldus, eo quòd multa ad inuicem per loca ſanctorum de amicitia obliganda ſacramenta dederant.* De eiuſmodi ſacramento proximè ſuprà diximus.

Pignora ] Reliquiæ Sanctorum. Id porrò heic obſeruandum in eam rem à Rege miſſas, vt ſibi aut filio fidelitatis ſacramentum præſtaretur.

# AD LIB. II.

Hvivs libri titulus in MS. ita conceptus erat, Incipit scedola qvaliter chartæ pagenses fiant, quod omiſſum nolui. Igitur ſuperiore libro omnium litterarum & negotiorum formulas tradidit Marculfus, quæ regio nomine & in palatio expediri ſolerent. Hic verò chartas pagenſes continet, eas videlicet, quæ in vnoquoque comitatu & pago, in præſentia Comitis, aut Vicarij, aut Centenarij, aut etiam priuatim peragi poſſent. Nam vt antea diximus, ritè & publicè quidpiam perficiendi duo tum legitimi modi: in Palatio ante Regem, aut in pago ante Comitem. Pleraque exiſtunt etiam negotia quæ per epiſtolam fieri poſſunt, quorum etiam formulæ ſecundo libro comprehenduntur. Ideóque magnus Cuiacius qui hoc eodem codice vſus fuerat, hanc totius operis diuiſionem reſpiciens, hoc titulo Marculfum laudat, *in Marculfi monachi libro de formulis publicorum priuatorúmque negotiorum.* in Pauli ſentent. lib. iv. tit. vi. etſi non omnia quæ ſecundo libro traduntur priuata ſunt, nam quod ante Comitem peragitur publicum, non priuatum eſt. Vide Capitul. lib. iv. c. xix. xxvi. xxix.

Cap. i. De magna re qvi vvlt xenodochivm avt monasterivm constrvere ] Xenodochij ſeu hoſpitalis, aut monaſterij conſtructio eſt & dotatio, à priuato quolibet in animæ remedium & peccatorum remiſſionem facta. Omnes quippe donationes, fundationes & priuilegia Eccleſiis conceſſa his atque adeo ſuperioribus ſæculis, hanc remedij animæ cauſam continent. Vt fallatur Falcetus qui Antiqu. lib. v. c. x. non ante Dagoberti R. tempora Eccleſiis bona in animæ remedium, aut remiſſionem peccatorum data exiſtimat, ſed tantùm *ad opus, in vſum luminum & ſarta tecta.* Nam vetuſtiſſima quæque monumenta etſi pecuniæ vel fructuum deſtinationem contineant, vt in ſarta tecta, aut in vſum luminum ſufficerent, hanc tamen cauſam prætendunt, vt ad veniam à Deo impetrandam dantibus proſint. Sal-

uianus diſertiſſimus ille Maſſilienſis preſbyter, integris quatuor libellis Timothei nomine ad Eccleſiam Catholicam, diuites omnes vehementiſſimè adhortatur, præcipuè eos quos grauium delictorum terror exagitat, quóſque peccatorum conſcientia excruciat, vt peccare & labi deſinant, tandémque peccata ſua miſericordiis, largitionibus & eleemoſynis redimant. Gregor. Turon. lib. VI. c. XX. de Chrodino quodam qui domos, vineas, argentum Eccleſiis diſtribuens dicebat: *Sint hæc Eccleſiæ data, vt dum de his pauperes reficiuntur, mihi veniam obtineant apud Deum.* & lib. IX. c. XLII. in Radegundis epiſtola, *Quæ alij pro animarum ſuarum remedio, vel ſorores ibidem de rebus propriis contulerunt.* Hæc verò formula longam eius argumenti præfationem continet. Qua ratione poſtea eò vſque progreſſum eſt, vt plerique crederent donationibus in Eccleſiam factis poſſe crimina quæcumque nullo negotio aboleri: ob eámque cauſam Synodo Cabilonenſi ſub Carolo M. reprobata eſt hæc opinio, cap. XXXVI. nimirum aduerſus eos qui de induſtria peccantes per eleemoſynas impunitatem ſibi promittebant. *Non enim*, inquit, *idcirco quis peccare debet, vt eleemoſynam faciat: ſed ideo eleemoſynam facere debet quia peccauit.* Eòdem pertinet quodtum illo Concilio, tum in Capitulis res Eccleſiæ *patrimonia pauperum & pretia peccatorum* appellantur.

SEV QVIDAM] Ita emendaui pro *quidem*, vt conſtaret ſenſus.

QVOQVE SCELERIBVS] Pro *& ſceleribus.*

OPTAT] Huius clauſulæ quæ duriùs conſcripta mendis etiam non caret, ſententia eſt. Ille ſcelerum & flagitiorum conſcientiâ excruciatus & Chriſtiano nomine indignus, optat dotatione & conſtructione monaſterij, & eleemoſynis peccata ſua extingui, quod etiam paſſim ſacra ſcriptura ſpondet: idque adductis rationibus pleniùs probat, deinde rem ipſam aperit.

COLONICIS] De Colonica dictum eſt ſuprà lib. I. c. XXX.

REMOTA PONTIFICVM] Hæc clauſula ad exemptionem Eccleſiæ pertinet, ex voto ædificantis vel dotantis, quæ iuſtiſſima eſt cauſa, qua de re ſatis ad cap. I. lib. I.

CABALLORVM PRESTVS] Preſtus, id eſt præſtationes.

PARAVEREDA] De quibus lib. I. cap. XI.

MINVENDI CAVSAM] Cauſa pro re, vt noſtris *choſe.* Gregor. Turon. lib. IV. c. XIII. *Multa cauſa per eum inrationabiliter gerebantur.* Capitul. lib. V. c. CCVIII. *Si quis cauſam alterius tulerit de loco ſuo.* Pipinus Imper. *Non præſumant ipſi, aut homines illorum, alicui homini ſuam cauſam tollere, vel ſuum laboratum.* Leg. Longob. lib. III. tit. IV. l. V.

ZEZIÆ FRAVDIS MERCATOREM] Intelligit Giezi, de quo IV. Reg. V. 26. vbi de Naaman & Elizæo. Sic Gregor. Turonenſ. de Mirac. lib. I. c. LIX. Sic & Taraſij epiſt. p. II. Alij huius maledictionis loco Iudæ exemplum proponunt. Teſtamentum B. Remigij apud Flo-

doardum lib. 1. c. xviii. vett. Chartæ S. Benigni, & paſſim vetera inſtrumenta.

Inferat societati qvoqve et fisco ] Aliàs *ſocio quoque fiſco:* vtrumque retineri poteſt. In pœnis enim fiſcum ſocium adiungebant, vt infrà omnibus penè formulis.

Cap. ii. Prologi ] Præfationes ſunt variæ quæ donationi ad Eccleſiam conueniunt, & omnes remiſſionis peccatorum & animæ remedij cauſas continent. Cuius exempli pleraque inſtrumenta donationum videre eſt in antiquis Eccleſiarum monumentis.

Comam capitis mei ibidem deposvi ] Capitul. lib. 1. cap. cxliii. *Vt liber homo qui in monaſterio regulari comam depoſuerit, & res ſuas ibidem delegauerit, promiſſionem factam ſecundum regulam firmiter teneat.* In tabulario S. Martini Turonenſis. *Ego Galfardus S. Martini humillimus Leuita, &c. dono, trado Deo necnon S. Martino, vbi parentes mei me obtulerunt, nouo ordine traditionis per capillos capitis mei illic comam relinquens &c. proprium meum qui ex ſucceſſione parentum meorum mihi obuenit, &c. Dat. x. KL. Iulij, anno* xvii. *Regnante domno Karolo Rege.*

Cap. iii. Pecvlio vtrivsqve sexvs ] Peculij vox variè accipitur. Nam præter notiorem ſignificationem eius quod à patre vel domino filio, aut ſeruo conceſſum eſt, vel quod illi parſimonia & induſtria quæſierunt, veteres etiam omne patrimonium peculij nomine appellabant, auctore Seruio in Eclog. 1. à pecoribus in quibus eorum vniuerſa conſtabat ſubſtantia, vnde & pecunia dicta. Vlpianus quoque ea quæ Græci παράφερνα dicunt Gallos *peculium* appellaſſe teſtatur. L. ix. §. Dotis, De iure dotium. Heic verò pro pecudibus peculium vſurpari manifeſtum eſt, idque non abs re, cùm & peculij vox à pecudibus deducta ſit. Sic infrà cap. iv. *Peculio vtriuſque ſexus maiore vel minore.* cap. vii. & aliàs ſæpè. Synodi Aurelianenſis I. c. xvii. *De his quæ parochiis in terris, vineis, mancipiis, atque peculiis quicumque fideles obtulerint, antiquorum canonum ſtatuta ſeruentur.* Rotharis R. in legibus Longobardorum tit. cv. 19. *Si quis caballum alienum aut quodlibet peculium credens ſuum eſſe priſerit.*

Ea scilicet ratione ] Precaria eſt, de qua poſtea c. v.

Ne qvicqvam avri talivm vilitate ]. Aſteriſco hunc locum notaui, quòd eum integra fide curare & reſtituere non potuerim. Senſus tamen hic eſſe videtur, donatorem velle præſentem donationem inſinuari geſtis municipalibus: etſi non eius fortaſsè quantitatis ſit quæ inſinuationem deſideret: nam ducentorum aureorum donationes, non minoris quantitatis, inſinuari ſolitas ante Iuſtiniani conſtitutionem notum eſt.

Si qvis vero ] Omnibus ferè huius libri formulis pœna adſcribitur, ſi aduerſus eas factum commiſſumve quid fuerit, vt & in Ca-

Digitized by Google

pit. lib. III. c. XXV. quod tutius eſt quàm ad id quod intereſt agere, cuius plerumque difficilis probatio, & ad exiguam ſummam deducitur l. vlt. De prætoriis ſtipulat. Hincmarus De diuortio Hlotharij & Tetbergæ ad XII. Int. p. 402. *Sed & in iure ciuili in conſcriptione chartarum conditionalis conſtitutio ponitur, quo diſpendio qui eandem chartam infringere tentauerit fiſco multetur, & accuſator, accuſationi ſcripturæ ſe à conditione mutare non poterit.*

STIPVLATIONE SVBNIXA] Fortaſſe quòd ſtipulatio antè interuenerat: vel etiam huius clauſulæ ea mens eſt, vt perinde firmum id habeatur, atque ſi in ſtipulatum deducta res fuiſſet. Nam ſtipulatio commune erat omnium obligationum aſtringendarum vinculum: Paulus Sentent. lib. V. tit. VII. Id porrò ex iure Romano petitum, omnibus formulis etiam inferioris æui adſcriptum videre eſt: cuius loco ſæpe in Traditionibus Fuldenſibus, *culmo ſubnixa:* quaſi ſtipulatio à ſtipula deſcenderet, quod Iſidorus aſſerit Origin. lib. V. *Stipulatio à ſtipula. Veteres enim quando ſibi aliquid promittebant, ſtipulam tenentes frangebant, quam iterum iungentes ſponſiones ſuas agnoſcebant.* Quamquam credibile ſit Iſidorum cùm hæc ſcriberet de iure hoſpitij & teſſera hoſpitali cogitaſſe: aliam certè ſtipulationis notationem Varro, aliam quoque Iuriſconſulti tradunt.

CESSIO] Ex cauſa donationis. Vet. inſtrumentum donationis tempore Iuſtini Imp. *Huic ceſsioni atque donationi à me factæ in beatiſsimo atque Apoſtolico viro ſacerdote Rauennatis eccleſiæ ad omnia quæ ſuperiùs tenentur adſcripta relegi, conſenſi & ſubſcripſi, & teſtes vt ſubſcriberent conrogaui, ſtipulantique vobis, vir beatiſſime, & actoribus tuis in præſentia conſtitutis, in verbis ſolennibus ſpopondi*, quæ ideo longiùs exſcripſi, quia non longè à noſtris formulis abſunt. CAP. IV.

PRECARIA DE IPSA VILLA DVM VIVIT] Res Eccleſiæ alienari non poſſe multis Synodorum decretis, pluribus etiam Imperatorum Regúmque conſtitutionibus ſancitum eſt. Illud tamen receptum, vt petenti ad certum tempus rei eccleſiaſticæ vſusfructus non denegetur, ſi quidem non minùs quàm alterius tantæ quantitatis quantam acceperat reditus, cum ipſorum prædiorum dominio eccleſiæ derelinquat, L. Iubemus. §. ſanè omnis Cod. de ſacroſanctis eccleſ. Synodi Beluacenſis cap. XI. Meldenſis c. XXII. Solebant & qui res ſuas Eccleſiæ dabant, precibus rogare vt ſibi quoad vixiſſent iis vti frui liceret, vt hæc formula oſtendit, & ſuprà huius libri cap. I. III. Incert. Auctor. formul. c. XXVII. Formul. Leg. Rom. cap. VII. Leg. Alaman. tit. II. *Si quis liber res ſuas ad Eccleſiam Dei dederit, &c. & poſthac à paſtore Eccleſiæ per beneficium ſuſceperit ad victualem neceſſitatem conquirendam diebus vitæ ſuæ, & quod ſpopondit perſoluat ad Eccleſiam cenſum de illa terra, &c.* Leg. Baiuu. c. I. tit. I. *Poſthac nullam habeat poteſtatem exinde quicquam auferre, nec ipſe, nec poſteri eius, niſi defenſor Eccleſiæ illius per benefi-* CAP. V.

Digitized by Google

*c...m preſtare voluerit ei.* Fortunatus lib. VIII. carm. ad Gregorium Turonenſ. pro agro præſtito. tum carm. XXII. ad eumdem, precatoria pro ipſo agro.

*Quando repoſcetur veſtris redit vſibus aruum,*
*Et domino proprio reſtituemus eum.*

Inſtrumentum verò ſeu chartam, quæ eo nomine conficiebatur, *precariam* & *precatoriam* appellabant, quòd precibus conceſſa videretur: Concilij Toletani VI. c. V. *Si quis clericorum vel aliarum quarumlibet perſonarum ſtipendium de rebus cuiuſdam Eccleſiæ, Epiſcopi percepit largitate, ſub precaria nomine debeat profeſſionem ſcribere, vt nec per tentionem diuturnam præiudicium afferat Eccleſiæ.* Synodi Epaunenſis c. XVIII. Rhemenſis ſub Carolo Magno c. XXXV. vnde & ipſum negotij genus precaria dicitur. Quod à precarij contractu apertè deductum eſt, quamuis diuerſa ſit vtriuſque negotij natura. Nam ad certum tempus precaria conſtituitur, non ad domini nutum; & vt plurimùm merces ſiue cenſus in precaria interuenit, non autem in precario quod gratuitum eſt. Tandem omnis conceſſio vſusfructus rerum Eccleſiæ ad certum tempus, precaria dicta eſt, licèt qui petit de ſuo nihil donauerit. Pipinus R. in Synodo an. DCCXLII. *Vt ſub precario & cenſu aliquam partem eccleſialis pecuniæ in adiutorium exercitus noſtri cum indulgentia Dei aliquanto tempore retineamus, &c. & iterum ſi neceſſitas cogat, aut Princeps iubeat, precarium renouetur & reſcribatur nouum.* Capit. lib. V. c. III. ex Synodo Leptinenſi; & lib. VII. c. CIV. *Præcipimus vt nullus res Eccleſiæ niſi precario poſſideat, & poſtquam ipſæ precariæ finitæ fuerint, faciant poteſtatiuè ſpeculatores Eccleſiæ vtrum elegerint, aut vt ipſas res recipiant, aut poſteris eorum ſub precario & cenſu habere permittant.* Vide infrà cap. XXXIX. XL. XLI.

SED DVM POSTEA NOSTRA FVIT PETITIO] Flodoard. Hiſt. Rhem. lib. II. c. I. de Mapinio Epiſcopo: *Huius quoque temporibus Suauegottho Regina Rhemenſi Eccleſiæ tertiam partem villæ Viriſiaci per teſtamenti paginam delegaſſe reperitur. Quam partem ipſe quoque præſul Teudechildi præfatæ Reginæ filiæ vſufructuario per precariam ſaluo Eccleſiæ iure conceſſit. Ita duntaxat vt poſt eius obitum, abſque vllo præiudicio, ſicut ab ea meliorata fuiſſet, ad ditionem Rhemenſis reuocaretur Eccleſiæ.*

AD BENEFICIVM VSVFRVCTVARIO ORDINE] Sic beneficium pro precario accipit Tertullianus aduerſus Hermogenem: *Tribus modis aliena ſumuntur, iure, beneficio, impetu, id eſt dominio, precario, vi, dominio non ſuppetente.* Horatius epiſt. II. lib. II.

*Sit proprium quidquam, puncto quod mobilis horæ*
*Nunc prece, nunc precio, nunc vi, nunc ſorte ſuprema*
*Permutet dominus.*

Ideóque & precarium genus liberalitatis eſſe Iuriſconſulti teſtantur, L. I.

Digitized by Google

L. I. & II. De precario. Sic & in L. iubemus. §. Sane Cod. De ſacroſanctis eccleſ. vbi hoc negotij genus deſcribitur. *Pacta conſcribat per quæ & tempus, intra quod hoc præſtari placuerit, ſtatuatur, & manifeſtum ſit quod quiſque acceperit huiuſmodi beneficij gratia.* Leg. Alaman. tit. II. *à paſtore Eccleſiæ per beneficium ſuſceperit.* Leg. Baiuuar. c. I. tit. I. *per beneficium præſtare.* Conſtitutio Synodi Piſtenſis, an. DCCCLXII. de villis B. Dionyſij, *has villas, cum omnibus quæ per precarias aut beneficia, inde homines retinent, &c.* Inde beneficij nomine ea prædia dicta, quæ pro ſeruitio militari à Rege ſiue etiam ab aliis concedebantur, quæ feuda poſteritas dixit: initio namque vita accipientis finiebantur, & ex certis cauſis reuocari poterant. Capitul. lib. I. c. CXXXII. *Qui beneficia regalia tam de rebus eccleſiaſticis, quàm quæ & de reliquis habere videntur, &c.* lib. III. cap. V. XIX. XX. lib. IV. c. IX. Carolus Caluus R. in diplomate pro Eccleſia Rhemenſi apud Flodoard. lib. III. c. IV. *Quicquid exinde nos fidelibus noſtris beneficiauimus, præſentialiter reſtituimus.* Hincmarus De villa Nouilliaco, Carolus *dedit villam Nouilliacum in beneficio Anſchero Saxoni, qui nonas ac decimas ad partem Rhemenſis Eccleſiæ vſque ad mortem ſuam perſoluit.* Synodi Meldenſis c. XVIII. *Vt præcepta illicita iure beneficiario de rebus eccleſiaſticis facta à vobis ſine dilatione reſcindantur.* & cap. XX. cap. LIII. Itaque cùm Hadrianus PP. ad Fridericum Ænobarbum ſcripſiſſet *multa ſe ei beneficia* contuliſſe, hoc verbo exarſit Imperator, quod ſic excuſat Pontifex apud Radeuicum lib. III. c. XXII. *Licèt enim hoc nomen quod eſt beneficium, apud quoſdam in alia ſignificatione, quam ex impoſitione habeat aſſumatur, tunc tamen in ea ſignificatione accipiendum fuerat, quam nos ipſi poſuimus, & quam ex inſtitutione ſua noſcitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto eſt editum, & dicitur beneficium apud nos non feudum, ſed bonum factum.* Aliquando autem in donationibus Eccleſiæ factis nominatim cauebatur, ne in beneficium præſtarentur, cuiuſmodi exempla ſunt in Traditionibus Fuldenſibus lib. I. *Vt nulli clericorum aut laicorum aliquando res ipſæ quas tradidi in beneficium præſtentur, ſed ad locum quo præfatus martyr corpore quieſcit perpetuò deſeruiant.* lib. II. *Vt nullius clerici aut laici, aut alterius perſonæ beneficium nunquam fiat, & ſi vnquam factum fiat, nos iure hereditario prædictum locum accipiamus, vel ſucceſſores noſtri accipiant.* Flodoardus lib. III. c. X. Anſelmus Leodienſis cap. LVI. *In tres portiones prædia Eccleſiæ diuiſit, vnam ſibi & ſucceſſoribus reſeruauit, alteram eccleſiis ac monaſteriis impertiit: tertiam militibus qui Eccleſiam armis protegerent habere conceſſit.*

PONTIFICIVM NON HABEAMVS] Id eſt poteſtatem, facultatem, infrà cap. VIII. IX. & paſſim his formulis. Gellius lib. I. c. XIII. *Re ſemel ſtatuta deliberatáque ab eo, cuius negotij id pontificium eſſet.* L. I. Cod. Th. De maternis bonis, *Ita ſint in parentum poteſtate atque dominio, vt fruendi pontificium habeant, alienandi eis licentia derogetur.* L. III. Cod. Th. De fide cath. *Neque his penitus poſthac obtinendarum eccleſiarum pontificium*

Iuretus ad Symmach. pag. 196. 197.

*facultatémque permitto.* In veteri inſtrumento S. Galli, Alamannicar. Antiquit. To. II. quo etiam precaria huic formulæ omnino ſimillima continetur: *abſque præiudicio S. Galluni ipſam villam tenere & vſare facias, & nullum pontificium habeas de ipſa villa, nec vendere, nec donare, nec alienare, nec minuare, ſed in quo poſſumus ſemper meliorare faciamus.*

PER HANC PRECATVRIAM] Precaturia pro precaria. Synodi Epaunenſis cap. XVIII. *Quod clerici etiam ſine precatoriis, qualibet diuturnitate temporis de Eccleſiæ remuneratione poſſederunt, in ius proprietatis temporis præſcriptione non vocetur.* Flodoard. Hiſt. Rhemenſ. lib. II. c. V. ex Synodo Rhemenſi ſub Sonnatio Epiſcopo, *De his quæ per precatoriam impetrantur ab Eccleſia, ne diuturnitate temporis ab aliquibus in ius proprium vſurpentur, & Eccleſiæ defraudentur.*

AC SI SEMPER PER QVINQVENNIVM RENOVATA FVISSET] Infrà cap. XXXIX. *abſque vlla alia renouata, vt mos eſt in cæteris, precaria.* Incer. Auctor. cap. XLI. *& vt alia precariæ de quinquennio in quinquennium renouantur, iſtam verò non ſit neceſſe renouandi.* Id inſtitutum ne longinquitas temporis proprietati obſiſteret, vt Toletani Concilij VI. verbis vtar. Synodi Beluacenſis c. XIII. *Vt precariæ de quinquennio in quinquennium ſecundum antiquam conſuetudinem & authoritatem renouentur.* Meldenſis c. XXII. Capitul. Caroli Calui c. IX. Burchardus lib. III. c. CLXIX. cap. I. De precariis. Precariarum porro præter has formulas exempla extant in Appendice Flodoardi, vbi de Adalberone Epiſcopo Remenſi: in veteribus S. Galli inſtrumentis, quæ Alamannicar. Antiquit. To. II. à Goldaſto edita ſunt, & in Traditionibus Fuldenſibus.

CAP. VI. CONTRA HANC EPISTOLAM DONATIONIS NOSTRÆ] Nil frequentius hoc libro, & in Formulis Leg. Rom. quàm per epiſtolam negotium gerere, atque adeo omnes huius libri formulæ in epiſtolæ modum conceptæ ſunt, vt ſuprà *Domino ſancto, &c.* infrà *Dulciſſimis filiis, nepotibus &c.* Receptum illud eſſe ſub Romanis Imperatoribus probabile eſt, paulatim recedente ſolennium verborum vſu, quibus per multas ambages res agebantur. Itaque & manumiſſio per epiſtolam fieri poterat, L. Qui abſenti XXXVIII. De adquirenda vel amitt. poſſeſſ. §. Multis, Inſtit. de libertin. Cautionum quoque & obligationum per epiſtolam exempla paſſim occurrunt. Imò & teſtamenti loco plerunque epiſtolæ ſcribi ſolitæ, vt de Hilarione B. Hieronymus prodit, earúmque epiſtolarum infinita exempla Iuriſconſulti proferunt, L. Miles LXXV. De legat. II. L. Alumnæ. §. vlt. De adim. leg.

CAP. VII. CHARTA DONATIONIS INTER VIRUM ET FOEMINAM] De eiuſmodi donatione lib. I. c. XII.

QVOD PARITER IN CONIVGIO POSITI LABORAVIMVS] Leg. Salicæ tit. XLVII. 2. *Si ibi aliquid elaborauit, quia legem noluit audire, amittat.* Leg. Ribuar. tit. XXXIX. 2. *Tertiam partem de omni re*

*quam ſimul conlaborauerint.* Tradition. Fuldenſ. lib. I. *Notitia traditionis Hrungboten, qualiter ille pro æterna retributione elaboratum ſuum omne tradidit, hoc eſt, porcos* LX. *vaccas* VI. *oues* XII. alibi in donatione Benedicti. *De elaboratu meo ſunt hæc: boues* XXXIX. *porci* LXXII. *oues* XX. *mappas* IV. *manutergia* II. *plumacia* VI. *opertoria* II. *pallia linea* VI. *pulUilli* XIV. *&c.* lib. II. *trado omnem laborem meum.*

CHARTA OBNOXIATIONIS A PATRE IN FILIIS FACTA] Epiſtola eſt qua pater, qui bonorum vxoris ſuæ præmortuæ vſumfructum à filiis accepit, remunerandi cauſa illis donat villas quaſdam ſuas, earum tamen vſufructu retento: atque ita ſe obnoxium reddit, vt ne illas in poſterum alienare aut minuere poſſit. Ideóque hæc formula Obnoxiatio appellatur. Quæ res proximè ad precariam Eccleſiæ accedit, de qua infrà cap. XXXIX. Nam & in fine additur clauſula precariis adſcribi ſolita, vt perinde valeat atque ſi per quinquennium renouata fuiſſet. CAP. II.

EVINDICASTIS] Flodoard. Hiſt. Rhemenſ. lib. III. c. X. *Res quoque nonnullas, iuráque Eccleſiæ, ac mancipia, legibus per aduocatos euindicata recepiſſe reperitur.*

EPISTOLA CVM IN LOCO FILIORVM NEPOTES INSTITVVNTVR AB AVO] Epiſtola eſt codicillorum loco, qua auus nepotes ex filia præmortua ad ſucceſſionem vocat. Similis eſt & alia inter Formul. Leg. Rom. c. XXII. verùm ad legem Romanam ea pertinet, hæc autem quæ indiſtinctè concepta eſt, ad Legem Salicam, vt opinor, referenda: etſi de Lege Romana poteſt etiam accipi: qua de re ad Leg. Roman. Formulas. CAP. X.

DVLCISSIMIS NEPOTIBVS MEIS] Sic in L. Lucius Titius LXXXVIII. §. Quæ marito. De legatis II. L. Titia XXXIV. §. I. De legatis II. & paſſim: proprium illud liberorum epitheton. *Dulces natos* dixit Virgil. Æn. IV. *Dulces liberos* Horatius.

PER LEGEM] Salicam ſcilicet. Illa etenim tit. LXII. proximiores tantùm admittit, & nepotes omnes repellit. Quod Childeberti R. Conſtitutione innouatum eſt, *vt nepotes ex filio vel ex filia ad auiaticas res cum auunculis vel amitis ſic venirent, tanquam ſi pater aut mater viui fuiſſent.* Poteſt & de Lege Romana accipi, quæ ante Iuſtinianum ab inteſtato tertiam partem auiaticæ ſucceſſionis nepotibus ex filia detrahebat, L. IV. Cod. Th. De legitimis hereditat. vt opus fuerit hac epiſtola in vice codicillorum, ne vllam deminutionem paterentur.

QVANDO EAM NVPTAM TRADIDI] Hoc eſt vt dotem matris conferant, ſi ad eius ſucceſſionem accedere velint. L. V. Cod. Th. De legitimis heredit. *Vt mixtis matrum ſuarum dotibus, aui hereditatem pro rata parte, quam lex diualis cenſuit, cum auunculis partiantur.* Ibid. Anianus *quicquid filia accepit tempore nuptiarum.*

DE PRÆSIDIO NOSTRO] Suprà lib. I. c. XII. *cum terris &c.*



Digitized by Google

*ſeu præſidiis domus eorum.* hoc libro c. VII. *Terris, villabus, domibus cum omni præſidio, etiam peculium, præſidium vtriuſque generis & ſexus.* Gregor. Turon. lib. VI. c. IV. *Inruerunt in domo lupi, & direpto omni præſidio, fingentes ſe illud in theſauro Regis recondere, ſuis eum domibus intulerunt.* lib. IX. cap. XIX. in pactione Regum apud Andelaum. *Si quid de agris fiſcalibus, vel ſpeciebus atque præſidio pro arbitrij ſui voluntate facere, aut cuiquam conferre voluerit, in perpetuo auxiliante Domino conſeruetur.* Gregor. Turonenſ. de gloria Confeſſor. c. CVII. *Habens diuitias multas, & tam in fundorum poſſeſſione quàm in præſidio domorum valde diues erat ac locuples.* Ex quibus locis coniicio præſidij nomine pecuniam numeratam, aurum, argentum & alia id genus intelligi. Nam & Celſus in L. Si chorus LXXIX. §. I. De Legatis III. ait Proculum referre *audiſſe ſe ruſticos ſenes ita dicentes, pecuniam ſine peculio fragilem eſſe: peculium appellantes quod præſidij cauſa ſeponeretur.* Cui conuenit quod ait Conſtantinus Imp. in pecunia veteres robur omne patrimoniorum poſuiſſe. L. XXII. Cod. De adminiſtrat. tutor. In formulis verò Incerti auctoris præſidij nomine pecudum greges, & boum armenta ſignificari videntur, cap. XLVII. *etiam peculium, præſidium vtriuſque generis & ſexus.*

CAP. XI. CHARTA QVI SVO NEPOTE ALIQVID MELIORARE VOLVERIT] Nolui quid immutare, nam ſæculi & auctoris vitium eſſe videtur. Eſt autem formula donationis, qua pater nepoti ex filio aliquid donat, vt præcipuum illud habeat, ſitque melior eius nepotis conditio, quàm cæterorum.

ABSQVE CONSORTIO FRATRVM TVORVM] In donatione Haganonis ad S. Martinum anno V. H Ludouici Imp. *Fridegiſo Abati trado manſum noſtrum dominicatum, quem extra conſortium fratrum in hereditate habemus in pago Bleſenſi.*

CAP. XII. VEL FILIIS MEIS] Leg. *filiorum meorum.*

VT FILIA CVM FRATRIBVS IN PATERNA SVCCEDAT ALODE] Lege Salica, Ribuaria & aliis, filia in alode ſeu terra paterna non ſuccedebat. Hac verò formula patrem ad ſucceſſionem ſuam potuiſſe eam reuocare, & veluti heredem cum fratribus inſtituere manifeſtum eſt. Quæ formula apud Cuiacium Obſeruat. VIII. edita extat.

INTER NOS CONSVETVDO TENETVR] Conſuetudinem vocat Leges Salicas, Ribuarias & ſimiles: meritò, cùm multo antè vſu receptæ quàm in ſcriptis redactæ ſint. Sic autem Leg. Salicæ tit. LXII. *De terra verò Salica nulla in mulieris hereditate tranſeat portio, ſed virilis ſexus totam terram proprietatis ſuæ poſſideant,* quæ diuerſa ab editis, ex MS. Reg. exſcripſi. Leg. Ribuar. tit. LVIII. *Sed dum virilis ſexus extiterit, fœmina in hereditatem auiaticam non ſuccedat.* Leg. Saxon. c. XXXIX. *Pater aut mater defuncti, filiis non filiæ hereditatem relinquant.* Leg.

Anglionum tit. VII. *Hereditatem defuncti filius non filia ſuſcipiat: ſi filium non habuit qui defunctus eſt, ad filiam pecunia & mancipia, terra verò ad proximum paternæ generationis conſanguineum pertineat.* Quod & olim Armeniis placuiſſe, & à Iuſtiniano Imp. ſublatum docet Nou. XXI.

TERRA PATERNA] Alode, Leg. Ribuar. tit. LVIII. *terra auiatica*, in Leg. Saxon. & Anglion. *hereditas.* Vide ſuprà ad c. XII. lib. I.

SI QVIS EXTRANEVM HOMINEM IN LOCO FILIORVM ADOPTAVERIT] Adoptio eſt, quæ tamen propriam legem continet. Fit enim ab eo qui rebus ſuis ſupereſſe non poteſt, ideóque ſtatim bonorum ſuorum poſſeſſionem in adoptatum transfert, ea conditione vt victum & veſtitum quamdiu vixerit ei ſuppeditet. CAP. XIII.

PACTVM INTER PARENTES DE EORVM HEREDITATE] Diuiſio paternæ hereditatis inter fratres, vt & Formul. Incert. auct. c. XXXIX. Leg. Rom. XXV. Parentes autem heic & alibi non rarò dicuntur non propriè & ex vſu veterum, ſed in ea ſignificatione quam vulgò hodie retinemus, pro quibuſcumque proximis vel conſanguinitate iunctis. Gregor. Turon. lib. V. c. V. *Cuius parentes condolentes propinqui exitum &c.* lib. VI. c. XXXVI. *Coniuncti parentes grauiſſimis clericum tormentis ſubdentes interimere voluerunt.* Sic fortaſſe Tertullianus lib. de carne Chriſti: *Cùm indignatio parentes non neget ſed obiurget, mox demonſtrat qua conditione negauerit matrem & fratres. Negauit itaque parentes.* & ita ibi ſæpe. Qua voce etiam vſos antiquiores, Spartianum & Lampridium cum aliis pleriſque, doctiſſ. Caſaubonus ad Marci Imp. Vitam notat. CAP. XIV.

NON A IVDICIARIA POTESTATE COACTI] Fratres quippe communem hereditatem conſenſu diuidentes pietatis officio funguntur, inquit Papinianus in l. vlt. Familiæ erciſcundæ.

SCRIPTVRARVM SERIE ALLIGARI] In charta abſolutionis Henrici II. Angliæ R. apud Houedenum Annal. part. poſt. *Ne in dubium veniant quæ geruntur, & vſus habet & communis conſideratio vtilitatis expoſcit, vt ſcripturarum ſerie debeant annotari.*

LIBELLVS DOTIS] Quo pater ſponſi, ſponſæ dotem conſtituit. Nam apud Germanicas illas gentes, vt Tacitus ſcribit, *dotem non vxor marito, ſed maritus vxori offert.* Leg. Burgundionum tit. XLII. & tit. LXII. Mulier *ſi ad alias nuptias tranſierit, omnia perdat, dote tamen ſua quam à marito ſuo acceperat, quandiu vixerit vtatur, filio proprietate ſeruata.* Leg. Ribuar. tit. XXXIX. *De dotibus mulierum. Si quis mulierem deſponſauerit, quicquid ei per tabularum ſeu chartarum inſtrumenta conſcripſerit, perpetualiter inconuulſum permaneat.* Quibus verbis libellus dotis deſignatur, cuius ſpecimen hoc capite extat. Leg. Saxon. tit. VII. & VIII. in Tilliana editione c. XLV. & XLVI. Leg. Alaman. tit. LVI. Sic dotem accipit Greg. Tur. lib. VI. c. XVIII. vbi legatos refert in Hiſpaniam à Chilperico R. miſſas ad inſpiciendam dotem, quæ eius filiæ conſtitui deberet; CAP. XV.



Digitized by Google

& in pactione Regum apud Andelaum lib. IX. *De ciuitatibus quas Galleſuindam germanam domnæ Brunichildis tam in dote quàm in morghangeba hoc eſt matutinali dono in Franciam venientem certum eſt adquiſiſſe, &c.* Sic in Synodo Triburienſi ſub Arnulpho R. c. XXV. *dotare*, vbi de Franco qui vxorem è Saxonia duxit, nec eam lege Francorum deſponſauit vel dotauit. In charta libertatum Ioannis Angliæ Regis apud Matthæum Paridem. *Aſſignetur viduæ pro dote ſua tertia pars totius terræ mariti ſui, quæ ſua fuit in vita, niſi de minori dotata ſit ad oſtium Eccleſiæ.* Illud ipſum eſt quod *dotalitium* dicitur à Clemente III. PP. in cap. Plerumque. De donation. inter vir. & vxor. & quod nos hodie *doarium* appellamus. Eiuſmodi dotis conſtitutio à Vvillelmo Siciliæ R. in Ioannam Henrici II. Angliæ R. filiam facta, extat in Annalib. Rogerij Houedeni. Eſt & alia libelli dotis formula c. XXXVII. Formular. Incerr. Auctor. Quibus addere viſum eſt libellum dotis non diſſimilem, à doctiſſ. viro Ioh. Belio mihi conceſſum, qui circa annum MXL. conſcriptus eſt.

Vide Apollonij Tyrij fabellam Mileſiam.

*Cùm Dominus omnipotens & excelſus condidit hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, dixit, Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. Propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna: non tamen duo, ſed vna caro. Et quod Deus coniunxit homo non ſeparet. Igitur ego in Dei nomine Adam, dilectiſſima ſponſa mea nomine Heldigardis, dono tibi, donatúmque eſſe volo de rebus meis, ſeu de beneficiis meis quæ ſita ſunt in pago Andecauis in villa quæ dicitur Chelzei, & alia villa quæ vocatur Nandulia, de Eccleſiis, de vineis, de pratis, de cenſu, de frixingis, de obligis, & de omnibus reddituris, tibi medietatem dabo. Et in alia Comitate in pago Dunenſi in villa quæ dicitur Vallarias, quæ teneo de filiis Alboldi per teſtimonia Geyla fœmina Hugoni, de ipſa villa medietatem. Et ſuper fluuium Lid vnum pharinarium, quæ eſt ſuper quatuor & ſolidis quinque: & de ſuper via chalceda arpenn. de vineis tres. In burbio S. Valleriani medietatem de manſionibus, & de areis ſimiliter medietatem. Quod ſi quis* LIBELLVM *hunc* DOTIS *aliquid calumniauerit, auri libras* V. *coactus exſoluat.*

QVOD BONVM FAVSTVM FELIX PROSPERVMVE EVENIAT] Hæc à Romanis deſumpta ſunt, quos boni ominis cauſa in pleriſque negotiis ita præfari ſolitos notum eſt. De relationibus Coſſ. Suetonius lib. III. c. XV. QVOD BONVM FOELIXQVE SIT CAIO CÆSARI. De nuptiis Iuuenalis,

*ſignatæ tabulæ, dictum Fœliciter.*--

DE DISPONSANDIS MARITANDISQVE ORDINIBVS] Hæc non ſatis conueniunt, quibus tamen rudera & fragmenta quædam ineſſe vetuſtiſſimarum iuris Romani formularum conicere licet. Videntur enim hæc verba ſignificare, has nuptias ex præſcripto Legis

Digitized by Google

Iuliæ De maritandis ordinibus fieri, & procreationis liberorum, quæ cauſæ, inquit, neceſſariæ ſunt. Veteres namque Legibus Iuliis, ad nuptias præmiis & pœnis adigebantur.

PROCREATIONI LIBERORVM ] Vetuſtiſſima hæc quoque clauſula, tabulis nuptialibus adſcribi ſolita. B. Auguſtinus De ciuitate Dei lib. XIV. c. XVIII. *Quid concubitus coniugalis, qui ſecundum matrimonialium præſcripta tabularum procreandorum fit cauſa liberorum?*

DONATIONISQVE ANIMO ] Separatur heic donatio à dote, etſi ab vna eadémque perſona ſponſo ſcilicet vel eius patre fiant: infrà, *ſimiliter & in dotis titulum.* Sic apud Gregor. Turon. lib. IX. c. XIX. *dos* & *matutinale donum* ſeu *morghangeba* diſcernuntur.

INTER AVRVM ET ARGENTVM ] Inter pro *præter*, ſæpè hoc libro & aliàs paſſim.

IN SVA DOMINATIONE REVOCARE ] Vt liberam habeat facultatem ea omnia in ſuam poteſtatem reuocandi, vel de his pro arbitrio diſponendi.

SI ALIQVIS PVELLAM INVITAM TRAXERIT ] Libellus eſt dotis, quæ à viro conſtituitur qui contra voluntatem parentum puellam rapuit, re tandem compoſita, ideóque epiſtola compoſitionalis vocatur. Trahere autem heic & infrà ca. XXIX. pro rapere accipitur, vt in Leg. Sal. tit. XIV. *Si puer Regis vel litus ingenuam fœminam traxerit, de vita componat.* Formul. Leg. Rom. c. XVI. CAP. XVI. Vide Synod. Meldenſ. can. 64.

RAPTO SCELERE MEO CONIVGIO SOCIAVI ] Legi poſſet *raptam ſcelere, meo coniugio ſociaui*, ſiue *rapto ſcelere* quaſi per rapinæ ſcelus: in L. III. Cod. Theod. De raptu virgin. *coniugium raptus ſcelere contractum.*

FACIENTE CONTVRNO ] Nullus ſenſus: itaque aſteriſco notaui. Legendum opinor *facto contubernio*, id eſt copiis contractis, ope ſociorum & amicorum. Sic Leg. Salicæ tit. XVI. *Si quis villam alienam adſallierit, ipſe & omnes qui conuicti fuerint quod in eius contubernio fuiſſent, &c.* & tit. XLIV. *Si quis collecto contubernio hominem ingenuum in domo ſua adſallierit.* Certa, ni fallor, emẽdatio.

VITÆ PERICVLVM INCVRRERE DEBVIT ] Illud eſt ex Lege Romana, L. II. Cod. Th. De raptu virg. Lege autem Salica tit. XIV. crimen raptus vt cætera ferè delicta, pecuniâ tantùm æſtimatur.

DRAPPOS ] Veſtes, ſuprà lib. I. c. XII.

QVALITER IN VNO VOLVMINE TESTAMENTVM DVARVM PERSONARVM CONDATVR ] Formula eſt teſtamenti mutui inter coniuges, quod poſt Nouellam Theodoſij & Valentiniani frequentari cœpit: antea quippe vix licebat, quia & captatoriæ inſtitutionis ſpeciem referre videbatur. Theodoſ. & Valentinianus Nouellar. lib. II. tit. IV. *In vnius charta volumine ſupremum votis paribus condidere iudicium, ſeptem teſtium ſubſcriptionibus roboratum; cui nos* CAP. XVII.

Digitized by Google

*æternam tribui firmitatem legis huius definitione cenſuimus. Quoniam nec captatorium dici poteſt, cùm duorum fuerit ſimilis affectus, & ſimplex religio teſtamenta condentium.* quò pertinet L. Captatorias De heredib. inſtituend. *Captatorias*, inquit Papinianus, *non eas Senatus improbauit quæ mutuis affectionibus iudicia prouocarent.*

Sana mente integroqve consilio ] Teſtamentum Gregorij Nazianzeni Epiſcopi ζῶν καὶ φρονῶν, καὶ ὑγιῆ γνώσει, καὶ ἐῤῥωμένως τοῖς λογισμοῖς διεθέμην τὴν διαθήκην μου ταύτην.

Vt qvomodo dies legitimvs] Leg. *vt quando.*

Dies legitimvs post transitvm nostrvm ] In MS. legebatur *legitonos*, cuius loco *legitimus* legendum eſſe nemo negauerit. Ita etiam in Cod. MS. P. Pithœi. Apud Briſſonium, qui hanc formulam exſcripſit, vitioſè exaratum eſt *dies vltimus*, præter ſenſum & MS. fidem. Legitimus autem dies apeтiendarum tabularum teſtamenti fuit poſt mortem teſtatoris, intra triduum vel quinque dies, Paul. Sentent. lib. IV. tit. VI. Gregor. Turon. lib. VI. c. XLV. *Multi meliores natu qui vi compellebantur abire, teſtamenta condiderunt, réſque ſuas Eccleſiis deputantes, atque petentes vt cùm in Hiſpanias puella introiſſet, ſtatim teſtamenta illa tanquam ſi iam eſſent ſepulti reſerarentur.*

Recognitis sigillis vt Romanæ legis decrevit avctoritas] Paulus Sentent. lib. IV. tit. VI. *Tabulæ teſtamenti aperiuntur hoc modo, vt teſtes, vel maxima pars eorum adhibeantur qui ſignauerint teſtamentum: ita vt agnitis ſignis rupto lino aperiatur & recitetur, atque ita deſcribendi exempli fiat poteſtas, ac deinde ſigno publico obſignatum in archium redigatur: vt ſi quando exemplum eius interciderit, ſit vnde peti poſſit.*

Gestis reipvblicæ mvnicipalibvs ] L. Teſtamento Cod. De teſtament. L. in hac Cod. De donation. Eiúſque rei formula extat infrà cap. XXXVII.

Reliqvi heredes exheredes sint ] Teſtamentum B. Remigij Rhemenſis Epiſcopi apud Flodoard. Hiſt. Rhemenſ. lib. I. c. XVIII. *Hac ita do, ita lego, ita teſtor. Cæteri omnes exheredes eſtote ſuntote.* Teſtamentum Gregorij Theologi, Nazianzeni: Ἐὰν οὖν συμβῇ με τινα τὸν βίον χρήσασθαι, ἔστω μου κληρονόμος Γρηγόριος ὁ διάκονος καὶ μονάζων, &c. οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ἔστωσάν μου ἀποκληρονόμοι. Inde inter cæteros exheredare, quod hac verborum formula fieri conſueuiſſe Theophilus auctor eſt lib. II. Inſtitut. tit. de exheredat. liberorum.

Id vt fiat detvr præstetvr impleatvr ] Hadoindi Cenomanenſis Epiſcopi ſub Chlodoueo R. Teſtamentum apud Briſſonium, *Ita vt vbicumque aliquid per hoc teſtamentum meum dedero, legauero, darique iuſſero, id vt detur, fiat, præſtetur fidei tuæ heres mea committo.*

Sed dvm in villis qvibvsdam] Poſt varia legata adſcripta,

pta, coniugi villas quaſdam relinquit, in compenſationem earum quas antea aliis legauit, in quibus quòd ſtante coniugio adquiſitæ eſſent, vxori tertia pars competebat.

TERTIAM HABERE POTVERAT] Gentes illæ quæ ex Germania in Galliis ſedes poſuerunt, vxoribus tertiam partem concedebant rerum quas mariti ſtante coniugio adquiſierant. Leg. Burgund. tit. XLII. & tit. LXII. *Filius vnicus defuncto patre tertiam partem facultatis matri vtendam relinquat, ſi tamen maritum alium non acceperit.* Leg. Ribuar. tit. XXXIX. *Si virum ſuperuixerit, L. ſol. in dotem recipiat, & tertiam partem de omni re quam ſimul conlaborauerint ſibi ſtudeat vindicare.* Capitul. lib. IV. c. IX. vbi de collaboratione in beneficio ſeu feudo tantùm agitur. Appendix Gregor. Turon. c. LXXXV. Simile quid moribus noſtris obſeruatur, per eam ſocietatem bonorum quæ inter coniuges intercedit. Apud Saxones media pars vxori cedebat: Leg. Saxon. tit. VII. Apud Baiuuarios cum filiis in portionem vocabatur, & *qualem vnus ex filiis vſufructuariam portionem* auferebat, Leg. Baiuuar. c. XIV. tit. VII.

AD VASSOS NOSTROS] Vaſſi fideles, qui ſeruitium exhibent; nomen retinemus, *vaſſaus*. Leg. Alaman. tit. XXXVI. 4. *qualiſcumque perſona ſit, aut vaſſus Ducis, aut Comitis*, & tit. LXXIX. 3. *& Dominus eius* XII. *vaſſos infra domum habet.* Leg. Baiuuar. c. II. tit. XV. *ſiue Regis vaſſus ſiue Ducis, omnes ad placitum veniant.* Capitul. lib. II. cap. XXIV. *vaſſi & vaſalli nobis famulantes.* lib. III. c. LXIV. & LXXIII. Capitula Epiſcoporum Rhemenſis & Rhotomagenſis prouinciarum in Cariſiacenſi palatio ad Ludouicum R. an. DCCCXVIII. *in comitatu drudorum atque vaſſorum*, apud Falcetum Antiquit. lib. IX. c. XV. *Drudi* pro fidelibus à Germanico vocabulo *Drouu* fides.

LIBEROS LIBERAS] Vide l. 18. §. vlt. de aliment. & cibariis legat.

OBSEQVIVM] Vide l. 71. §. Titio centum. De conditionib. & demonſtrat.

OBLATA] Vide B. Auguſtin. Confeſſ. lib. VII. cap. II. de Ciuitate Dei lib. VIII. cap. XXVII. Idem ep. LXIV. *Oblationes pro ſpiritibus dormientium, ſuper ipſas memorias, non ſint ſumptuoſæ.* Tertullianus de reſurrectione carnis. *Et tamen defunctis parentant, & quidem impenſiſſimo officio pro moribus eorum, pro temporibus eſculentorum, vt quos negant ſentire quicquam, etiam deſiderare præſumant.* Vide Apollonij Tyrij hiſtoriam.

ET VT HÆC PAGINA HVIVS TESTAMENTI IN DISCEPTATIONEM VENIRE NON POSSIT] Teſtamentum B. Remigij. *Huic autem teſtamento meo dolus malus abeſt aberitque. In quo ſi qua litura vel charaxatura fuerit inuenta, facta eſt me præſente, dum à me relegitur & emendatur.* Bertchranni Cenomanenſis Epiſcopi teſtamentum apud Briſſonium, *Si qua litura, ſi qua caraxatura, ſi qua littera adiecta*

S ſ

*ſunt, vel detracta, ego feci fierique iuſſi, dum meam mihi ſæpius prælego voluntatem, & omnia per ſingula recognoſco, vel emendo.* Clauſula teſtamentis adſcribi ſolita. Vlpianus in L. 1. De his quæ in teſtam. delentur. *Et ideo & ſi nouiſſimè (vt ſolet) teſtamento fuerit adſcriptum:* LITVRAS INDVCTIONES SVPERINDVCTIONES IPSE FECI: *non videbitur referri ad ea quæ inconſulto contigerunt.* Quo loci non ſuperinductiones, ſed ſuperdictiones lego, vt mox ſequitur venuſtè, alioqui putida eſſet illa repetitio.

CARAXATVRÆ] Deletiones, maculæ, inquinamenta ab atramento. Sic in teſtamento B. Remigij, & Bertchranni Epiſcopi, locis proximè adductis. Gregor. Turon. lib. VII. c. XXXVI. *Tune es pictor ille qui te*-*pore Chlotarij Regis per oratoria parietes, atque cameras caraxabas?* & lib. IX. c. V. *Vaſa per domos diuerſorum, ſignis neſcio quibus caraxata ſunt, quæ res nullo vnquam modo aut eradi potuit, aut deleri.* B. Irenæi vetus interpres lib. III. c. III. *Tantam Apoſtoli & diſcipulorum habuere reuerentiam, vt ne verbo quidem communicarent cuiquam incaraxanti veritatem.* Agobardus pag 71. Gloſſæ veteres Labæi MS. *Charaxatis, ſcriptis.*

SVPERDICTIONES] Superſcriptiones, quæ deletis imponi ſolent. Cæterum heic videtur omiſſa clauſula codicillaris, quam B. Remigius & Hadoindus Cenomanenſis Epiſcopus non omiſerunt, *id codicillorum vice valere præcepi, ſi iuris aliquid videbitur defuiſſe,* qua omiſſa teſtamentum minùs perfectum vim codicillorum non habebat. L. 1. De iure codicillorum.

ANTE TRIBVNAL CHRISTI PRO VIOLATA DEFVNCTI VOLVNTATE COMPELLATVR SVBIRE NEGOTIVM] Gregorij Theologi Teſtamentum: Ταύτην μου τὴν διαθήκην κυρίαν καὶ βεβαίαν εἶναι βούλομαι ἐπὶ πᾶσι τοῖς δικαστηρίοις καὶ πάσης ἐξουσίας. εἰ δὲ καὶ ὡς διαθήκη μὴ ἰσχύσειεν, ὡς βούλησιν αὐτὴν, εἰ ἐν κωδικέλλου αὐτὴν ἰσχύειν βούλομαι. Ὁ δὲ ἐπιχειρῶν αὐτὴν ἀνατρέπειν δώσει λόγον ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, καὶ ἕξει τὸν λόγον πρὸς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος.

PROHEREDIBVS] Qui loco heredum fuerint, vt protutor qui tutor non eſt, ſed tutoris loco.

CAP. XVIII. SECVRITAS PRO HOMICIDIO FACTO] Omnibus Germanicis gentibus, quæ Gallias inſederunt, mos erat priuatas inimicitias armis perſequi: quæ praua conſuetudo adeò inualuit, vt nec Principis imperio, nec legum auctoritate per ſexcentos fermè annos aboleri potuerit, quinimmo legibus id non omnino prohibebatur, ſed tantùm nimia licentia certis finibus coërcita erat. Itaque qui vnum ex propinquis, & omnes aduerſos habebat, adeò vt ſi aliquis occiſus aut vulneratus, aut malè multatus ab inimico quodam priuato fuiſſet, continuò illius propinqui, affines & amici aduolabant, ſuam & ſuorum iniuriam armis vindicaturi. Sed aliquando pace per amicos facta vel etiam in iudicio, ſecundùm leges tranſigebatur, quo caſu ſecuritatis

cautiones interponi ſolitæ, quarum exemplum hoc capite continetur, & in Formul. Incert. Auctor. cap. XVIII. & Formul. Leg. Rom. cap. XXXIX. Tacitus de Germanis, *ſuſcipere tam inimicitias ſeu patris, ſeu propinqui, quàm amicitias neceſſe eſt.* Exempla paſſim extant, præcipuè apud Gregorium Turonenſem, vt lib. V. c. V. & XXXII. lib. VI. c. XVII. lib. VIII. c. XVIII. lib. X. cap. XXVII. Præcipuum verò eſt quod pluribus ab eodem refertur lib. VII. c. XLVII. de Sichario & Auſtreſigilo, quorum Auſtreſigilus à Sichario cum quibuſdam aliis interfectus, Sicharius à propinquis defuncti petitus, poſt varia diſſidia, diſcrimina, cædes, ægrè euaſit, tandémque compoſitione facta, interceſſione Epiſcopi ipſius Gregorij Turonenſis & iudicum, argentum ab Eccleſia Turonenſi pro Sichario ſolutum eſt, & ſecuritas ei ab aduerſariis data. *Tunc*, inquit, *dato ab Eccleſia argento, quæ iudicauerant accepta ſecuritate componunt; datis ſibi per partes inuicem ſacramentis, vt nullo vnquam tempore contra alteram pars altera muſſitaret, & ſic altercatio terminum fecit.* Qui mos priuatæ vindictæ (quam *faidam* dicebant) reprobatur in Capitul. lib. V. c. CLXXX. ſed vt facilè appareat peſſimam conſuetudinem præualuiſſe, nec potuiſſe coërceri: *Neſcimus qua pernoxia inuentione à nonnullis vſurpatum eſt, vt hi, qui nullo miniſterio publico fulciuntur, propter ſua odia & diuerſiſſimas voluntates peſſimas, indebitum ſibi vſurpant in vindicandis proximis, & interficiendis hominibus vindictæ miniſterium: & quod Rex ſaltem in vno exercere debuerat, propter terrorem multorum, ipſi impudenter in multis perpetrare non metuunt propter odium.* Quod tandem grauiùs exarſit extremis ſecundæ Regum familiæ temporibus, & initio tertiæ. Namque & Ius belli priuati factum eſt, de quo nos fortaſsè aliquando plura.

PRO IPSA CAVSA SOLIDOS TANTOS] Delicta enim certa pecuniæ ſumma æſtimabantur, vt dictum eſt ad cap. XVIII. lib. I. Gregor. Turon. lib. IX. cap. XIX. de Sichario ad Chramniſindum: *Magnas mihi debes referre gratias, dulciſſime frater, eo quòd interfecerim parentes tuos, de quibus accepta compoſitione aurum argentúmque ſuperabundant in domo tua.*

VENDITIO] Formul. Incert. Auctor. cap. XIV. Leg. Roman. c. V. & VIII. CAP. XIX.

DVPLAM PECVNIAM QVANTVM A VOBIS ACCEPI] Cautio eſt duplæ euictionis cauſa, in venditionibus ſolita interponi, vt & cap. prox.

NEQVE IMAGINARIO IVRE] Imaginaria enim venditio nulla eſt, L. Nuda LV. De contrah. empt. CAP. XX.

ME VOBIS VENDIDISSE] Venditorem leges ſuæ rei perpetuò dixiſſe, non emptorem notat Cuiacius Obſeruat. XXIII. c. XXXI. CAP. XXII.

NON FVREM, NON FVGITIVVM] Horat. lib. II. ſat. III.

*mentem niſi litigioſus Exciperet dominus.*



Digitized by Google

Sic in Formul. Leg. Rom. c. IX. In ſeruorum venditionibus id promitti & præſtari ſolebat. Varro De re ruſtica lib. II. c. X. de paſtoribus ſeruis: *In horum emptione ſolet accedere peculium, aut ſi excipiet, ſtipulatio intercedere ſanum eum eſſe, furtis noxiſue ſolutum.* Vlp. in L. Si ita quis XXXI. De euictione. *ſanum eſſe, furem non eſſe:* & in l. XXXII. *furem non eſſe, fugitiuum non eſſe, erronem non eſſe.* L. IV. L. Quod ſi nolit XXXI. §. I. De ædilitio edicto.

NEQVE CADIVVM] Malum, improbum: idioma Italicum integrum retinet *cattiuo*. Vnde & noſtris *chetif*. Leg. Boior. Tit. XV. cap. IX. 2. *Hernioſum aut caducum.* A. Oiſellus ſignificari hoc nomine contendit comitiali morbo vexatum, quem nos hodie morbum caducum dicimus. In veteribus gloſſis barbaris MS. Labæi, *Caducus* dæmoniacus.

PROBOS ATQVE PRÆSENTES] Sic Geneſ. XXIII. Abraham pro agro quem emebat appendit quadringentos ſiclos argenti *probatæ & publicæ monetæ:* quo loci Chaldæus Paraphraſtes vertit, *argenti quod per mercatores recipiebatur in vnaquaque prouincia.*

CAP. XXIIII. CONCAMBIVM DE VILLIS] Concambium pro permutatione frequentiſſimè apud Marculſum & cæteros formularum auctores, vnde *concambiare* & *concamiare* apud eoſdem pro commutare & permutationem facere. Leg. Sal. tit. XXXIX. Leg. Baiuuar. cap. XV. tit. VIII. *Commutatio, hoc eſt quod cambias, talem qualem emptio habeat firmitatem.* In libris Feudorum lib. I. tit. XXII. *Cambium*, & aliàs ſæpè.

CAP. XXV. CAVTIONES DIVERSO MODO FACTÆ] Cautionis vocabulum pro repromiſſione & chirographo accipitur, etiam ſine ſatiſdatione, vt *cautio creditæ pecuniæ*, in L. Minor XL. De minorib. & in L. Lecta XL. De rebus creditis, vbi cautionis creditæ pecuniæ formula exſcribitur, cuiuſmodi ſunt illæ quæ hoc cap. & proximis exhibentur: quibus debitor cauet ſe pecuniam à creditore accepiſſe, eámque certo die ſoluturum ſpondet, addita dupli pœna ſi debitor ceſſauerit. Quamuis Romano iure pœnam vltra legitimum modum vſurarum ſtipulari non liceret.

KL. ILLIS PROXIMIS] Singulis Kalendis fœnebrem pecuniam veteres locabant, vnde & Kalendarium: Martial. lib. VIII. *Centum explicentur paginæ Kalendarum.* Fœnebris enim pecuniæ ratio menſtrua erat. B. Baſilius in Pſalmum XIV. Homil. II, de debitore, φοβεῖται τοὺς μῆνας, ὡς τόκων πατέρας.

CAP. XXVI. ET QVOMODO] Leg. *& quando:* ſimiliter & cap. ſeq.

CAP. XXVII. DVM IPSOS SOLIDOS] Donec pecuniam ſoluere poſſit, ſeruitio creditoris ſe ipſum obligat. Obæratos Romani dicebant. Varro de re ruſtica lib. I. c. 17. Idem de lingua Lat. lib. 6. *Qui ſuas operas in ſeruitute pro pecunia quam debet dum ſolueret dat, nexus vocabatur, vt ab ære obæratus. Hoc C. Popilio rogante Sylla dictatore ſublatum ne fieret, & omnes qui bonam copiam eiurarent, ne eſſent nexi.*

ABSQVE VLLO EVACVARIO] Apocha euacuatoria, de qua c. XXXV.

QVI SE IN SERVITIO ALTERIVS OBNOXIAT] Formula eſt qua is qui ſupplicio liberatus eſt, ſoluta eius nomine ab aliquo pecunia, *ſtatum ingenuitatis ſuæ obnoxiat*, id eſt ei qui redemit ſeipſum ſubiicit, addicit & in ſeruitutem tradit. Gregor. Turon. lib. VI. cap. XXXVI. *Clericum ſub precio venundari procurant, ea videlicet ratione, vt aut eſſet qui redimeret, aut certè morti addiceretur obnoxius. Cúmque hæc Ætherio Epiſcopo delata fuiſſent, miſericordia motus datis viginti aureis eum ab imminenti exemit interitu.* Leg. Baiuuar. c. II. tit. I. 5. Licebat autem vnicuique ſe in ſeruitutem dare, vt dicam infrà ad Leg. Rom. formulas. CAP. XXVIII.

IAM MORTI ADIVDICATVM DE PECVNIA VESTRA REDEMISTIS] Veteribus quippe Legibus crimina pleraque ita vindicabantur, vt aut reus capite plecteretur, aut pecuniâ redimeretur. Leg. Salicæ tit. LII. & paſſim.

CHARTA DE AGNATIONE SI SERVVS INGENVAM TRAHIT] Hac formula dominus ſerui qui puellam ingenuam rapuit, ſopita controuerſia, cauet vt qui agnaſcerentur ex his nuptiis liberi & ingenui permanerent, non ſerui. Eſt & alia ſub eodem capite formula. Nam ſi mulier ſpontè ſeruo alieno coniuncta ſit, ex Senatuſconſulto Claudiano libertatem amittebat, vt etiam Lege Salica. Heic verò ius illud à domino remittitur, vt qui ex his naſcentur liberi ſint, nec poſſit eos vt ſeruos vindicare, aut manum inücere. CAP. XXIX.

AGNATIONEM TVAM] quod ex te natum erit: adgnaſci pro naſci ſæpe apud Iuriſconſultos. Edictum Theoderici R. cap. LXV. *Neceſſe eſt vt omnis matrem ſequatur agnatio.* Id eſt filij omnes ad dominum ancillæ pertineant.

IN MEO INCLINARE POTVERAM SERVITIO] Mulier quæ ſe alieno ſeruo iunxiſſet, SC. Claudiano libertatem & ſubſtantiam amittebat. Tacitus Annal. XII. quod à Veſpaſiano renouatum diu in vſu remanſit, & à Gallis obſeruatum hinc apparet: ſed in Oriente tandem Iuſtinianus antiquauit. Idipſum Lege Salica cauetur tit. XIV. 7. *Si ingenua fœmina quemcumque de illis* (ſeruis) *ſua voluntate ſequuta fuerit, ingenuitatem ſuam perdat.* Iuo Carnotenſis ep. CCXXI. & CCXLII. Eodem iure Longobardi vſi ſunt. Sic & ingenuus qui alienam ancillam vxorem duxiſſet, ſeruus efficiebatur, Lege Salica tit. XIV. II. tit. XXVII. 5. Quibus conueniunt quarumdam Galliæ prouinciarum leges, *en formariage le pire emporte le bon.*

LIBELLVS REPVDII] Exemplum eſt diuortij, conſenſu coniugum facti, quod aliquando licuit, L. Si conſtante, Cod. De repudiis: atque etiam bona gratia matrimonium diſſoluitur, inquit Hermogenianus in L. LXII. De donat. inter vir. & vxor. quod legi euangelicæ CAP. XXX.



Digitized by Google

aduerſum Conciliorum decretis reprobatum eſt, & à Iuſtiniano quoque Nou. CXVII. Tamen vſum eiuſmodi diuortij etiam inter Chriſtianos inualuiſſe hæc formula oſtendit: eſt & alia adhuc eiuſdem argumenti Leg. Rom. c. XIX.

SIVE AD SERVITIVM DEI IN MONASTERIO ] Ex hac cauſa mutuo conſenſu olim diuertebant. Nou. CXVII c. X. & pluribus probatur à Gratiano XXXIII. q. V. ſed tandem receptum eſt, vt non aliter id ratum eſſet, niſi vterque continentiam profiteretur. Synodi Rhemenſis c. III. Nicolaus PP. ad Carolum Regem. Burchardus lib. IX. c. XLVI. cap. I. cap. Cum ſis. De conuerſione coniugatorum.

AVT COPVLÆ MATRIMONII SOCIARE ] Ex hoc loco apparet tum in vſu fuiſſe, vt poſt diuortium mutuo conſenſu celebratum vir & vxor matrimonium cum aliis contrahere poſſent; quæ conſuetudo Chriſtianæ legi contraria meritò reprobata eſt. Concilium Africanum c. LXIII. Burch. lib. IX. c. LXXII. ex decretis Innoc. PP. *De his requiſiuit dilectio tua, qui interueniente repudio aliis ſe matrimonio copulauerunt, quos in vtraque parte adulteros eſſe manifeſtum eſt.*

CAP. XXXII. INCIPIVNT INGENVITATES ] Variæ ſunt manumiſſionis formulæ, per chartam, ſeu per epiſtolam, quas tum *ingenuitates* vocabant, vt apud Greg. Tur. lib. VIII. c. XLI. Synodi Aurelianenſis IV. c. IX. *Si de ſeruis Eccleſiæ libertos fecerit Epiſcopus in ingenuitate permaneant.* & apud veteres ſæpiſſimè. Fortaſſe quòd libertinitatis ab ingenuitate diſcrimina ab vſu receſſiſſent, & ad ſolam manumittentis domini voluntatem attenderetur, qui pro arbitrio libertis leges dicebat, vt non paucis probari poſſet exemplis. Igitur Marculfi ſæculo manumiſſio triplex, vt antea diximus, per denarium ante Regem, in Eccleſia, & per epiſtolam priuatam. De prima actum eſt cap. XXII. lib. I. De manumiſſione in Eccleſia eſt cap. XII. Formul. Leg. Rom. vbi plura. Hoc autem capite chartæ ſunt & epiſtolæ priuatæ, quibus libertatem dominus ſeruo ſuo concedit. Per epiſtolam manumiſſionem olim datam probat L. Qui abſenti, De adquir. poſſeſſ. & Caius lib. I. Inſtitut. ſeu potiùs Aniani, aut cuiuſpiam alterius epitome. Qui ita manumiſſi erant *chartularij* & *tabularij* dicebantur, vt & qui in Eccleſia ſeruitute liberati fuerant. Capitul. lib. VI. c. CCVIII. Eiuſmodi manumiſſionum exempla poſterioris quidem ætatis, ſed quæ his formulis in multis conueniant ſubiecimus. Ex tabulario S. Laudi à Iohanne Belio habui. PIISSIMVS *Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſalutem humani generis paterno amore deſiderauit: inter alia præcepta quæ fidelibus ſuis dedit, vt æterna vitæ gaudia poſſent adipiſci, præcepit eis debitores ſuos à debitis illorum abſoluere, quo ipſi ad ſummum iudicem ſuorum commiſſorum veniam valeant expectare. Tantæ igitur authoritatis præmio compulſi, dominæque Ermangardis Comitiſſæ gratia precibúſque animati, nos Canonici S. Laudi hunc fidelem noſtrum Radulphum, Eccleſiæ noſtræ vincu-*

Digitized by Google

*lo ſeruitutis obnoxium, ab omni debito ſeruilis conditionis pro animabus noſtris, Goffridique Comitis excellentiſſimi, qui potiſsimus eccleſiæ noſtræ fundator & ornator extitit, omniúmque benefactorum noſtrorum abſoluimus, vt deinceps cum omni fructu ſuo licentia liberali donatus in quamlibet partem mundi eat, nec cuiquam ſucceſſorum noſtrorum eum ab arbitrio ſuo reuocare liceat. Actum Andegauis in clauſtro S. Laudi* IV. *KL. Octobris, anno ab Incarnatione Domini* MCXII. *Indictione* V. *concurrente epacta* I. *Luna* III. *Paſchali PP. ſedem Apoſtolicam obtinente, Ludouico in Gallia regnante, Fulcone adoleſcente Conſulatum Andegauenſem regente, Reginaldo Epiſcopo Andegauenſem Eccleſiam gubernante.*

*Præſentibus & videntibus iſtis impoſuimus nos Canonici S. Laudi manus noſtras ſuper caput Radulfi, ob fauorem & confirmationem libertatis, videlicet, Rodulphus ſacerdos, Rothardus ſacerdos.*

Aliud eiuſdem æui.

*Ego Fulco Comes Andegauorum, & mea ſoror Ermengardis hunc fidelem noſtrum Benedictum nobis vinculis ſeruitutis obnoxium, ab omni debito ſeruilis conditionis pro anima patris noſtri Fulconis, & pro remiſsione malefactorum noſtrorum, abſoluimus, vt deinceps cum omni fructu ſuo licentia liberali donatus, in quamlibet mundi partem eat, nec cuiquam ſucceſſorum noſtrorum eum ab arbitrio ſuo reuocare liceat.*

TANQVAM SI AB INGENVIS PARENTIBVS] His verbis non tantùm libertas data, ſed & iura ingenuitatis conceſſa videntur: quod miror, nam à Principe more Romano impetranda erant: niſi dixeris barbaris vndique Gallias occupantibus hunc morem ab vſu receſſiſſe. Ex quo factum vt id omne ex dominorum arbitrio & beneficio penderet. Et inde paulatim manumiſſio ingenuitas dicta. Nec verò ad Nouellam Iuſtiniani quis referat, per quam ingenuitatis iura omnibus libertis dedit: cùm ſatis conſtet ius Iuſtinianeum tunc Gallis ignotum fuiſſe.

LIBERTINITATIS OBSEQVIVM] Ius patronatus.

PECVLIARI CONCESSO] Peculiare pro peculio. Burchardus lib. II. c. XXVI. & XXX. Vetus Libertatis inſtrumentum ſub Henrico I. R. *Peculiare quod nunc habetis, vel quod deinceps aſſequi potueritis, ſicut vobis placitum fuerit, abſque calumnia poſſideatis, & quietè prout volueritis diſponatis.* Peculium manumiſſo inter viuos tacitè datum videbatur, ſi ademptum non eſſet. L. Si Sticho LIII. De peculio. L. I. Cod. De peculio eius qui mer. lib. Heic autem nominatim conceditur, ſeu dubitationis tollendæ cauſa, ſiue quòd tum non aliter ſeruo manumiſſo peculium competeret, quàm ſi ſpecialiter donatum fuiſſet: quod facilius crediderim. Burchardus lib. II. c. XXIII. ex Concilio quodam Toletano: *De rebus illorum, vel peculiari, qui à dominis propriis libertate donantur, vt ad gradus eccleſiaſticos promoueri debeant, ſtatutum eſt, vt in poteſtate dominorum conſiſtat, quicquid ante libertatem habue-*

Digitized by Google

*runt, vtrum illis concedere voluerint, an ſibi retinere.*

DEFENSIONEM ECCLESIÆ] Manumiſſi in Eccleſia ſub eiuſdem Eccleſiæ tuitione conſiſtebant, videatur Synodus Pariſienſ. III. can. 9. Leg. Ribuar. tit. XL. Denariales qui ante Regem liberati fuerant, Regem patronum & defenſorem habebant. Itaque ſi quis eos occidiſſet, pretium compoſitionis, Chartularij quidem Eccleſiæ ſoluendum erat, Denarialis autem Regi, iiſque Rex aut Eccleſia ſi abſque liberis deceſſiſſent ſuccedebant. At qui per epiſtolam ita manumittebantur, vt nullum obſequium manumiſſor retineret, ſolebant defenſionem Regis aut Eccleſiæ, aut etiam alterius potentis expetere, vt eſſet qui eorum libertatem tueretur, & ab omni iniuria eos vindicaret. Tandémque conſtitutum eſt, vt quibus alius patronus & defenſor deeſſet, horum occiſorum pœna Regi ſolueretur. Capitula Caroli M. Leg. Baiuu. addita. *Qui per chartam ingenuitatis dimiſſi ſunt liberi, vbi nullum patrocinium & defenſionem elegerint, ſimiliter Regi componantur* XL. *ſol.*

INFERAT TIBI CVM COGENTE FISCO LIB. I.] Capitul. lib. III. c. XXVIII. *Si quis per chartam ingenuitatis à domino legitimè libertatem eſt conſecutus, liber permaneat. Si verò aliquis eum iniuſtè inſeruire tentauerit, & ille chartam ingenuitatis ſua oſtenderit, & aduerſarium iniuſtè ſe inſeruire velle comprobauerit, ille qui hoc tentauerit mulctam qua in charta deſcripta eſt ſoluere cogatur.*

CAP. XXXIII. INGENVITAS POST DISCESSVM] Alia manumiſſionis eſt epiſtola, qua poſt mortem dominus ſeruum libertate donat. Greg. Turon. lib. IX. c. XXVI. Ingoberga Chariberti Regis vidua, *ſubitanea ægritudine fatigata, migrauit à ſæculo, multos per chartulas liberos derelinquens.*

CAP. XXXV. EVACVATORIA] Euacuatoria tum dicebatur apocha, qua creditor profitebatur ſibi ſolutam fuiſſe pecuniam: ab euacuanda obligatione, idque cautione amiſſa. Nam heic apparet cautione reddita euacuatoriam non dari, quaſi redditio chirographi ſatis eſſet ad ſolutionem probandam. L. II. De pactis. Securitas etiam dicebatur, præſertim in tributorum ſolutione. Senator Variar. lib. XI. ep. VII. *Meritò ergo teſtimonium ſolutionis ſecuritas dicitur, quo non ſolum animus, ſed ſubſtantia communitur.*

VACVA ET INANIS PERMANEAT] Inde *Euacuatoria.* B. Auguſtinus De cura pro mortuis, *vbi eſſet recautum, quo illa cautio vacuata fuerat indicauit*, qui locus à Cuiacio iam notatus eſt ad tit. De apochis, lib. X. Cod. Theodoſ. & Valentinianus de tributis fiſcalibus, Nouell. lib. I. tit. XXIII. *Cautiones qua expenſarum nomine v. in l. Octauiano emiſſæ ſunt, iuſta ratione vacuamus.* Eo ſenſu vetus B. Pauli interpretes ad Galatas: *Euacuati eſtis in Chriſto, cùm proximè ſuprà dixerit, debitor eſt vniuerſæ legis faciendæ.*

SI ALIQVIS SERVO SVO GASINDO SVO ALIQVID CONCEDERE VOLVERIT] Forma heic traditur donationis, qua dominus ſeruo qui iugiter ei miniſtrabat, aliquantulum agri concedit ab omnibus colonariis functionibus omnino liberum & immune. *Gaſindi* autem nomine vi lib. I. cap. XXXIII. diximus, is ſeruus ſignificabatur, qui non in agris, ſed domi miniſtrat, quem vett. quædam aliæ formulæ & Capitula *miniſterialem de intus caſa* vocant. Leg. Longob. pag. 650.

MANSELLVM] Paruum manſum, qua de re ad lib. I. c. XXII.

PASCVARIVM] Vectigal ex animalium paſtione. Greg. Turon. de miracul. lib. II. c. XVII. *Fuit quidam diaconus qui relicta eccleſia fiſco ſe publico iunxit.* &c. *Accidit autem quadam vice vt ſaltus montenſes, vbi ad æſtiuandum oues abierant, circuiret, atque paſcuaria quæ fiſco debebantur inquireret.*

AGRARIVM] Vectigal agro impoſitum, quod in quibuſdam Galliæ prouinciis nomen retinet *agrier*, ſeu vulgò *champart*, *terrage*. Leg. Baiuuar. cap. I. tit. XIII. *De colonis vel ſeruis Eccleſiæ qualiter ſeruiant vel qualia tributa reddant, hoc eſt agrarium, prouideat hoc iudex, ſecundùm quod habet donet, &c.* Agraticum l. 2. Cod. Theod. de veteran. Heic porro vocula vna reponi debet, quæ in regio exemplari vetuſtate exeſa legi non potuit, ſed ex alio reſtituimus. Ea eſt *vel carropera*, quo nomine operæ continentur quæ cartis ſeu plauſtris fieri debent. Adnunciatio Caroli R. apud Piſtas c. XXIX. *Vt illi coloni tam fiſcales quàm & eccleſiaſtici, qui ſicut in polipticis continetur, & ipſi non denegant, carropera & manopera ex antiqua conſuetudine debent, & margilam & alia quæque carricare, quæ illis non placent renuunt, quoniam adhuc in illis antiquis temporibus fortè margila non trahebatur, quæ tempore aui ac domni & patris noſtri trahi cœpit, & de manopere in ſcuria battere nolunt, & tamen non denegant quia manoperam debent, quicquid eis carricare præcipitur de opera carropere quando illam facere debent, ſine vlla differentia carricent, & quicquid eis de opera manoperæ quando illam facere debent, præcipitur, ſimiliter ſine vlla differentia faciant.* Apud Anſegiſum Capitul. lib. I. c. LXXXI. *carralia opera.*

RIGA] Tributi & vectigalis ſpecies. Vetus Formula: *in ea ratione vt riga exinde in cultura dominica arare & recondere faciam.* item: *in ea ratione vt riga & alios reditus terræ perſoluam.*

GESTA IVXTA CONSVETVDINEM ROMANORVM QVALITER DONATIONES VEL TESTAMENTA LEGANTVR] Conſtantinus in L. I. Cod. Th. De ſponſalibus, teſtatur patrem ſuum nullam voluiſſe liberalitatem valere, ſi actis inſerta non eſſet, hoc eſt vt Anianus interpretatur, nullam donationem de quibuſcumque rebus valere poſſe ſi geſtis non fuerit allegata. L. Data. L. In hac, Cod. De donationibus. Edictum Theoderici R. cap. LXXII. *Teſtamenta ſicut leges præcipiunt allegentur, hoc modo fides voluntatis alienæ titubare non poterit.* Itaque teſtamenta publicari & inſinuari neceſſe erat, L. Teſtamenta CAP. XXXVII.

Cod. De teſtamentis. Publicabantur autem teſtamenta & donationes in vrbe apud Magiſtrum cenſus, in prouinciis apud prouinciarum rectores, vel ſi præſtò non fuiſſent apud Magiſtratus municipales, aut ſi ciuitas illa vel oppidum in qua donatio celebratur, non habeat magiſtratus, apud defenſorem plebis, L. VIII. Cod. Th. De donationibus. Huius inſinuationis & publicationis forma hoc capite continetur. Geſta verò pro publicis actis paſſim dicuntur in conſtitutionibus Imperatorum, & Aniani interpretatione. L. Data Cod. De donationibus: *geſta confici ſuper rebus etiam alibi collatis vbicumque ſufficit*, & L. in donationibus XXXI. Cod. eod. *geſtis alligari.* In L. VIII. Cod. Th. De Donationibus, *Geſtorum*, inquit Honorius *confectionem ſiue ante traditionem ſiue poſt traditionem fieri oportebit, vt inſtrumentum quo continetur munificentia apud acta publicetur.*

REGNANTE REGE ILLO ] B. Ambroſius in Lucam. *Si conſules adſcribuntur tabulis emptionis, quanto magis redemptioni omnium debuit tempus adſcribi! habes ergo omnia quæ in contractibus eſſe conſueuerunt, vocabulum ſummam illic poteſtatem gerentis, diem, locum, cauſam.*

OMNI CVRIA ILLIVS CIVITATIS ] Notum eſt Ciuitates ſub Romano Imperio Curiam ſeu Senatum, Duumuiros ſeu magiſtratus municipales, & Defenſores plebis habuiſſe, oppida autem Defenſores tantùm. In ciuitatibus quæ curiam & magiſtratus habebant, publicatio & inſinuatio actorum fiebat. Anianus ad L. IV. Cod. Th. De teſtamentis. *Teſtamenta omnia vel reliquas ſcripturas, apud Cenſuales in vrbe Roma voluit publicari, hoc eſt, vt in reliquis regionibus apud Curiæ viros teſtamenta, vel quæcumque ſcripturæ actis firmari ſolent, geſtorum alligatione muniantur.* Inde ſæpiſſimè in veteribus donationum formulis, *geſtis municipalibus alligare.* Formul. Leg. Rom. c. III. Incerti Auctor. c. LIV.

OPTIME DEFENSOR ] De defenſoribus ciuitatum tituli ſunt in vtroque Codice, de quibus etiam agitur Nou. XV. Apud eos fiunt inſinuationes teſtamentorum & donationum, teſtationes, depoſitiones; qua de cauſa & archiuum habent, ſiue ſcrinium & ſcriniarium, & exceptores. Alij ſunt defenſores Eccleſiarum ſiue aduocati, alij quoque defenſores illi qui à ſummis Pontificibus ad curanda in prouinciis S. Petri patrimonia ſeu poſſeſſiones delegabantur, quorum officium à Pelagio PP. in epiſtolis, & in Regiſtro Gregorij latè exponitur.

PATERE IVBEATIS ] Quæ ſequuntur vſque ad verba *proſequere quæ optas*, in regio exemplari deerant, ſed ex c. LIV. Formul. Incert. Auct. facilè fuit reſtituere, quod ex ingenio Cuiacius præſtiterat ad Pauli Sent. lib. IV. tit. VI.

CAP. XXXVIII. TEXTVS MANDATI ] Mandatum, vt teſtamentum ſiue donatio apud acta publicetur. In fine teſtamenti Hadoindi Cenomanenſis

Digitized by Google

Epiſcopi, apud Briſſonium, ſubiicitur eiuſmodi mandatum. *Magnificis in Chriſto & ſancta Eccleſiæ filiis Bodilonno & Andranno Hadoindus Epiſcopus. Rogo & ſupplico charitati veſtræ, vt cùm me dominus & creator omnium de hoc ſæculo migrare præceperit, Cenomannis ciuitatem ire faciatis, & ibi teſtamentum meum cùm apertum fuerit vobis proſequentibus, apudque publica, geſtis municipalibus faciatis allegare, vt quod vnicuique per ipſum teſtamentum ſanctis, ciuibus, vel propinquis meis viſus ſum delegaſſe, veſtra diſpenſatione vnuſquiſque iuxta ipſam delegationem percipere valeat, & quicquid exinde egeritis, geſſeritis, ratum & firmiſſimum debeat permanere. Quod mandatum manu noſtra firmauimus, &c.* quæ cum Marculfo omnino conueniunt. Sic in For. Incer. Auctor. c. LV. & Leg. Rom. c. II.

POST RECITATIONEM MANDATI ] Sequitur continuatio Geſtorum & recitatio Teſtamenti.

ARCIPIBVS PVBLICIS ] Archiis, archiuis, ſcriniis: notum eſt.

PRÆSTARIA DE RE ECCLESIÆ AB EPISCOPO FACTA ] Precaria propriè dicebatur libellus quo quis res Eccleſiæ vtendas ſibi dari rogabat, qua de re huius lib. c. v. Hincmarus de diuortio Hlotharij & Tetbergæ ad XII. interrogat. p. 399. *Quod ſuum erat locis ſanctis donant per confirmationem & ſibi vſurpant per occupationem, quod vt ſæculi pauperiores non obtinent per deprecatam preſtationem, immò & ſibi auferunt, & locis ſanctis non tribuunt.* Præſtaria autem vocabatur epiſtola, qua Epiſcopus vel Abbas rem Eccleſiæ concedebat: præſtationis charta, Tradit. Fuldenſ. l. 1. *Ea ratione vt per veſtram preſtationis chartam ad vitam meam illud habere poſſim*, quod alibi ſic exprimitur, *vt quod trado per veſtram preſtariam ad vitam meam poſſideam.* Hincmarus Ludouico R. apud Flodoard. Hiſt. Rhemenſ. lib. III. c. XX. *Qualiter ſanctus Clodoaldus (villam Dudiciacum) ſancto Remigio dederit, & quomodo Carolus Pipini Regis filius eandem villam apud Tilpinum Archiepiſcopum obtinuerit in preſtariam.* Idem lib. III. c. XXVI. ex eiuſdem Hincmari epiſtolis: *Bernardo Comiti Toloſano propinquo ſuo, pro rebus Rhemenſis Eccleſiæ in Aquitania coniacentibus, quas ille in preſtariam ſibi concedi petebat.* CAP. XL.

INDICVLVS EPISCOPI QVI AD ALIVM IN RESVRRECTIONE DOMINI EVLOGIAS DILIGIT ] Solebant olim Epiſcopi in præcipuis ſolemnitatibus, vt in Paſchate aut Natali Domini, litteris Coëpiſcopos, Reges & amicos viſitare, & eulogias mittere, quò pertinet hoc Marculfi caput cum tribus ſequentibus. Eulogia verò benedictio eſt, atque etiam res quæcumque ſiue panis, ſeu ſal, ſeu vinum, aut aliud eiuſmodi cui benedictio illa acceſſit, eulogia dicitur. Eulogiæ quidem nomine ſal, aut panem catechumenis datum fuiſſe loco communionis, ex Synodo Carthaginenſi & B. Auguſtino notat eruditiſſ. Fr. Pithœus in Gloſſar. vnde & loco communionis quæ fit CAP. XLII.

gulis dominicis diebus fiebat, poſtea receptum eſt, vt panis benedictus fidelibus non communicantibus daretur, qui vno verbo eleganter Græcis *ἀντίδωρον*. Balſamon ad Synodum Antioch. cap. 2. Honorius in Gemma animæ lib. I. cap. LXVII. Eulogiarum autem mittendarum morem antiquiſſimum eſſe conſtat. B. Auguſtinus ep. XXXIV. *Panis quem miſimus, vberior benedictio fiet dilectione accipientis benignitatis veſtræ.* Paulinus & Theraſia ad Auguſtinum, inter B. Auguſt. epiſtolas ep. XXXI. *Panem vnum quem vnanimitatis indicio miſimus charitati tuæ, rogamus accipiendo benedicas.* Paulinus epiſtola ad Alypium, quæ eſt XXXV. inter epiſtolas B. Auguſtini: *hunc panem eulogiam eſſe tu facies dignatione ſumendi.* Gregor. Turon. lib. IV. c. XVI. *Chramnus ad Baſilicas ab antedicto ſacerdote ſuſceptus eſt, ibique comedens panem ad Childericum pertendit.* lib. VI. c. V. Chilpericus *poſtulat vt accepta benedictione diſcedere, &c. hæc dicens aquam manibus porrigi iubet, quibus ablutis facta oratione, accepto pane, gratias Deo agentes, & ipſi accepimus & Regi porreximus, &c.* lib. VIII. cap. II. *Surrexi ad occurſum eius, & data oratione deprecor, vt in manſione mea eulogias B. Martini dignaretur accipere. Quod ille non reſpuens, benigno animo ingreſſus hauſto poculo, admonitis nobis, ad conuiuium latus abſceſſit.* Idem de Gloria Confeſſor. cap. XXXI. Benedictionem vocat Sulpitius Seuerus Dialogo 2. Flodoardus Hiſt. Rhemenſ. lib. II. c. XI. de S. Rigoberto Epiſcopo: *Hic venerabilis præſul Pipinum maiorem domus regiæ traditur amiciſſimum habuiſſe, cui eulogias pro benedictione crebrò ſolebat mittere.* Ad eulogias pertinet quod in Vita Ludeuuici Pij dicitur Carolum M. filium interrogaſſe *cur Rex cùm eſſet, tanta tenuitatis eſſet in re familiari, vt nec benedictionem quidem niſi ex poſtulato ſibi offerre poſſet, &c.* Sangallenſis lib. I. c. XIII. Capitul. lib. VI. c. LXV.

CAP. XLVIII. SVPPLICATVRIO PRO EO QVI IN MONASTERIO CONVERSARE DESIDERAT] Preces ſunt, ſeu potiùs commendatitiæ litteræ Abbati factæ, vt in cœnobio aliquem qui monachus fieri cupit recipiat. Conuerſare enim tum vſurpabatur pro monachum fieri. Quaſi dicas in monaſterio degere.

CAP. XLIX. INDICVLVS GENERALIS AD OMNES HOMINES] Indiculus pro omni epiſtola & libello accipitur, vt libro I. diximus. Hic autem qui generalis dicitur epiſtola eſt commendatitia Epiſcopi, vt veriſimile ſit, quâ is qui limina Apoſtolorum peregrinationis causâ petit, omnibus Epiſcopis commendatur, & Principibus per quorum ditiones iter facturus eſt.

NON, VT PLERISQVE MOS EST VAGANDI CAVSA] Ideo Concilio Cabilonenſi ſub Carolo M. c. XLIV. & XLV. prohibitum eſt Romam ſiue Turonum abſque licentia Epiſcopi ſui adire. *Sunt pauperes*, inquit, *qui vel ideo id faciunt, vt maiorem habeant materiam mendicandi,* Burchardus lib. XIX.

QVALITER EX ORDINATIONE REGIS PRO NATIVITATE FILII SVI DOMESTICVS, &c.] Superiore libro formula eſt mandati regij ad Domeſticos & Comites dati, quo iubet Princeps, vt propter filij natiuitatem in vnaquaque fiſcali villa tres ſerui manumittantur. Hoc autem capite forma proponitur, qua Domeſticus, vt regio mandato ſatisfaciat, ſeruos fiſcales manumittit. CAP. LIII.

DOMESTICVS] Dignitas fuit non contemnenda, ſub prima & ſecunda Regum noſtrorum familia. Nam inter præcipuos regni miniſtros domeſtici ſæpe enumerantur, & in præfatione Leg. Burgundion. *Sciant itaque Optimates, Comites, Conſiliarij, Domeſtici, & Maiores domus noſtræ.* & cùm munera in iudicio accipere prohibeantur, eos quoque iudicaſſe dici poteſt: Sic Leg. Ribuar. tit. xc. *Vt Optimates, Maiores domus, Domeſtici, Comites, grafiones, cancellarij, vel quibuſlibet gradibus ſublimati in prouincia Ribuariæ in iudicio reſidentes munera ad iudicium peruertendum non recipiant.* Hos etiam Regi iudicanti adſediſſe probat Marculfus ipſe lib. I. dum inter miniſtros & officiales qui Regi adſiderent Domeſticos recenſet. Quod autem proprium Domeſticorum munus fuerit, non ſatis conſtat. Nec enim iidem ſunt, qui aulæ Conſtantinopolitanæ Domeſtici, quos planum eſt Scholis palatinis & militaribus excubiis præfuiſſe, de quibus tit. De domeſticis & protectoribus in vtroque codice. Apud Francos verò expenſas Regi ad placita proficiſcenti ſuppeditaſſe & neceſſaria quæque præparaſſe domeſticos, ex Gregorio Turonenſi apparet. Sic enim ille lib. IX. cap. XXVIII. *Fuerunt etiam ad hoc placitum multi de regno eius tam Domeſtici quàm Comites, ad præparanda regalis expenſæ neceſſaria.* Ex hoc tamen Marculfi loco, nil clarius eorum officio: quippe *Domeſticus* dicitur *ſuper villas regis*, vt planum ſit Domeſticos villis fiſcalibus & fundis dominicis præfuiſſe & omnes reditus curaſſe.

## AD VETERES FORMVLAS INCERTI AVCTORIS.

NOTITIA DE COLONO EVINDICATO] Exemplum eſt ſententiæ inter Aduocatum ſeu Defenſorem Eccleſiæ, qui vindicat aliquem in colonum fundi eccleſiaſtici, & ipſum colonum qui aſſerebat ſe liberum. Sed cùm id probare non potuiſſet, nec die dicta ad ſacramentum cum aliis præſtandum adfuiſſet, conuictus ipſe agnouit ſe colonum. Itaque per Vicarium Comitis Aduocato redditus eſt. Qua de re conficitur inſtrumentum, vt omnibus id notum fiat. Vnde & Notitia appellatur. Chronicon Beſuenſe: *Notum ſit poſteris, & memoriæ commendetur quod*, &c. infrà pag. prox. Alio ſenſu notoriæ vocabulum CAP. I.

vſurpant Iuriſconſulti, pro relationibus quæ ab Irenarchis, Stationariis, officio præſidis, &, vt ait D. Auguſtinus ep. CLIX. ab his ad quos tuendæ pacis vigilantia pertinebat, in criminibus fieri ſolebant. l. 7. ad Sc. Turpillian. l. 31 Cod. Th. de Epiſcop. & cleric. l. 7. Cod. de accuſat.

ADVOCATVS SANCTI ILLIVS ] Defenſor ſiue protector Eccleſiæ, aut monaſterij, qui res & iura eius tam in iudicio quàm extra iudicium tuetur & actiones exercet, Ἔκδικος. Nam ex Synodo Carthaginenſi cap. LXXV. inducta eſt aduocatorum defenſio pro cauſis Eccleſiæ.

CASAM DEI ] Eccleſiam, alibi *donatio ad caſam Dei*, & paſſim.

ADRHAMITVM ] Promiſſum. Adrhamire enim eſt iureiurando cauere ſe certa die & certo loco ſolemniter iuraturum: *de ſacramento fidem facere* in Leg. Ribuar. tit. LXVIII. Capitul. lib. III. cap. LVIII. *Vt ſi ſacramenta ad palatium fuerint adrhamita, in palatio perficiantur.* lib. IV. c. XXVIII. *Vbi antiquitatis conſuetudo fuit de libertate ſacramenta adhramire vel iurare*, & cap. XXIX. Leg. Sal. tit. XXXIX. infrà cap. prox. *Vnde tale ſacramentum per ſuam fiſtucam viſus fuit adhramire.*

TENSANDVM ] Retinendum, vt libertatem retineret.

RACIMBVRGIOS ] Comites non ſoli, ſed adſidentibus ſeptem vt plurimùm conſiliariis ius dicebant, qui *Racimburgi* vel *rachimburgi* dicebantur. Leg. Salicæ tit. LII. 3. *Tunc graſio congreget ſecum ſeptem Rachimburgios.* & tit. LX. Leg. Ribuar. tit. LVII. Capitula Pipini R. *Si cauſa ſua ante ipſum Comitem fuit & ante Racemburgos.* infrà c. VI. Eoſdem Scabineos dictos eſſe exiſtimo, ſi quidem Scabinei iudices erant, & ſeptem numero Comiti adſidebant. Capitul. lib. III. c. XL. *Vt nullus ad placitum banniatur, niſi qui cauſam ſuam quærit, aut ſi alter ei quærere debet: exceptis ſcabineis* VII. *qui ad omnia placita præeſſe debent.* Qua occaſione lubet exſcribere ex Beſuenſis monaſterij Chronico Comitis & Scabineorum iudicium, quo tam hæc formula, quàm ſequentia capita quæ eòdem fere pertinent, non parum illuſtrantur.

*Notum fiat poſteris, & memoriæ commendetur, quòd ante illuſtrem virum Hildegarium Comitem; ſeu Iudices quos Scabinos vocant, & quamplures perſonas qui cum eo aderant in Montaniaco villa, in mallo publico ad multorum cauſas audiendas & recta iudicia terminanda, ibi veniens Betto Epiſcopus [ Lingonenſis ] & Aduocatus ſuus Burgoardus nouem legitimos teſtes ibi preſentauit, quorum nomina hæc ſunt, Simeon, Agano, Bertchrannus, Gono, Machirius, Adalardus, Gerino, Gerento, Syrannus. Iſti teſtificauerunt & iurauerunt de finibus Beſuenſis monaſterij, quòd à fine Pomenſe, & à fine Vendobrinſe, & Vvaurenſe, & Tillenſe, & Vetuſnimenſe, & Buſtellenſe, & Buſtenſe, & Lucenſe, & Burburenſe, & Berecholpo villare, per iſtas marcas inter ipſos fines*

Digitized by Google

*immunitas ſit S. Petri ad integrum, & in alio loco boſco communitas ad integrum: & ab ipſo fine Buſtulenſe vſque ad viam petroſam, & deinde vſque ad ſtradam fractam, & deinde vſque ad finem Burburenenſem immunitas eſt S. Petri ad integrum. Per iſtas marcas euntes ipſi nouem teſtes quos ſuprà nominauimus, miſſo ſecum Balacterio illuſtri viro, ab Hildegario Comite, & à ſuis Scabinis, dixerunt, & per indicium teſtificauerunt, quòd à tempore Pipini Regis & deinceps per tempora domni Caroli Imperatoris vidiſſent inde legitimas veſtituras ad partem S. Petri haberi, ita vt nec Aldo, nec heredes ſui vllam legitimam veſtituram exinde vnquam habuiſſent, ſed per legem & per iuſtitiam veſtitura S. Petri fontis Beſuenſis erat. Tunc ipſi ſcabinei vnanimiter iudicauerunt, quòd omni tempore ipſæ res per illas marcas ad partem S. Petri eſſent vindicatæ atque legibus conquiſitæ. His præſentibus teſtibus Balacterio, Madaberto, Beato, Eppleno, Baldrico, Auſino, Vvormerio, Milone, Albrico notario, Feilagio, Leudumo, Arberto, Vvalterius præſens fuit & ſubſcripſit. Data notitia die mercoris proxima, in menſe Maio, Anno II. regnante domno noſtro Lugdouico Rege atque Imperatore.*

PRO COLONO ] Gloſſæ vett. Colonus δουλοπάροικος. Coloni liberi quidem non ſerui erant, obnoxiæ tamen ſortis & conditionis. Leg. Alaman. tit. IX. & XXIII. *Liberi eccleſiaſtici quos colonos vocant*, quos tamen frequentiſſimè ſeruis adiungi & connumerari reperias: nam ad tributa & ſeruiles operas tenebantur. Leg. Baiuuar. c. I tit. XIII. *De colonis vel ſeruis Eccleſiæ qualiter ſeruiant, vel qualia tributa reddant, &c.* Adnunciatio Caroli apud Piſtas c. XX. *Si quis reputatus fuerit menſuram adulteraſſe, & cum maiori modio vel ſextario annonam vel vinum accepiſſe, vt cum minori menſura venundaret, ſi liber homo eſt, aut ſecundum ſuam legem ſe inde ſacramento idoneum reddat, aut &c. ſi autem colonus vel ſeruus inde reputatus fuerit, aut iudicio Dei ſe examinet, aut ſi inde conuictus fuerit, hoc vt ſuprà diximus vnde menſuram adulterauit perdat, inſuper & virgis nudo corio vapulet.* Sanè iure Romano, vt antea diximus, nec prædia receptis colonis vendi legariue poterant, L. Si quis inquilinos CXII. De legatis I. L II L. XII. De agricolis & cenſ. Cod. lib. XI. In donatione Haganonis ad S. Martinum Turonenſem imperante Ludouico: *Fridegiſo Abati trado manſum noſtrum indominicatum, &c. cum hominibus ibidem commorantibus quos colonario ordine viuere conſtituimus.*

RECOGNOVIT ET RECREDIDIT ] Recredere eiuſmodi ſcriptoribus reſtituere eſt & reddere. Iuo epiſt. CCLXXV. *Dicit Comes quòd libenter reddet aut recredet Comitem Niuernenſem.* Vetus inſtrumentum in tabulario S. Martini Turonenſis anno III. Rodulfi R. *Et ſic ex ipſis decimis ſeſe recredidit & per fiſtucam guerpiuit.*

VICARIVS ] Comitis, Gregor. Turon. lib. X. c. V. *Reſponderunt hoc Animondi Vicarij dolo qui pagum illum iudiciaria regebat poteſtate*

*factum fuiſſe*, & lib. VII c. XXIII. de Armentario Iudæo qui Turonum ciuitatem venit *ad exigendas cautiones, quas ei propter tributa publica Iniurioſus ex-vicario, ex-comite verò Ennomius depoſuerant.* Quibus locis videtur Gregorium ſenſiſſe de Vicario qui per prouinciam vices Comitis agebat, quíque poſtea Vicecomes appellatus eſt. Erant enim & alij minores Vicarij, quorum ſinguli ſub eodem Comite certis territoriis præerant, ideóque à Vvalafrido plebanis & parochis Eccleſiarum comparantur. Capitul. lib. II. c. XXVIII. *Habeat vnuſquiſque Comes vicarios, & centenarios ſuos ſecum.* Hincmarus ep. IV. cap. XV. *Comites & Vicarij, vel etiam Decani plurima placita conſtituunt.* Idem Epiſtola pro Epiſcopis Galliæ & Germaniæ cap. III. *Regum Comites in ciuitatibus ſuis, & Comitum Vicarij in plebibus.* Inde frequenter veteribus inſtrumentis *in pago illo, in Vicaria illa.* Hodie *Viguiers.*

ACCIPERE DEBERE] Leg. Ribuar. tit. LXI. *Hoc itaque conſtituimus, vt quicumque in cauſa victor extiterit, ſemper iudicium conſcriptum accipiat.*

CAP. II. CHARTA SACRAMENTALIS] Qua ſtatuitur, vt qui pro colono vindicatus ſe liberum aſſerit, manu ſextadecima propinquorum, certa die in Baſilica Sancti alicuius iuret ſe liberum eſſe.

IN MALLO PVBLICO] Mallus, placitum maius, vbi maiora negotia à Comite finiebantur. Leg. Salicæ tit. I. XLVI. XLVIII. LVI. LIX. LX. Capitul. lib. III. c. XXVIII. LI. LVII. & lib. IV. c. XXVIII. *Vbi antiquitus conſuetudo fuit de libertate ſacramenta adrhamire vel iurare, ibi mallum habeatur & ibi ſacramenta iurentur. Mallus tamen neque in Eccleſia, neque in atrio eius habeatur. Minora verò placita Comes ſiue intra ſuam poteſtatem, vel vbi impetrare potuerit habeat. Volumus itaque vt domus à Comite in loco vbi mallum tenere debet conſtituatur, vt propter calorem ſolis & pluuiam publica vtilitas non remaneat.* Adnunciatio Caroli R. apud Piſtas cap. XXXII. *Vt conlimitanei & vicini Comites in vna die, ſi fieri poteſt, mallum non teneant, maximè poſt octauas Paſcha, propter Francos homines & Aduocatos, qui ad vtrumque mallum non poſſunt occurrere, ſed mittant ſibi inuicem miſſos, & ſi vnus die Lunis mallum habuerit, alter die Iouis, aut die Lunis ſequentis hebdomada mallum habeat. Et ne graue ei ſit qui ſuum mallum interiecit, qui vno anno primus tenuerit mallum, ſequenti anno conſentiat alteri primum tenere. Et ſi ſacramenta legalia in primo die Lunis poſt Paſcha iuranda deuenerint, aut in aliis feriis quando mallum tenere debuerat, mittat quiſque Comes miſſum ſuum qui ipſa ſacramenta auſcultet, ne ipſi homines iectiui inueniantur, & ipſe ſic mallum ſuum teneat, vt barigildi eius & aduocati qui in aliis Comitatibus rationes habent ad ſuum mallum occurrere poſſint.* Synodi Meldenſis c. LXXVI. Paſſim in formulis quæ ſequuntur.

Romæ etiã nunc Barigeldo.

APVD PROXIMIORES PARENTES SVOS] Inde in Lege Salica tit. LXIII. qui cognationi renunciat dicere debet *quòd ſe de iura-*

*iuramento & de hereditate & de tota illorum ratione tollat.*

NOCTES] Tacitus de Germanis: *Nec dierum numero vt nos, ſed noctium computant, ſic conſtituunt, ſic condicunt vt nox ducere diem videatur.* Sæpiſſimè in Lege Salica, Capitulis, hiſtoricis, veteribus inſtrumentis, vt ad Capitula Caroli M. doctiſſ. Fr. Pithœus obſeruat. Quo fit vt ad hæc vſque tempora plerique *annuit*, quaſi *hac nocte* pro *hodie* vſurpent.

IECTIVVS] Suprà ad Marcul. lib. I. c. XXXVIII. Adnunciatio Caroli R. apud Piſtas cap. XXXIII. *Multi inde contendunt, & ſe inter ſe iectiſcunt.* poſtea: *Suum ſacramentum ſe iurare debere contendant, & contra cauſatores ſuos, ſi ad hoc audiendum non venerint iectiſcant.* CAP. IV.

RACHIMBVRGIIS] De quibus ſuprà cap. I. CAP. IV.

MISSOS DOMNI ET GLORIOSISSIMI REGIS] Miſſos dominicos, infrà hoc ipſo capite. Pipinus Maior domus in diplomate pro S. Dionyſio: *Omnibus Epiſcopis, Abatibus, Ducibus, Comitibus, domeſticis, graſionibus, vegariis, centenariis, vel omnibus miſſis noſtris diſcurrentibus, ſeu quacumque iudiciaria poteſtate preditis.* Quater in anno à Principe legati per prouincias mittebantur, vt ſiquid Epiſcopi aut Comites negligentiùs egiſſent, per eorum admonitionem corrigeretur: hiſque quibus à Comite ius dictum non eſſet illi dicerent, & pleraque negotia Regis nomine perficerent, aut ad eum referrent: conſtitutiones quoque Principum ſeu capitula ab iis per prouincias tranſmittebantur & annunciabantur. Capitul. lib. II. c. XVIII. XXVI. XXVII. XXVIII. lib. III. cap. XIV. XVII. LXXXIII. LXXXV. LXXXVIII. & paſſim. Horum officium præclarè deſcribit Flodoardus Hiſt. Rhem. lib. II. c. XVIII. CAP. VII.

ATQVE ELIDIATA SIT] Corrupta hæc ſunt, ſed ita reſtituenda crediderim, *Vt ipſam terram ipſe Abas habeat euindicatam atque elitigatam, ne ſit poſtmodum ex hac re omnique tempore ſubita cauſatio.* Elitigata, pro extra litem & controuerſiam poſita, quæ vox frequentiſſima eſt in Variis Formulis.

IN GRAFIA ILLA] In illo Comitatu. Grafiones enim Germanica lingua pro Iudicibus & Comitibus vſurpantur, Auentinus lib. VII. ad an. MCCLXXXV. *Eodem anno Cæſar VIII. KL. Ianuarias Auguſtam in confinio Rhetiæ atque Vindeliciæ concilium procerum conuocat. Albertum Halluſium in claſſem præfectorum, quos nos Graphios, litteratores Comites vocant, refert.* Rigordus in Vita Philippi Auguſti R. ad an. MCCVIII. *Eodem anno quidam Comes Palatinus, qui eorum lingua Landgraf vocabatur, id eſt Comes Palatij, &c.* Sic enim ex veteribus libris legendum eſt. Carlomannus R. in Synodo an. DCCXLII. *Decreuimus quoque vt ſecundùm canones vnuſquiſque Epiſcopus in ſua parochia ſollicitudinem habeat, adiuuante Grafione qui defenſor Eccleſiæ eius eſt, vt populus Dei paganias non faciat.* Ibi enim Grafio Comes eſt. Sic in Lege

V u

Digitized by Google

Salica & veteribus aliis Legibus Grafionis vocabulum accipitur.

CAP. VIII. INGENVITAS ] Exemplum manumiſſionis à Senonenſi quodam Archiepiſcopo factæ Ludouico Pio imperante, qua ſecundùm eius conſtitutionem Archiepiſcopus ſeruum ſuum in Eccleſia manumittit, vt ad ſacros ordines poſſit promoueri.

STATVIT VT EPISCOPI ATQVE ABATES ] Illud ipſum antea cautum erat Synodo Aurelianenſi III. ſub Childeberto R. c. XXV. Vita Ludouuici Pij: *Conſiderans idem piiſſimus Imperator, non debere Chriſti miniſtros obnoxios eſſe humanæ ſeruituti, &c. ſtatuit vt quicumque ex ſeruili conditione, conciliante ſcientia & morum probitate, ad miniſterium altaris adſciſcerentur, primùm manumittantur à propriis dominis, vel priuatis, vel eccleſiaſticis: & tunc demum gradibus altaris induantur.* Quæ eadem continuationi Aimoini inſerta ſunt lib. v. cap. x. Capitul. lib. I. cap. LXXXVIII. *De ſeruorum ordinatione &c. ſtatutum eſt vt nullus Epiſcoporum deinceps eos ad ſacros ordines promouere præſumat, niſi priùs à dominis propriis libertatem conſecuti fuerint:* & quæ ſequuntur, quod ipſum iiſdem verbis refertur ex incerto quodam Concilio Toletano à Burchardo lib. II. cap. XXXI. & ab Iuone Decreti par. VI. cap. CLXXXII. Antea etiam id ſæpe conſtitutum: nam & in eandem ſententiam citatur ab eodem Burchardo & Gratiano auctoritas Leonis PP. Præterea Synodi Aurelianenſis III. ſub Childeberto R. cap. XXI. nominatim cautum apparet, *Vt nullus ſeruilibus colonariiſque conditionibus obligatus, iuxta ſtatuta Sedis Apoſtolicæ ad honores Eccleſiaſticos admittatur, niſi teſtamento aut per tabulas conſtiterit eum abſolutum.* Eòdem pertinet Nouel. CXXIII. §. Si ſeruus c. XVII. Sic ratiociniis obnoxij ordinari non poterant. l. 4. Cod. de Epiſcop. & cleric. Concilium Carthaginenſe can. VIII. & IX. Burchardus lib. II. cap. XXXVI. Iuo part. VI. c. XXCVII. Gratianus diſt. LIV. can. IV. vbi falsò tribuitur Moguntinenſi. cap. II. de obligatis ad ratiocinia ordinandis, vel non. Id innuit Thomas Cantuarienſis apud Rogerum Houedenum Annal. part. poſter. anno 1165. *Mandauit ei Rex vt redderet ei plenariam computationem de omnibus receptis quæ receperat de redditibus regni quamdiu Cancellarius fuerat. Reſpondit Thomas, in electione mea Henricus filius eius, & omnes Barones, Scaccarij, & Richardus de luci Iuſtitiarius Angliæ clamauerunt me quietum Deo, & ſanctæ Eccleſiæ de omnibus receptis & computationibus, & ab omni exactione ſæculari, ex parte domini Regis: & ſic liber & abſolutus electus fui ad huius officij adminiſtrationem.*

PERMISSV IPSIVS LIBERTATE DONENT ] Innuit ſeruos Eccleſiarum, de quibus heic agitur, non potuiſſe manumitti etiam ordinandi gratia, ſine Principis auctoritate, cùm alienationis ſpecies videatur.

HLVDOVICI AVGVSTI AVCTORITATE QVÆ SENONIS IN ARCIBO ECCLESIÆ EPISCOPII SERVATVR ] Capitul.

lib. I. cap. LXXXVIII. *De Eccleſiarum verò ſeruis communi ſententia decretum eſt, vt Archiepiſcopi per ſingulas prouincias conſtituti noſtram auctoritatem, ſuffraganei verò illorum, exemplar illius penes ſe habeant. Et quandocumque de familia Eccleſiæ vtilis inuentus aliquis ordinandus eſt, in ambone ipſa auctoritas coram populo legatur, &c.* Burchardus lib. II. cap. XXXII. Synodi Triburienſis c. XXV.

IN ARCIBO] Archio, archiuo.

EPISCOPII] Domus Epiſcopi. Synodi Meldenſis c. XXVI. *Suggerendum eſt & ex diuino mandato intimandum Regiæ maieſtati, vt Epiſcopium quod domus Epiſcopi appellatur &c. venerabiliter ac reuerenter introeat, & ſecundum ſanctam prædeceſſorum conſuetudinem, quando orationis & debitæ ſuſceptionis gratia in tranſitu conuenienti ciuitatem ingreſſus fuerit, habitaculis epiſcopalibus reuerenter inhabitet.*

CENSEO TE ATQVE STATVO ANTE SACRI ALTARIS CORNV] Manumiſſio in Eccleſia ante altaris cornu ſolita celebrari, Formul. Leg. Rom. c. XII. Capitul. lib. I. c. LXXXVIII. *In ambone ipſa auctoritas coram populo legatur, & coram ſacerdotibus vel coram fidelibus laicis ante cornu altaris, ſicut in noſtra auctoritate continetur, remota qualibet calliditate libertatem conſequatur, & tunc demum ad gradus eccleſiaſticos promoueatur.* Leg Longob. lib. II. tit. XXXV. lib. III. v. IX. *circa ſacrum altare manumiſſus.* Exemplum manumiſſionis apud Burchardum lib. II. c. XXVI. *Ego Burchardus VVormatienſis Eccleſiæ Epiſcopus quendam Eccleſiæ noſtræ famulum nomine Eberhardum, ſacris ordinibus oblatum, ad altaris cornu, nobilium virorum in præſentia per hoc auctoritatis teſtamentum ſtatuo, ita vt ab hodierno die & tempore bene ingenuus, atque ab omni ſeruitutis vinculo ſecurus permaneat.* Seruos autem qui manumittebantur vt clerici fierent, alibi quàm in Eccleſia manumitti non potuiſſe, docet idem Burchardus cap. XXVIII.

CIVEMQVE ROMANVM APPELLARI] Qui in Eccleſiis manumittebantur, ciues Romani, non Latini fiebant, maximámque libertatem conſequebantur, ex conſtitutione Conſtantini L. I. Cod. Th. De manumiſſ. in eccleſ. Ideóque hæc clauſula inſtrumentis libertatis apponi ſolita. Formul. Leg. Rom. c. XII. B. Gregorius PP. Regiſt. lib. V. epiſt. XII. *Vos Montanum atque Thomam famulos ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, cui Deo adiutore deſeruimus, liberos ex hac die ciuéſque Romanos efficimus, omnéque veſtrum vobis relaxamus ſeruitutis peculium.* Cuius tamen appellationis Caroli M. & Ludouici Pij ſæculo non aliam vim fuiſſe exiſtimo, quàm vt Lege Romana manumiſſi vterentur.

NVLLI HOMINVM QVICQVAM DEBEAS SERVITII ATQVE OBSEQVII] Hinc apparet non tantùm ſeruos, ſed etiam libertos qui obſequiis erga patronos tenerentur, ordinari non potuiſſe. Debet enim ab aliis immunis eſſe qui diuinæ militiæ aggregandus eſt,

vt Leonis PP. verbis vtar. Synodus Toletana apud Burchardum lib. II. cap. XXV. *Quicumque libertatem à dominis ſuis ita percipiunt, vt nullum ſibimet in eis obſequium patronus retentet, iſti ſi ſine crimine capitali ſunt, ad clericatus ordinem ſuſcipiantur, quia directa manumiſſione abſoluti eſſe noſcuntur: qui verò retento obſequio manumiſſi ſunt, pro eo quod adhuc patrono ſeruituti tenentur obnoxij, nullatenus ſunt ad eccleſiaſticum ordinem promouendi, ne quando voluerint eorum domini, fiant ex clericis ſerui.*

Canonicis admoniti sanctionibus vt si qua deinceps prædia] In Capitulis idipſum ſtatuitur: lib. I. cap. LXXXVIII. *Si poſt ordinationem aliquid adquiſierit, illud obſeruetur quod in canonibus de conſecratis nihil habentibus conſtitutum eſt.* Canonicæ autem ſanctiones illæ, de quibus heic & in Capitulis, ſunt ſynodorum decreta, quibus ſtatuitur, vt clerici qui nihil habentes conſecrati ſunt, ſi poſtea aliquid adquiſierint, id omne ad Eccleſiam pertineat. Synodi Carthaginenſis III. c. XLIX. *Placuit vt Epiſcopi, presbyteri, diaconi, vel quicumque clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore epiſcopatus vel clericatus ſui agros vel quæcumque prædia nomine ſuo comparant, tanquam rerum dominicarum inuaſionis crimine teneantur, niſi admoniti Eccleſiæ eadem ipſa contulerint.* Iuſtinianus idipſum ſanxit Nouell. CXXXI. cap. XIII. contra id quod olim obſeruabatur ex conſtitutione Leonis & Anthemij l. XXXIV. Cod. de Epiſcop. & cleric. Burchardus: *Vt vnuſquiſque presbyter res quas poſt diem conſecrationis acquiſierit, propriæ Eccleſiæ relinquat.* Idem Burch. lib. III. c. CXVIII. ex Synodo Rhemenſi refert hæc verba: *Inueſtigandum ſi nihil patrimonij habens presbyter quando prouectus eſt ad ordinem eccleſiaſticum, poſtea emerit prædia, cuius iuris ſint; quoniam Eccleſiæ ad quam de nihil habente promotus eſt, eſſe debent, iuxta canonicam authoritatem.* Eadem verba extant in cap. I. De peculio clericorum, quæ tamen citantur ex Concilio Arelatenſi.

Cap. IX. Mandatvm] Continet ſimplex mandatum ſeu procurationem litigandi cauſa, vt & ſimilis eſt apud Marculfum lib. I. c. XXI. & lib. II. c. XXXI.

Cap. X. Tractvria pro itinere peragendo] Tracturia pro Tractoria. Nam heic forma quædam quaſi Tractoriæ refertur, qua Epiſcopus eum cui ob delicta pœnitentiæ cauſâ peregrinatio indicta fuerat, commendat iis ad quos iter faciens peruenerit, vt ſciant non alia ex cauſa illum peregrinari, nec vagari. Itaque rogat vt ei manſionem & focum, panem & aquam præſtent. De Tractoria dictum eſt ad Marcul. lib. I. c. XI.

Centenariis] Singuli Comitatus in Centenas ſeu territoria quædam diuidebantur, quibus Minores Iudices præerant ſub Comitis diſpoſitione, qui à Centena Centenarij dicebantur. Synodi Cabi-

Digitized by Google

lonenſis ſub Carolo M. cap. xxi. *Comitibus & iudicibus hoc ſummopere obſeruandum eſt vt iuſtè iudicent.* paulò pòſt: *Sed & miniſtros quos Vicarios & Centenarios vocant, iuſtos habere debent.* Qui tamen non de omnibus cauſis, ſed de minoribus tantùm iudicabant. Capitul. lib. iv. cap. xxvi. *Omnis controuerſia coram Centenario definiri poteſt, excepta redditione terræ, & mancipiorum, quæ non niſi coram Comite fieri poteſt.* lib. iii. c. lxxix. *Vt nullus homo in placito Centenarij neque ad mortem, neque ad libertatem ſuam amittendam, aut ad res reddendas vel mancipia iudicetur: ſed iſta in præſentia Comitis vel Miſſorum noſtrorum iudicentur.* Centenarios porro per pagos ſtatutos eſſe ſcribit Vvalafridus Strabo, & planè eoſdem cum Vicariis facit, quos etiam cum presbyteris Eccleſiarum baptiſmalium qui minoribus presbyteris præſunt comparat.

Decanis] Minimi ſunt iudices ſub Centenariis, & à Vvalafrido minoribus presbyteris conferuntur. Hincmar. ep. iv. c. xv. *Comites & Vicarij, vel etiam Decani plurima placita conſtituunt, &c.*

Mansionem ei et focvm panem et aqvam largire dignemini] Capitula quædam Caroli M. & Ludouici Pij MSS. c. xvi. *Vt infra regna Chriſto propitio noſtra omnibus iterantibus nullus hoſpitium deneget, manſionem & focum tantùm, ſimiliter paſtum nullus contendere faciat excepto prato & meſſe.*

Qvid plvra ad sapientes] Clauſula qua commendatoriæ epiſtolæ claudi ſolebant, vt & aliæ. In Hiſtoria Auguſta: *Dictum ſapienti ſat eſt.* Sic de formulis variis, cap. xxii. xxiii. xxiv. verba omiſit, ſed ſenſum expreſſit Senator ſub Vitigis Regis perſona, Variarum lib. x. epiſt. xxxiii. *Pauca dixiſſe ſapientiæ veſtræ ſufficiunt.* &c.

Litteræ commendatitiæ] Clericis ſine proprij Epiſcopi licentia peregrinari non licebat, nec peregrinantes ab alio Epiſcopo ſuſcipi & admitti poterant, niſi à proprio Epiſcopo commendatitias litteras impetraſſent. Gregorius Nazianzenus in Iulianum: *ἐν ἐπιστολικοῖς συνθήμασιν, οἷς ἡμεῖς ἐξ ἔθνους εἰς ἔθνος τοὺς χρήζοντας παραπέμπομεν.* Synodi Calchedonenſis can. xiii. *Ξένους κληρικοὺς καὶ ἀγνώστους ἐν ἑτέρᾳ πόλει δίχα συστατικῶν γραμμάτων τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου μηδὲ ὅλως μηδαμοῦ λειτουργεῖν.* Synodi VI. in Trullo can. xvii. Synodi Agathenſis c. xxxviii. *Clericis ſine commendatitiis epiſtolis Epiſcopi licentia non pateat euagandi.* Synodi Epaunenſis cap. vi. Burchardus lib. ii. cap. cxxxvii. cxxxviii. cxli. *Formatæ* vtplurimum apud Latinos ſcriptores hæ litteræ appellantur. Optatus Mileuitanus lib. i. de Syricio PP. *Cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in vna communionis ſocietate concordat,* ſiue quòd certa forma certiſque notis conceptæ eſſent, ſiue etiam à forma ſeu ſigillo quod addebatur, vt putat eruditiſſimus Iacobus Sirmondus in Notis ad Goffridum: cui Cap. xiii.

poſteriori ſententiæ ſuffragari videtur quod dicitur in Synodo Cabilonenſi ſub Carolo M. cap. XLI. preſbyterum qui proprio loco dimiſſo ad alium migrat litteras habere debere, *in quibus ſint nomina Epiſcopi & ciuitatis plumbo impreſſa.* Eſt etiam in Ordine Romano epiſtola, qua Epiſcopi à Pontifice Romano conſecrati ad ciuitates ſuas remittuntur & officij admonentur, quæ *Formata Epiſcopo danda nuncupatur*, cùm tamen commendatitia non ſit, quod aliis confirmari poſſet exemplis. Illud autem obſeruandum, non tantùm clericis peregrinantibus formata opus eſſe, ſed nec Epiſcopis remota loca petere abſque Metropolitani formata licuiſſe: ideóque Laudunenſem Epiſcopum nepotem ſuum Hincmarus reprehendit, quòd abſque Metropolitani epiſtola extra diœceſim ſæpe profectus eſſet. Quod ius Formatæ Epiſcopis dandæ Vigilius PP. ep. VII. Auxanio Atelatenſi Epiſcopo tribuit, cui vices ſuas commiſerat. *Nullus*, inquit, *de Pontificibus tua per has vices ordinationi commiſſis in longinquis quibuſlibet locis audeat proficiſci, niſi ſolenni more (ſicut deceſſore noſtro prædeceſſori veſtro ſimiliter concedente conſueuerant) Formatam veſtra charitatis acceperit.*

MAGNONI] Carolo M. imperante vixit Magno Senonenſis Archiepiſcopus cuius eſt hæc Formata, quod & annus his litteris adſcriptus oſtendit. Ille eſt qui Notas iuris collegit & Carolo M. dicauit, quibus ipſe hos præfixit verſiculos. *Hæc iuris* σημεῖα *libens Rex accipe Carle, Offert deuotus quæ tibi Magno tuus.*

ET VT CERTIVS CREDATIS, GRÆCA ELEMENTA] Solebant Epiſcopi in formatis ſeu commendatitiis litteris, ne qua fraus fieret, vti quibuſdam notis & ſymbolis, litteris videlicet Græcis quæ certum numerum exprimerent. Quod quomodo fieret exponit Atticus in fine Synodi Calchedonenſis. Iuo Decreti Par. VI. cap. CCCCXXXIII. Gratianus Diſtinct. LXXIII. additis duabus harum epiſtolarum formulis, quarum vna Burchardi eſt lib. II. c. CCXXVII. Vide Sirmondum in Sidonium pag. 109. 110. 111. 112. 113.

CAP. XIII. INGENVITAS] De ingenuitate ad Marculf. cap. XXXII. lib. II. abundè diximus.

TESTAMENTVM ETIAM FACIENDI] Saluianus ad Eccleſiam Catholicam lib. III. *Illi teſtamenti faciendi arbitrium dant libertis, tu tollis liberis.* Quod plenæ libertatis qua ciues Romani efficiebantur proprium erat, non Latinæ. Verùm hoc ſæculo, eiuſmodi differentiam euanuiſſe antea monui.

DEFENSIONEM VEL MVNDEBVRDEM ECCLESIARVM] Marculfus lib. II. c. XXII. Synod. Matiſconenſ. II. ſub Guntranno c. VII. Concilium Toletanum V. c. LXXII. *Liberti qui à quibuſcumque manumiſſi ſunt, atque Eccleſiæ patrocinio commendati exiſtunt, ſicut regula antiquorum Patrum conſtituerunt, ſacerdotali defenſione à cuiuſlibet inſo-*

*lentia protegantur, ſiue in ſtatu libertatis eorum, ſeu in peculio quod habere noſcuntur.*

CHARTA AGNATIONIS] Qua dominus ſerui cui ſe ingenua iunxit illis indulget, vt qui ex eis naſcentur, liberi permaneant. Marculfus lib. II. c. XXIX. vbi plura. Vide Caſſiodorum lib. VII. c. XL. CAP. XVIII.

TRADITORIA DE TERRA] Forma eſt traditionis agri antea venditi. CAP. XIX.

VEL TERRAM VEL HERBAM VISVS FVIT TRADIDISSE] Vide Plinium lib. XXII. cap. IV. Infrà cap. XLIII. *Per terram vel herbam ſicut lex eſt ad partem Sancti illius viſus eſt tradidiſſe.* Sic Leg. Baiuuar. cap. XVII. tit. III. *Ea ratione firmet per quatuor angulos campi, aut deſignatis terminis, per hec verba tollat de ipſa terra vel aratrum circumducat, vel de herbis aut ramis, ſylua ſi fuerit, ego tibi tradidi & legitimè firmabo per ternas vices.* Non diſſimilis eſt traditionis forma, quæ ab Innocentio III. PP. deſcribitur in cap. II. De conſuetudine: *Hanc conferendi formam eſſe proponis, quod in huiuſmodi donationibus modicum terra conſueuit in manu accipere, vel in extremitate pallij manu prælati Eccleſiæ ſuſtinetur, aut ſuper altare ponendum ſub teſtimonio videntium & audientium ſub dicta forma qua ſcotatio vulgariter appellatur.* De aliis traditionum modis nonnulla notauimus ad Marcul. lib. I. c. XIII.

EXITVM FECISSE] In ſignum ſcilicet traditionis exibat, loco cedebat, vacuámque poſſeſſionem in alterum transferebat: aliàs tamen *exutum* ſcriptum eſt, vt ſit ſenſus, eum poſſeſſione ſe exuiſſe, vt alius eâ veſtiretur, ſi ſæculi verbis vti licet, vtrumque retineri poteſt.

NOTITIA DE SERVO VENDITO] Inſtrumentum venditionis ſerui. CAP. XXI.

NOTITIA DE IACTIVIS] Quâ notum ſit quendam vadimonium deſeruiſſe. Marculf. lib. I. cap. XXXVII. vnde petenda huius capitis interpretatio. CAP. XXII.

SECVRITAS] Marcul. lib. II. cap. XVIII.

VT ILLAM LEVDEM VT LEX ERAT SOLVERE DEBERET] Leudis, pretium compoſitionis pro homicidio. Leg. Salicæ tit. XLIII. II. *Si autem qui præcipitatus eſt mortuus fuerit, tota leude ſua componatur.* 12. *medietate leudis eius componat, ille verò qui eum occiderit ſecundùm legem eum componat.* Leg. Friſionum tit. II. *Expoſitor nec iuret, nec leudem ſoluat, ſed inimicitias propinquorum occiſi patiatur donec ſe cum eis reconciliet.*

MANDATVM] Eius qui propter morbum vel ætatem rebus ſuis ſupereſſe non poteſt. Marculf. lib. I. c. XXI. CAP. XXV.

PRECARIA] De precaria iam ſatis ad Marculf. lib. II. c. V. CAP. XXVII.

PRESTARIA] Præſtationis charta ſuprà ad Marculf. cap. XL. lib. II. CAP. XXVIII.

Digitized by Google

Censvm ad lvmen vel sacrificivm solidos tantos ] In precariis ab Eccleſia conceſſis ſolebat merces quædam ſeu cenſus annuus interuenire. Synodus Leptinenſis: *Ea conditione vt annis ſingulis de vnaquaque caſata ſolidus id eſt duodecim denarij ad Eccleſiam vel monaſterium reddantur.* Flodoard. Hiſt. Rhem. lib. III. c. xx. ex Hincmaro: *Quomodo Carolus Pipini Regis filius eandem villam apud Tilpinum Archiepiſcopum obtinuerit in præſtariam, ea conditione vt capellas ad ipſam pertinentes cum nonis & decimis Epiſcopus Rhemorum retineret, & Rex duodecim libras argenti in luminaribus Eccleſiæ daret, & quòd hunc cenſum tam ipſe Rex quàm ſucceſſores eius perſoluerunt.* Quem cenſum in recognitionem dominij præſtari idem Hincmarus innuit apud eundem lib. III. c. xxvi. *Ne fortè ſuggeratur Imperatori, quòd cupiditate illectus hunc cenſum repetat, quem in ſuos vſus nunquam redegerat: ſed cupiens euadere periculum, ne ſilentio ſuo in diebus ſuis cenſus ipſe depereat, & ipſa villa in alodem vertatur.*

Cap. xxix. Notitia de homine forbatvdo ] Formula iuriſiurandi quod præſtare tenetur is qui adgreſſorem interfecit, nimirum ob tutelam corporis ſui & vim repellendo occidiſſe. Eiuſdem argumenti eſt cap. xxx. Formul. Leg. Rom.

Colpvs ] Ictus, vt vett. Gloſſæ apud Pithœum rectè interpretantur, noſtris *coup.* Leg. Salic. tit. xix. *Si quis ingenuus ingenuum fuſte percuſſerit, & tamen ſanguis non exierit vſque ad tres colpos, pro vnoquoque ictu* cxx. *denarios, qui faciunt ſol.* III. *ſoluat.* Colpus à colapho, vt in Leg. Sal. vet. Cod.

Forbatvdvm ] Sic in Form. Leg. Rom. cap. xxx. Decretum Childeberti R. *Iudex loci illius ſolatio collecto ipſum raptorem occidat, & iaceat forbatudus.* quaſi forbatudus pro iure cæſo diceretur. Quod apertiùs traditur in Leg. Ribuar. tit. lxxix. *De homine forbatudo. Si quis hominem ſuper rebus ſuis comprehenderit, & eum ligare voluerit, aut ſuper vxorem, ſeu ſuper filiam, vel his ſimilibus, & non praualuerit ligare, ſed colpus ei exceſſerit, & eum interfecerit, coram teſtibus in quadriuio in clida eum leuare debet, & ſic* xl. *ſeu* xiii. *noctes cuſtodire, & tunc ante iudicem in arabo coniuret quòd eum de vita forfactum interfeciſſet. Sin autem iſta non adimpleuerit, homicidij culpabilis iudicetur.*

Infra noctes xlii. ] Numerus reſpondet Legi Ribuariæ, cuius particulam modò adſcripſi: in qua tamen ex hoc loco pro xiv. legendum eſſe putarem xliv. alij viderint.

Sicvt lex est ] Leg. Ribuar. tit. lxxix.

Apvd tres aloarivs ] Sic infrà c. xxiii. *poſt ipſum tres aloaria & xii. conlaudantes iurauerunt.* Pleniùs tamen inquirendum cenſeo. Aloarij videntur hoc ſæculo dicti, qui probarent & laudarent, idémque affirmarent, à laudando; vnde & noſtris hodie *alouër*, pro rationem probare. Monuit Iohan. Sauaro V. C.

Et

Et lingvas eorvm legibvs dire xervnt] Hoc eſt ſecundùm leges iurauerunt eum qui iurauit vera dixiſſe. Formul. Leg. Rom. cap. xxxi. *Similiter teſtes ſibi ſimiles viſores & cognitores, ſecundum quod ei iudicatum fuit, poſt ipſum iurauerunt, vt quicquid iam dictus ille de hac cauſa iurauit verum & idoneum ſacramentum dedit.* Leg. Alam. tit. vi. ſuprà ad Marculf. lib. i. c. xxxviii. Fortè legendum *dixerunt*, vt infrà c. xxxiii. & xxxiv.

Indicvlvs regalis] Regia epiſtola qua Rex Comiti mandat, vt cuidam qui queritur, quòd alij res ſuas retineant, ius dicat; aut ſi illi ſatisfacere recuſent, cogat eos fideiuſſores ante Regem iudicio ſiſtendi cauſa dare. Marcul. lib. i. cap. xxvii. & xxviii. Quid ſit Indiculus, ad cap. vi. Marculfi expoſitum eſt. Cap. xxx.

Fratri illi Comiti] Comites ciuitatum fratris appellatione à Principe decoratos hoc capite docemur. Quod ius vt prouinciæ rectores & præſides conſequebantur. His enim id Caſſiodorus tribuit lib. vi. cap. xxi. *Additur quòd à principe frater vocaris.* Ita Maiorianus Aug. apud Sidonium lib. i. ep. vlt. compellat *frater Camille.* Videantur Nouellæ Theodoſij, Valentiniani, & Maioriani, vbi non raro illud occurrit.

In vestro ministerio] Miniſterium pro territorio. Capitul. lib. ii. c. x viii. *Sicut in capitulis quæ de hac re illis Comitibus dedimus, in quorum miniſteriis moneta percutitur, conſtitutum eſt*, & paſſim.

Svper noctes tantas] Id eſt intra tot dies. Nam ſpatia temporis non numero dierum, ſed noctium finiebant, vt antea dictum eſt.

Alivs indicvlvs] Immunitas eſt militiæ, quæ ſeni à Rege conceditur. Cap. xxxi.

De omni hoste] Exercitu. Capitul. lib. iii. c. ix. x. *Quicumque homo noſtros habens honores in hoſtem bannitus fuerit.* Appendix Aimoini lib. iv. c. lvi. *Rebellantibus Saxonibus paganiſſimis, qui contra Rhenum fluuium conſiſtunt, ſtrenuus vir Carolus hoſtem mouit Francorum.* Adnunciatio apud Piſtas cap. xxvi. *Vt pagenſes Franci qui caballos habent vel habere poſſunt cum ſuis Comitibus in hoſtem pergant.* Noſtris *hoſt.*

Arribanno] Seu *Heribanno*, pœna eſt pecuniaria eius qui ad expeditionem poſt Principis bannum ſeu edictum profectus non eſt. Gregor. Turon. lib. v. cap. xxvi. *Poſt hac Chilpericus Rex de pauperibus & iunioribus Eccleſiæ vel Baſilicæ iuſſit bannos exigi pro eo quod in exercitum non ambulaſſent.* & lib. vii. cap. xlii. *Poſt hæc edictum à iudicibus datum eſt, vt qui in hac expeditione tardi fuerant damnarentur.* Capitul. lib. iii. cap. xiv. *De Heribanno volumus vt miſſi noſtri fideliter exactare debeant.* & cap. xxxv. & lxviii. In Legib. Longobardorum heribanni mulcta eſt lx. ſolidorum. Vox eſt hodie quoque nota.

Dismanare] id eſt de domo extrahere.

Notitia de colonitio] Suprà cap. i. iv. v. Cap. xxxii.



Digitized by Google

CAP. XXXIV. NOTITIA DE HERBIS MALEFICIS ] Iuſiurandum mulieris, quæ veneficio hominem occidiſſe accuſabatur, quòd ſcilicet potionem maleficam ei nunquam temperaſſet aut propinaſſet.

MALLAVIT ] In ius ſeu ad mallum Comitis vocauit.

HERBAS MALEFICAS TEMPERASSEM ] Leg. Sal. tit. XXI. *De maleficiis. Si quis alteri herbas dederit bibere, & mortuus fuerit,* VII. *den. qui faciunt ſol.* CC. *culpabilis iudicetur.* 2. *ſi verò biberit & mortuus non fuerit, &c. ille qui dedit pro aliquo maleficio culpabilis iudicetur.* Greg. Tur. lib. V. cap. XXXV. de Mummolo qui maleficij incuſatus eſt, quòd herbam ſe habere ad tormina & dyſenteriam ſanandam profeſſus ſit: apud eundem Gregorium *per herbarum venena.* Inde *enberber.*

CAP. XXXV. CESSIO ] Donatio à patre vni ex filiis facta, vt præcipuum illud habeat. Similis eſt apud Marcul. lib. II. cap. XI. quæ in nepotem confertur.

CAP. XXXVI. EVACVATORIA ] Apocha, ſuprà ad Marculf lib. II. cap. XXXV.

LIBELLVS DOTIS ] De libello dotis ſuprà ad lib. II. cap. XV.

CAP. XXXVII. MANCIPIA STANTIA ] Villici, qui fundum exercent, & inter inſtrumenta fundi numerantur.

CAP. XXXVIII. INDICVLVS REGALIS ] Videndus Marcul lib. I. cap. XXXVII.

APVD NOSTRVM SIGNACVLVM ] *Apud* heic dicitur pro *eum*, aut *per*, quod non raro in illius ſæculi auctoribus occurrit. ſuprà cap. II. *apud proximiores parentes ſuos octo* iuret. & cap. XXIX. in f. Itaque quod heic dicitur *apud noſtrum ſignaculum* ſic accipiendum eſt, *per litteras anulo ſeu ſigillo noſtro firmatas.* Nam vt diximus indiculo ſigillum non addebatur.

MANNITVM ] Mannire, in ius vocare, Leg. Sal. tit. I. & aliàs ſæpiſſime, quaſi *monere.*

CAP. XXXIX. ÆQVALENTIA VEL PACTVM ] Diuiſio hereditatis inter fratres, quæ æqualentia heic appellatur, quòd æquis partibus fiat. Marculf. lib II. cap. XIV.

ÆQVALENTIA DIVIDERE ] Æqua lance. Inde huius capitis titulus. Marculf. lib. II. cap. XIV. *æqua lance inter ſe viſi ſunt diuiſiſſe vel exæquaſſe.*

CVM OMNI DESVPER POSITO ] *Suprapoſito* paſſim in Formul. Leg. Rom. infrà cap. XL. *vnà cum ſuperpoſitis.* apud Iuriſconſultos *cum omnibus quæ ibi erunt:* clauſula in venditionibus, donationibus, legatis, diuiſionibus hereditatis frequentiſſima.

PECVLIVM, PRÆSIDIVM ] De peculij & præſidij voce ad lib. II. Marculfi.

CAP. XL. DONATIO AD CASAM DEI ] Caſa Dei pro quacumque Eccleſia, quaſi domus Dei. Hincm. Ep. VII. c. XXXV. *Prouidendum eſt etiam vt de nihil habentibus promoti presbyteri non præſumant quæ de faculta-*

Digitized by Google

*tibus Eccleſiæ comparauerunt vendere, vel quaſi ad Caſam Dei tradere, niſi ad Eccleſiam cuius propria eſſe debent.* Sane hodieque in Aruernia extat cœnobium, quod caſæ Dei nomen velut proprium ſibi retinuit.

GRAFIA ILLA] Comitatu illo. ſuprà ad cap. VII.

APVD IVGALEM MEVM VISA SVM CONQVISISSE] Tertiam videlicet rerum ſtante coniugio quæſitarum. Plura ad lib. II. cap. XVII.

DE FILII MEI LVCTVOSA HEREDITATE] Ita Papinianus apud Iuſtinianum L. vlt. Cod. De inſtitut. & ſubſtitut. *Luctuoſam hereditatem ad matrem venire curauit.* Iuſtiniano *triſtis ſucceſſio.* Inſtitut. De ſenatuſconſul. Tertullian. in pr. Inſcriptio Viennenſis, MISERI PARENTES CONTRA VOTVM PP.

EMVNITAS SANCTORVM] Priuilegium immunitatis monaſte- Cap. XLIV.
rio à Rege conceſſum, qua de re plura ad cap. III. lib. I.

HOMINIBVS VASSIS NOSTRIS] Fortaſſe legendum *omnibus vaſſis noſtris*, aut ſaltem addendum *hominibus & vaſſis noſtris.*

IN CVRTIBVS VEL VILLIS] Villas etiam Curtes dictas fuiſſe hic locus oſtendit. Sic in diplomate Caroli R. pro Corbeiæ cœnobio, *villas ſeu curtes vel ea quæ deinceps in parte ipſius Eccleſiæ voluerit diuina pietas augeri.* & in Traditionibus Fuldenſibus lib. II. *iugerum curtiferum* dicitur, in quo ædificium ruſticum & villula eſſet. Leg. Salicæ tit. VI. *canem cuſtodem domus ſiue curtis.* Olim quidem *Cortem* Romani dixere eam villæ partem quæ mœnibus cincta eſt, & in qua permulta ruſtica opera exercentur. Varro De re ruſtica lib. I. & Palladius lib. I. Sanè in Synodo Confluentina an. DCCCLX. aliter accipitur: curtem enim aulam & comitatum Principis vocat: *in hoſtem & ad placitum ſiue ad curtem veniens.*

RETRIBVTIONES EXACTANDAS] Exactare pro exigere. Marculfus lib. I. cap. II. Diplomata [illegible]douici & Caroli Calui pro S. Germano, quæ interſeruntur co[illegible]ni Aimoini lib. V. cap. X. & XXXIII. *Neque ſeruitia ab eis . . . neque parafredos aut expenſas ad hoſpitum ſuſceptiones recipias.* Capitul. lib. III. c. XIV. *Heribannum exactare.*

INDICVLVS REGALIS] Exemplum immunitatis vectigalium à Cap. XLV.
Carolo R. conceſſæ.

NVLLAS VENDITAS] Vectigal eſt rerum in foro & publicis nundinis venditarum, cuius mentionem in Gallicis quibuſdam vetuſtis inſtrumentis legiſſe memini: hodie quidem rerum immobilium [illegible] dicuntur *ventes.*

RODATICVM] Capitul. lib. VI. c. CCXIX. *Vt nullus homo præſumat tholoneum per vias, nec per villas rodaticum, nec pulueraticum recipere.* Hodie *Roüage*, quod vectigalis genus ex vino vendito colligitur. *Rotaticum* in diplomate Dagoberti R. de mercato S. Dionyſij,

vbi varia tributorum nomina recenſentur, & in præcepto confirmationis Pipini R. de eodem mercato: *Nec de nauigiis, nec de portibus, nec de carris, nec de ſaumis vllum theloneum vel foraticum ſeu rotaticum, vel pontaticum, vel portaticum, vel ſalutaticum, ſeu ceſpitaticum, ſiue mutaticum, vel aliquam exactionem aut conſuetudinem exigere.*

FORATICVM] Præcepta Dagoberti & Pipini, quæ modò exſcripſimus. Diploma Ludouici & Lotharij in continuat. Aimoini lib. v. cap. x. hodie certè *Foragium* ius illud vocamus, quod ex vino minutatim vendito debetur.

PONTATICVM] Quod in pontibus pro tranſitu datur. Capitul. lib. III. c. XII. *Placuit nobis, vt antiqua & iuſta tholonea à negotiatoribus exigantur, tam de pontibus quàmque de nauigiis ſeu mercatis.* Idem Carolus Imp. & Ludouicus prohibuerunt theloneum exigi vbi neceſſe non eſt fluuium per pontem tranſmeare, & ne quis cogatur ad pontem ire thelonei cauſa. Cap. lib. IV. c. XXXI. In Legib. Bencarnenſium *pontage*.

SEV MERCADA] Mercatus.

COMMERCIVS] Negotiationis ſocius.

NEGOTIVM] Negotium, pro re venali, merx. Sic negotium pro mercatura in Capitul. lib. I. c. CXXXI. *Si hoc propter neceſſitatem comparat, vt ſibi habeat & aliis tribuat, negotium dicimus.* Gregor. Turonenſ. de Miracul. lib. I. cap. XXXII. & cap. LVIII. *Negotia multa in atrio protulerunt.*

CAP. XLVI. RELATVM QVOD DICITVR APENNIS] De inſtrumentorum amiſſione vel exuſtione, quæ hoſtium incurſu, aut quolibet alio caſu accidit, ſatis multa ad XXXIII. cap. lib. I. vbi litterarum Principalium exemplum proponitur, quæ ab eo qui iacturam paſſus erat impetrari ſolebant, ne difficili poſtea probatione eius iura deteriora fierent. Heic autem ſimilis quædam formula exhibetur, non tamen à Rege, ſed à Comite data. Qua, ſedente in iudicio Comite, teſtes adhibentur qui alicuius domum cr[illegible]ebus, charris & inſtrumentis quæ inerant, incendio conſumpta[illegible]tur. Ideóque Comes eius rei reſtationem in ſcriptis redactam concedit, vt res omnes quas hic antea poſſidebat, in poſterum ſecurè etiam poſſideat.

CHARTVLAM RELATIONIS QVÆ DICITVR APENNIS] Sic in Formul. Leg. Rom. cap. XXVIII. Quæ autem eius nominis origo ſit, mihi planè non liquet, & fortaſſe mendum eſt. Sanè dubitaui num legendum eſſet *à pari*, quòd eandem & parem vim habeat atque inſtrumenta amiſſa: quam vocem *à pari* & *apparibus* eodem ferè ſenſu hac ætate vſitatam fuiſſe reperio. In Regiſtro B. Gregorij lib. VII. eſt epiſtola vt Epiſcopi cum mulieribus non habitent, quæ ad plures Defenſores & ſubdiaconos ſcripta eſt: additur *apparibus*, id eſt omnibus eodem exemplo, nam etſi pluribus ſit inſcripta, ad vnum tantùm loqui Gregorium manifeſtum eſt. Sic eodem lib. ep. CXII. accipienda eſt epi-

Digitized by Google

ſtolæ inſcriptio : *Syagrio , Betherio , Virgilio & Deſiderio Epiſcopis Galliarum apparibus.* Et apud Hincmarum ep. VI. c. XXVIII. Zozimus PP. *ad Aurelium & vniuerſos Epiſcopos per Africam conſtitutos , vniuerſoſque Epiſcopos per Gallias & ſeptem prouincias conſtitutos , & vniuerſis Epiſcopis per Hiſpaniam conſtitutis à pari* , hoc eſt eodem exemplo. Anaſtaſius Bibliothecarius in Hadriano , *Apparem ipſius donationis per eumdem Etherium aſcribi faciens , ipſe Rex ( Carolus M. ) intus ſuper corpus B. Petri , ſubtus Euangelia quæ ibidem oſculantur , pro firmiſſima cautela , & æterna nominis ſui ac Regni Francorum memoria , propriis manibus poſuit : aliáque eiuſdem donationis exempla per ſcriniarium huius ſanctæ Eccleſiæ deſcripta, eius excellentia ſecum deportauit.* Aliorum ſit iudicium.

CHARTVLAM RELATIONIS QVÆ DICITVR ] Apparet heic *appennis* vocem deeſſe. CAP. XLVII.

HEREDITORIA ] Libellus ſeu epiſtola, quâ pater filiam naturalem , quam ex propria ancilla ſuſceperat , ad hereditatem ſuam vocat , aliàs non ſucceſſuram.

IACTANTE DENARIO ] Iactato denario ante Regem. Manumiſſionis modus , de quo ad lib. I. cap. XXII.

REDEMPTIONALE ] Seu *charta redemptionalis*, per quam ſeruus ſeipſum de peculio ſuo redimit , & dato pretio libertate à domino donatur , ita vt ab obſequiis omnibus & iure patronatus liber & immunis permaneat. Quod ita demum procedit, ſi ſciat dominus nummos peculiares eſſe. Alioqui enim , vt eſt in Leg. Baiuu. c. XV. tit. VII. *Si quis ſeruus de peculio ſuo fuerit redemptus , & hoc dominus eius fortè neſcierit , de domini poteſtate non exeat, quia non pretium , ſed res ſerui ſui dum ignorat accipit* , quod caput exſcripſit Benedictus Leuita Capitul. lib. V. cap. CCVII. CAP. XLVIII.

IN AMICTO ] In veſte, ex qua amictus dictione ſupplendæ lacunæ , ſuprà cap. XV. & XVI.

HEREDITORIA ] Cùm Lege Salicâ filia in antiqua patris alode non ſuccederet , tamen hac formula ad hereditatem admitti poteſt , vt cum fratribus portionem ferat. Marculf. lib. II. cap. XII. *vt filia cum fratribus in paterna ſuccedat alode.* CAP. XLIX.

LEX SALICA CONTINET ] Tit. LXII.

APVD GERMANOS TVOS ] Id eſt cum germanis tuis.

CAVTIO DE VINEA ] Oppigneratio eſt vineæ pro debito , cum antichreſi. CAP. L.

ARIPENNOS TANTOS ] Menſura eſt terræ, vt & iugerum , acra, bunnaria, arialis , opera. Gregor. Turon. lib. V. cap. XXVIII. *Statutum fuerat vt poſſeſſor de propria terra vnam amphoram vini per aripennem redderet.* hodie *arpent.* Gloſſæ vett. *Arpendium*, πλέθρα: quam vocem Scaliger in Diras Valerij Catonis Latinam eſſe contendit , quaſi *aruipennium.* Reperio tamen apud Columellam De re ruſtica lib. V. cap. I. Gallos

ſemiiugerum *arepennem* vocaſſe : nunc certè vtplurimùm pro integro iugero accipitur.

CAP. LI. SECVRITAS] De ſecuritate Marculf. lib. II. cap. XVIII. & ſuprà cap. XXXI.

CESSISSET] Pro cecidiſſet.

CAP. LII. DONATIO AD FILIOS] Naturales videlicet, non ex iuſtis nuptiis procreatos. Pertinet hæc formula ad Legem Romanam.

LEX ET CONSVETVDO EXPOSCIT] Iure Romano filij naturales patri ex teſtamento heredes eſſe poterant in aſſem: atque adeò in ſubſtitutione facta, ſi ſine liberis aliquis deceſſerit, Papinianus exiſtimauit deficere conditionem, ſi naturales liberi extarent, L. Ex facto XVII. §. Si quis, Ad Senatuſconſ. Trebel. L. Generaliter §. vlt. Cod. de inſtitut. & ſubſtit. Lege tamen à Valentiniano, Valente, & Gratiano lata, is qui legitimos filios vel nepotes, aut patrem vel matrem haberet, non poterat naturalibus liberis plus vncia relinquere: quòd ſi non eſſent iuſti liberi, nec pater aut mater, vſque ad tres vncias filij naturales conſequi poſſunt. L. I. Cod. Th. De naturalibus filiis. Anaſtaſius poſtea conſtituit, vt ſi quis concubinam vxoris loco habuerit, & filios ex ea ſuſceperit, illis poſſit omnem hereditatem relinquere, non extantibus aliis, L. Iubemus Cod. De naturalibus liberis. Sed id Iuſtinianus immutauit & ad ſemiſſem reduxit, L. Humanitatis eod. tandémque reuocauit Nou. LXXXIX. vt in aſſem inſtitui poſſent. In Galliis autem veterem vſum ſeruatum fuiſſe docet hæc formula, nec obſeruatam Valentiniani conſtitutionem de tribus vnciis: quò pertinent hæc verba, *conſuetudo expoſcit*, maximéque propter commixtionem exterarum gentium, quæ naturales liberos à legitimis vix diſcernebant.

BENE INGENVAM] Impari tamen dignitate, alioqui ſolo affectu vxor eſſe potuiſſet.

NATVRALES APPELLANTVR] Innuit ſine dotalibus inſtrumentis non intelligi matrimonium, nec legitimos naſci liberos. Modeſtinus tamen inter regulas iuris refert, in liberæ mulieris conſuetudine non concubinatum eſſe, ſed matrimonium. L. In liberæ, De ritu nupt. Quod ita intelligendum eſt ſi quidem affectu & honore vxoris ſit habita. Sanè enim, inquit Vlpianus, niſi dignitate nihil intereſt. L. Item legato, De legatis III. & Papinianus cùm dixiſſet donationes in concubinam collatas non poſſe reuocari, adiicit, *an autem maritalis honor & affectio pridem præceſſerit, perſonis comparatis, vita coniunctione conſiderata perpendendum eſſe, neque enim tabulas facere matrimonium.* L. Donat. XXXI. De donat. Sed poſtea receptum eſt, & Theod. iure probatum, vt inter impares honeſtate perſonas non aliàs conſtaret matrimonium, niſi dotalibus inſtrumentis conſcriptis, nec aliàs legitimi eſſent liberi, L. Si donat. C. de nupt. L. III. C. Th. eo. Quò referri poſſunt

huius formulæ verba, *ſed talis cauſa*, &c. Non dubito hoc ius poſtea à Iuſtiniano immutatum, vt etiam inter impares legitima eſſent matrimonia ſine inſtrumentis dotalibus, L. Imperialis. §. immo Cod. De nuptiis. Quam legem idem refixit Nouel. LXXIV. fixit turſum Nou. CXII. exceptis illuſtribus viris, quos non aliter matrimonium contrahere voluit niſi dotalibus inſtrumentis confectis: cæteros ex ſolo affectu vxores ducere. Sed Iuſtinianeum ius necdum in Galliis vſu receptum fuiſſe iam antea animaduertimus.

MANDATVM] Forma mandati ad inſinuandam & publicandam ſuperiorem donationem: quo facto eiuſmodi naturales liberos legitimos effici & legitimam percipere patris ſucceſſionem docet hæc formula. CAP. LIII

GESTA] Inſinuatio & profeſſio apud acta municipalia, ſtabiliendæ & firmandæ donationis gratiâ. De eiuſmodi geſtis vide Marcul. lib. II. cap. XXXVII. CAP. LIV.

EPISTOLA] A procuratore ſcripta, qua ſe ex mandato donationem inſinuaſſe refert. CAP. LV.

GESTA MANVMISSIONIS] Acta ſunt manumiſſionis in Eccleſia celebratæ, ex parte tamen mutila. CAP. LVI.

ILLE DIACONVS TESTATVR] Primus diaconotum, ſiue archidiaconus. Præerat ille libertatibus quæ in Eccleſia dabant ur, manumiſſioniſque tabulas conficiebat, vt hæc formula teſtatur. Leg. Ribuar. tit. LX. Qui *ſeruum ſuum pro anima ſua remedio, ſeu pro precio, ſecundùm legem Romanam liberare v luerint, vt in Eccleſia coram presbyteris, diaconibus ſeu cuncto clero, & plebe, in manum Epiſcopi ſeruum cum tabulis tradat, & Epiſcopus archidiacono iubeat, vt ei tabulas ſecundùm legem Romanam qua Eccleſia viuit ſcribere faciat, & tam ipſe quàm omnis procreatio eius liberi permaneant, & ſub tuitione Eccleſiæ conſiſtant.* Statuit etiam eadem Lex Ribuaria, vt ſi in iudicio controuerſia exiſtat vtrum aliquis liber an ſeruus ſit, & manumiſſionis tabulæ in dubium vocentur, vt archidiaconus & teſtes ante Regem vel Epiſcopum hac de re iurent: & ſi verè manumiſſum fuiſſe aſſeuerauerint, mulcta XLV. ſolidorum archidiacono debetur: ſin minus, ſeruum cum pari mulcta domino archidiaconus reſtituere iubetur. Ex quibus non parum lucis huic capiti accedit Idipſum teſtatur Amalarius Treuirenſis, vbi de archidiaconi officio agit, non quidem in vulgatis, ſed in MS. Codice S. Victoris Pariſienſis. *Geſta*, inquit, *libertatum Epiſcopo defert.* Ebo De miniſtris Rhemenſis Eccleſiæ, in Archidiaconi officio: *Libertates liberorum cum teſtibus probare, alienorum ſeruorum ad gradus venire volentium exigere: poteſtatem etiam habens libertatem eccleſiaſtica propria de familia facere; & alienis exigere.*

VINDICTAQVE LIBERARE] Impropriè. Nam aliud eſt vindicta manumittere, aliud in Eccleſia, ſed quia vetuſtiſſimus plenæ li-

bertatis dandæ modus erat per vindictam, vt manumiſſi ciues Romani fierent, ideo hoc nomine in manumiſſione Eccleſiæ vſus eſt, quæ poſt conſtitutionem Conſtantini eandem vim obtinuit.

CONSTITVT. BONÆ MEMORIÆ CONSTANTINI] Conſtat manumiſſionis in Eccleſia Conſtantinum auctorem fuiſſe. Quod præſertim honori Eccleſiarum tributum eſt, ſed & libertati, cuius adipiſcendæ apud magiſtratus propter varias ambages maior tum erat difficultas. Tres igitur editæ ſunt à Conſtantino de ea re conſtitutiones: quarum vna eſt in Cod. Th. tit. De manumiſſionibus in Eccleſia, ad Oſium Epiſcopum, eáque poſtrema, nimirum Criſpo & Conſtantino Coſſ. Eſt alia huic prior in Cod. Iuſtinianeo, De his qui in Eccleſiis manumittuntur, ad Protogenem Epiſcopum, Sabino & Aradio Rufino Coſſ. *Iamdudum placuit*, inquit Conſtantinus, *vt in Eccleſia Catholica libertatem domini ſuis famulis præſtare poſſint, ſi ſub aſpectu plebis, adſiſtentibus Chriſtianorum antiſtitibus id faciant, vt propter facti memoriam vice actorum interponatur qualiſcumque ſcriptura*, ex quo apparet præceſſiſſe & aliam quæ non extat. Sanè Sozomenus Hiſtor. Eccleſ. lib. I. cap. IX. aſſerit tres Conſtantinum feciſſe Leges de manumiſſionibus in Eccleſiis. Auctoris verba quia huic formulæ lucem afferunt, viſum eſt adſcribere: ἄξιον μὴ παραλιπεῖν τὰ νενομοθετημένα ἐπ᾽ ὠφελείᾳ τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐλευθερουμένων· τῆς πολλῆς δυσχερείας οὔσης περὶ τὴν κτῆσιν τῆς ἀμείνονος ἐλευθερίας, ἣν πολιτείαν Ῥωμαίων καλοῦσι, τρεῖς ἔθετο νόμους, ψηφισάμενος πάντας τοὺς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐλευθερουμένους, ὑπὸ μάρτυσι τοῖς ἱερεῦσι, πολιτείας Ῥωμαϊκῆς τυγχάνειν. ταύτης τῆς εὐσεβοῦς ἐφευρέσεως, ὡς ἔτι νῦν ὁ χρόνος φέρει τὸν ἔλεγχον, ἔθους κρατοῦντος τοὺς περὶ τούτου νόμους συγγράφεσθαι ἐν τοῖς γραμματείοις τῶν ἐλευθεριῶν. Quæ poſtrema non eſt aſſequutus Latinus Tripartitæ interpres, ſed ex hac formula interpretationem claram & certam accipiunt. Huius manumiſſionis præclarum extat exemplum apud Ennodium Ticinenſem Epiſcopum, de Gerontio Agapiti ſeruo, vbi elegantiſſimum ex B. Auguſtini ſermonibus nondum editis locum adfert eruditiſſimus Sirmondus. Eſt etiam ea de re Aurelianenſis inſcriptio, quam multi exſcripſere; quam tamen poſterioris ætatis eſſe exiſtimo, circa tertiæ Regum noſtrorum familiæ primordia.

EA TAMEN CONDITIONE] Etſi nulla lacunæ nota in MS. heic apponatur, quædam tamen deeſſe manifeſtum eſt: ea ſcilicet quæ ad geſta manumiſſionis de qua agitur pertinent.

AD

# AD VETERES FORMVLAS
## SECVNDVM LEGEM ROMANAM.

DONATIO ECCLESIÆ ] Donationum eiuſmodi exempla va- CAP. I.
ria Marcul. tradit lib. II.

IN CONDITA ILLA ] In deſignandis locis ſolent hæ formulæ *condita* vocabulum vſurpare, quod nec apud Marculfum & Incerti Auctoris formulas reperitur, nec etiam alibi facilè occurrit. Quo nomine certum locum & territorium deſignari apparet. Sic in donatione Haganonis ad S. Martinum Turonenſem, cuius particulas antea protulimus. *Fridegiſo Abati trado manſum noſtrum dominicatum, quem extra conſortium fratrum in hereditate habemus, in pago Bleſenſi, in condita ponte Lapidenſe, in villa Bliderico, &c. partibus S. Martini tradimus cum hominibus ibidem commorantibus, quos colonario ordine viuere conſtituimus, &c. Data* XVII. *KL. Iunij anno* V. *HLudouici ſereniſſimi Imperatoris.* In alio vet. inſtrumento eiuſdem cœnobij, *in pago Bleſenſi, in condita Cabriniacenſi, in loco nuncupante Aluarias.* Conditæ nomen pro comitatu videtur vſurpari, à quo etiam vocabulum ſumpſiſſe dixerim: nam & Hiſpanis *Conde* pro Comite dicitur. Dubium tamen mouent exempla ex tabulario S. Martini, quæ ſuprà ſcripſimus, vbi poſt pagum condita deſignatur, & ſub condita, villa. Originem certè ad comitatum lubens referrem, donec certior appareat. Contradam quoque pro regione etiamnum dicimus, ab eadem forſitan origine.

CVM OMNI SVPRAPOSITO ] Synodi Meldenſis c. XVII. *Vt res eccleſiaſticæ tempore principatus veſtri ablatæ ex integro præſentaliter reſtituantur & reſtitutæ conſeruentur, ſicut tempore aui & patris veſtri fuerunt, excepto ſuperpoſito, quod ad vſus poſſidentium abſumptum eſt.* Suprapoſitum Græcis ἐνθήκη: in L. Titia XXXIV. §. Lucius Titius De Legatis II. Βούλομαι αὐτὴν παρ' ἑαυτῆς λαβεῖν χωρίον, γάζας σὺν τοῖς ἐνθήκαις αὐτοῦ πάσαις. Quæ Papiniano *dotes prædiorum*, L. II. De inſtruct. & inſtrument. leg. appellantur etiam *repoſita* L. ſi mihi Mæuia XCII. §. vlt. De Legatis III. Enthecam dixit B. Auguſtinus quicquid naui imponitur, Sermon. Ad fratres in eremo. Can. Nolo XII. q. I.

MANDATVM ] Vt ſuperior donatio apud acta publicetur, & inſinuetur. Marculfus lib. II. cap. XXXVIII. Incert. Auct. cap. LIV. CAP. II.

GESTA ] Marculf. lib. II. cap. XXXVII. Incert. Auct. cap. LIV. CAP. III.

VENDITIO ] Marculf. lib. II. c. XIX. XX. XXI. Incert. Auct. cap. XIV.

CONDITA ILLA ] Suprà cap. I. & paſſim his formulis.

CALVMNIAM VEL REPETITIONEM ] Calumnia, vt antea monuimus, in veteribus inſtrumentis & apud Marculfum & alios formu- CAP. V.



Digitized by Google

larum auctores pro actione accipitur. Leg. Longob. lib. II. tit. XXVII. *Non poſſumus in vna cauſa duas imponere calumnias.* Leg. Burgund. tit. LXXXIX. *calumniam mouere.* Inde vetuſtis vernaculis ſcriptoribus *calanger*, & antiquiſſima quæque diplomata calumniam *calange* interpretantur. Rogerius Houedenus Annal. part. poſter. de controuerſia inter Caſtellæ & Nauarræ Reges, cuius Henricus II. Angliæ R. arbiter erat: *Calumnia Regis Caſtellæ. Rex. Aldefonſus Caſtellæ & Toleti conqueritur & petit à Rege Sanctio Nauarræ auunculo ſuo ſibi fieri reſtitutionem, &c.* poſtea, *Tunc ſurrexerunt Epiſcopus Pampelunæ & alij nuntij Regis Nauarræ, & nihil eorum quæ ab aduerſariis ſuis proponebantur contradicentes, ſcriptum quoddam, in quo petitiones & calumniæ & allegationes ſuæ ſcribebantur protulerunt in hac forma: Calumnia Regis Nauarræ. Petit Sanctius Rex Nauarræ Cudeio monaſterium, montem de Oca, &c.*

CAP. VI. OBLIGATIO.] Precariæ ſpecies eſt, quæ Obnoxiatio à Marculfo appellatur lib. II. c. IX.

CAP. VII. PRECARIA] Marculf. lib. II. cap. V. & XLI. Incert. Auct. cap. XXVII. & XLI.

CAP. IX. VENDITIO DE SERVO.] Marculf. lib. II. cap. XXII.

CAP. X. VENDITIO DE SEMETIPSO QVALITER HOMO LIBER VENVNDETVR] Quod heic dicitur de libero homine qui ſeipſum vendit, non omnino conuenit cum iure Romano, de eo qui ad pretium participandum venundari paſſus eſt, ideóque ad libertatem proclamare non poteſt, nec manumiſſus priſtinam ingenuitatem recipit. L. V. L. Et ſeruorum XXI. De ſtatu hominum L. VII. De liberali cauſa, quod etiam in deſuetudinem abiiſſe Græci notant, lib. XXIX. Baſilic. Non enim ſeipſum vendebat, ſed ob participationem pretij ab alio vænire patiebatur, ignorante emptore: nam ſi ille ſciens liberum emerit, ad libertatem venditus proclamare poteſt, L. Liberis VII. §. Si quis ſciens, De liberali cauſa. Heic verò liber homo pretio accepto emptori ſcienti prudentique ſeipſum addicit. Quò pertinet inſignis locus B. Auguſtini in Sermon. *Hic mos ſolet inter ementem vendentémque ſeruari, vt is qui ſe alieno cupit dominio mancipare, aliquid pretij pro iactura propriæ libertatis, & addictione propriæ ſeruitutis à ſuo conſequatur emptore.* Gregor. Turonenſis lib. VII. c. XLV. de fame quæ per Gallias graſſabatur: *Grauiter tunc negotiatores populum ſpoliauerunt, ita vt vix vel modium annonæ aut ſemimodium vini vno triente venundarent: ſubdebant ſe pauperes ſeruitio vt quantulumcumque de alimento porrigerent.* Ieremias Thren. cap. V. *Ægypto dedimus manum, & Aſſyriis vt ſaturaremur pane.* Leg. Baiuuar. cap. VI. tit. V. *Quamuis pauper ſit, tamen libertatem ſuam non perdat nec hereditatem ſuam, niſi ſi ſpontanea voluntate alicui tradere voluerit, hoc poteſtatem habeat faciendi.* Quinimo & ſeipſum pignoris loco dare mos erat, Leg. Baiuuar. cap.

To. X. p. 666.

11. tit. 1. 5. *Si verò non habet, ipſe ſe in ſeruitio deprimat, & per ſingulos menſes vel annos quantum lucrare quiuerit, perſoluat cui deliquit, donec vniuerſum debitum reſtituat.* Capitul. lib. III. c. XXIX. *Liber qui ſe loco vuadij in alterius poteſtate commiſerit, &c.* Iornandes de rebus Geticis cap. XXVI. *Satius deliberant ingenuitatem perire, quàm vitam.* Quamquam ibi agitur de patribus qui filios ſuos diſtraxerunt. Tacitus etiam refert Germanos aleæ ita deditos fuiſſe, vt extremo ac nouiſſimo iactu de libertate & de corpore contendant. *Victus*, inquit, *voluntariam ſeruitutem adit: quamuis iunior, quamuis robuſtior alligari ſe ac venire patitur.*

EPISTOLA COLLECTIONIS ] Formula eſt, qua matricularij Ecclesiæ alicuius teſtantur ſe puerum expoſitum collegiſſe, & certo pretio eum vendidiſſe ſecundùm Legem Romanam. De expoſitis infantibus varium fuit ius, nec olim ſatis certum. Id indicat Plinij ad Traianum conſultatio, & eiuſdem Traiani reſcriptum de his qui liberi nati, expoſiti, & in ſeruitute educati ſunt, quos vocant θρεπτοὺς: de quorum conditione & alimentis conſulenti Plinio, Traianus non putat adſertionem denegandam iis qui ex eiuſmodi cauſa in libertatem vindicabuntur, nec ipſam libertatem redimendam pretio alimentorum. Tamen propter alimenta quaſi vice pignoris retineri potuiſſe oſtendit M. Quintilliani Declamatio CCLXXVIII. de expoſito quem pater recepit: *Vis*, inquit, *ſcire quàm pater non fueris, recipere illum niſi ſolutis alimentis non potuiſti, & tibi vt pater eſſe incipias emendus.* Quò etiam pertinet Diocletiani conſtitutio in L. Pater XVI. C. De nuptiis. Conſtantinus verò ſtatuit vt qui proiectum de domo voluntate patris vel domini collegerit, ac ſuis alimentis ad robur prouexerit, eundem retineat ſub eo ſtatu quo voluerit, id eſt ſiue vt filium, ſiue vt ſeruum, nec poſſe patrem vel dominum repetere, L. I. Cod. Th. De expoſitis. Multo magis ſi dominus vel patronus expoſuerit, omnis repetitio denegatur aduerſus eum qui miſericordiâ ductus collegit, L. II. eod. in qua adiicitur, *Si modo teſtes Epiſcopalis ſubſcriptio fuerit ſubſecuta, de qua nulla penitus ad ſecuritatem poſſit eſſe cunctatio.* Extant etiam ea de re varia Synodorum decreta. Synodi Arelatenſis II. c. XXXII. *Si expoſitus ante Eccleſiam cuiuſcumque fuerit miſeratione collectus, conteſtationis ponat epiſtolam. Et ſi is qui collectus eſt, intra decem dies quæſitus agnitúſque non fuerit, ſecurus habeat qui collegit. Sanè qui poſt prædictum tempus calumniator extiterit, vt homicida eccleſiaſtica diſtrictione damnabitur, ſicut Patrum ſanxit auctoritas.* Synodi Vaſenſis, quæ Theodoſio Iun. & Dioſcoro Coſſ. habita eſt, c. IX. *De expoſitis quia collata ab omnibus querela proceſſit, eos non miſericordiæ iam, ſed canibus exponi, quos colligere calumniarum metu quamuis infelix à præceptis miſericordiæ mens humana detrectet, id obſeruandum eſt, vt ſecundùm ſtatuta fideliſſimorum Auguſtorum, piiſſimorúmque Principum,* CAP. XI.

*quiſquis expoſitum colliget, eccleſiam conteſtetur, poſt conteſtationem colligat. Nihilominus de altari, dominico die, miniſter annunciet ab eccleſiaſtico expoſitum eſſe collectum: vt intra dies decem ab expoſitionis die expoſitum recipiat, ſi quis ſe probauerit agnouiſſe, collectori pro ipſorum x. dierum miſericordia prout valuerit ad præſens retribuat, aut in perpetuum cum Dei gratia, ſi voluerit poſſideat. Si quis expoſitorum hoc ordine collectorum repetitor vel calumniator extiterit, vt homicida habendus eſt.* Benedictus Leuita Capitul. lib. VI. cap. CXLII. Atque etiam Matiſcenſis Synodus apud Burchardum iubet, vt à presbyteris illud annuncietur non interficiendos liberos, ſed potiùs alienæ miſericordiæ exponendos, idque ne puellæ quæ clanculò corruptæ concepiſſent liberos, interficerent. Itaque hæc formula ad executionem eiuſmodi legum & canonum pertinet. Contrà tamen Iuſtinianus definiuit expoſitos eſſe liberos & ingenuos, licèt ſerui nati ſint, nec vindicari poſſe ab eo qui expoſuit, nec eo qui emit vel ſuſtulit, ne ex pietatis officio lucrum faciat, L. III. Cod. De infant. expoſitis.

MATRICVLARII] Matriculam pro indice, albo, ſeu notitia accipi notum eſt. Præter innumeras Impp. conſtitutiones quæ eo vocabulo vtuntur, Vegetius De re militari lib. II. c. V. *punctis milites inſcripti & matriculis inſerti iurare ſolent.* Eodem ſenſu matriculæ Eccleſiarum in Teſtamento B. Remigij dicuntur catalogi pauperum, qui ab vnaquaque Eccleſia ſtipendia recipere ſoliti erant: *Pauperibus duodecim in matricula poſitis, ante fores Eccleſiæ expectantibus ſtipem duo ſolidi vnde ſe reficiant inferantur.* In Teſtamento Sonnarij Rhem. Epiſcopi, apud Flod. lib. II. c. V. *Ad matriculam Rhemenſis Eccleſiæ, nonnulla contulit donaria. Cæteris quoque matriculis vel congregationibus diuerſa delegauit munera.* Quem morem apertiſſimè deſcribit Hincmar. ep. VII. cap. XXX. Epiſcopi *de matriculariis per ſingulas Eccleſias iuxta facultatem & poſſibilitatem loci curam adhibeant, ne presbyteri pro locis matricula xenia accipiant, ne ſuos parentes ſanos & robuſtos in eadem matricula collocent, nec opera ab ipſis matriculariis exigant, non de matriculariis bubulcos & porcarios faciant, ſed pauperes ac debiles & de eadem villa de qua decimam accipiunt matricularios faciant.* quo loci *matricularij* dicuntur qui in matricula inſcripti ſunt, vt etiam apud Greg. Tur. lib. VII. c. XXIX. *Nonnulli matriculariorum & reliquorum pauperum pro ſcelere commiſſo tectum cellulæ conantur euertere.* Idem de Miracul. lib. II. cap. XXXVII. Sed in hoc capite & alibi paſſim, qui in ſingulis Eccleſiis matriculæ pauperum curam agebant, & eorum ſtipendia diſpenſabant, *matricularij* appellantur, hodie *marguilliers* rerum Eccleſiæ adminiſtratores. Matricularios porro cuſtodes Eccleſiarum Vvandalbertus Diaconus interpretatur. Vidit hanc formulam Cuiacius, eiúſque partem exſcribit ad Sentent. Pauli lib. V.

AD OSTIA IPSIVS ECCLESIÆ] Ibi enim exponebantur. Sy-

Digitized by Google

nodi Mati ſcenſis ca. VI. apud Burchardum: *Decretum eſt vt vnuſquiſque presbyter in ſua plebe publicè annunciet, vt ſi aliqua fœmina clanculo corrupta conceperit, & pepererit, nequaquam diabolo cohortante filium aut filiam ſuam interficiat, ſed quocumque preualet ingenio, ante ianuas Eccleſiæ partum deportari, ibique poni faciat, vt coram ſacerdote in craſtinum delatus ab aliquo fideli ſuſcipiatur & nutriatur.* Sic & apud Treuiros obſeruari teſtatur VVandelbertus Diaconus in Vita B. Goaris, cuius verba, quòd omnino huic formulæ conueniant, ſubiicere non piguit, quæ eadem notata ſunt in eruditiſſimo Capitul. Gloſſar. *Moris tunc Treuirorum erat, vt cùm caſu qualibet fœmina infantem peperiſſet, cuius nollet ſciri parentem, aut certè quem præ inopia rei familiaris nequaquam nutrire ſufficeret, ortum paruulum in quadam marmorea concha, quæ ad hoc ipſum ſtatuta erat, exponeret, vt in ea cùm expoſitus infans reperiretur, exiſteret aliquis qui eum prouocatus miſeratione ſuſciperet & enutriret. Si quando igitur id contigiſſet, cuſtodes vel matricularij Eccleſiæ puerum accipientes, quærebant in populo ſi quis fortè eum ſuſcipere nutriendum & pro ſuo deinceps habere vellet. Vbi verò ad eam rem offerret ſeſe aliquis, infans qui eſſet expoſitus Epiſcopo deferebatur, & eius priuilegio auctoritas nutriendi habendique paruuli ei qui à matriculariis ſuſceperat firmabatur.*

SANGVINOLENTVM ] Recèns natum, rubentem à matre L. I. Cod. Th. De expoſitis. L. II. Cod. De patribus qui filios diſtrax. De matre cadentem, Statius lib. I. verſ. 60.

*Si bene quid merui, ſi me de matre cadentem*
*Fouiſti gremio, & traiectum vulnere plantas*
*Firmaſti.*

Claudianus in Rufinum lib. II.

*-- quam prima meo de matre cadentem*
*Suſcepi gremio.*

Æſchylus in χοηφορ. ἐπεὶ μόλων μητρόθεν κελάδιον. Schol. τουτ' ἀπὸ τῆς μητρὸς ἐξιόντος.

PER TRIDVVM SEV AMPLIVS ] Triduum heic exempli cauſa apponitur. Nam decem dies præfiniuntur Synodo Arelatenſi II. c. XXXII. & Synodo Vaſenſi c. IX.

LEGIS ORDINEM ] L. I. Cod. Th. De expoſitis.

EX CORPORE THEODOSIANI LIBRI QVINTI ] L. I. C. Th. De his qui ſanguinolentos emptos vel nutriend. accep. quæ licèt de expoſitis non loquatur, tamen par eſt ratio & idem ius. Itaque heic profertur, vt appareat venditionem à matriculariis factam ratam manere, & ex ea emptori ius eſſe infantem in ſuo ſeruitio retinere.

SI QVIS INFANTEM ] Non ex verbis Legis, ſed ex interpretatione Aniani hæc ſententia deſumpta eſt.

INGENVITAS ] Manumiſſionis eſt formula quæ in Eccleſia celebratur, qua de re plura ad Incer. Auctor. Formul. cap. VII. & cap. CAP. XII.

LVI. Exemplum porrò huiuſce manumiſſionis, huic formulæ planè genuinum ex incerto quodam Concilio Toletano exhibet Burch. lib. II. C. XXX.

EAT PERGAT PARTEM QVAM MALVERIT] Clauſula in manumiſſionibus frequentiſſima, & certè apud veteres ſola ferè libertatis dandæ formula. Apertè id Plautus variis locis declarat, vt in Menæchm. Act. V. ſc. VII. *Mea quidem herclè cauſa liber eſto, atque abito quò voles*, cui ſeruus, *Salue mi patrone.* Vnde & ἰκλεθερίαν appellatam Grammatici teſtantur, quaſi ea præcipuè nota libertatis ſit quò libuerit proficiſci. *Nihil enim*, inquit Venuleius L. II. de libero homine exhib. *multum à ſpecie ſeruientium differunt, quibus facultas non datur à loco recedendi.* Ideóque Papinianus eiuſmodi conditione vt in illa ciuitate domicilium habeat quis, ius libertatis aliquatenus infringi exiſtimabat. L. LXI. § Titio centum, De conditionibus & demonſtrat. Burchardus lib. II cap. XXVI. *Eandem pergat partem quamcumque volens canonicè elegerit.* ſuprà in Formul. Incert. Auctor. cap. LVI. *Ea tamen conditione vt eat vbique: quam voluerit partem pergat, tanquam ſi ab ingenuis parentibus fuiſſet natus vel procreatus.* Leg. Ribuar. tit. LXIII. *Si quis ſeruum ſuum libertum fecerit, & ciuem Romanum, portáſque apertas conſcripſerit.*

CAP. XVI. CHARTA IN PVELLAM FACTA] Marcul. lib. II. cap. XVI.

VIVENTIBVS PATRIBVS INTER FILIOSFAM.] Paulus Sentent. lib. II. tit. XIX. *Eorum qui in poteſtate patris ſunt, ſine voluntate eius matrimonia iure non contrahuntur, ſed contracta non ſoluuntur, contemplatio enim publicæ vtilitatis priuatorum commodis præfertur:* cui ſententiæ interpretationem Anianus ſeu quis alius adiecit, ex qua huius formulæ verba deſumpta videntur. Videndus Cuiacius Obſeruat. lib. III. cap. V.

CAP. XVII. DONATIO INTER VIRVM ET VXOREM QVÆ GESTIS SIT ALLIGATA] Conſtantinus in L. I. Cod. Th. De ſponſalibus. *Pater noſter nullam voluit liberalitatem valere ſi actis inſerta non eſſet. Nos etiam inter ſponſos quoque ac ſponſas omnéſque perſonas eam ſolam donationem ex promulgata legis tempore valere ſancimus, quam teſtificatio actorum ſequuta eſt.* De geſtis dictum eſt ad Marculf. lib. II. c. XXXVII.

SCRIPTVRARVM NECESSE EST TITVLIS ALLIGARI] Anianus ad L. I. Cod. Th. De donat. *In conſcribendis donationibus hic ordo ſeruandus eſt, vt donatio nomen priùs contineat donatoris, vel illius cui donatur, deinde res quæ donantur, ſiue in agris, ſiue in mancipiis, ſiue in quibuſlibet rebus atque corporibus, nominatim in donatione conſcribendæ ſunt, non occultè ſed publicè, non priuatim vel ſecretè, ſed aut in tabulis, aut in chartis, aut vbicumque legatur facta donatio, &c.*

QVIA SECVNDVM LEGEM] Hæc ſuperioribus non cohærent, niſi dicas *quia* pro *deinde* poſitum eſſe.

Apvd donatorem ea qvæ donata fuerant remanebunt] Verba ſunt Aniani, ſeu cuiuſcumque alterius ad Pauli Sentent. lib. II. tit. XXIII. Sententia Pauli hæc eſt: *Si inter virum & vxorem donatio facta fuerit, priore defuncto cui donatum eſt, ad eum res redit qui donauerat.* L. Si inter IX. De rebus dubiis. Quod Seueri oratione conſtitutum eſt. L. Cùm hic ſtatus XXXII. §. ſi ambo. De donation. inr. vir. & vxor.

Qvartam vero legitimis heredibvs meis reservo] Anianus ad L. I. Cod. Th. De donationibus. *Quæ tamen omnes donationes ſuperiùs comprehenſa, ſi modum exceſſerint lege conſcriptum, vnde poſſint certa perſona de immodica donatione proponere, hoc eſt ſi quartam ſibi facultatis ſua donator non reſeruauerit, non valebunt.* In donationibus etiam inter virum & vxorem Falcidia locum habet. L. Cùm hic ſtatus XXXII. §. Oratio, De donation. int. vir. & vxor. L. In donationibus XII. Cod. Ad Legem Falcidiam.

Cvm stipvlatione Aqviliana] Aquilianæ ſtipulationis nomen propriè huic rei conuenit. Per eam namque omnes præcedentes obligationes nouantur; & in ſtipulatum deducuntur, vt per acceptilationem tolli poſſint. Sed quia huiuſmodi ſtipulationis vis erat maxima ad firmandum quod agebatur, inde factum arbitror, vt & in aliis actibus mentio fieret Aquilianæ ſtipulationis.

Libellvs repvdii] Marculf. lib. II. cap. XXX. Cap. XIX.

Certis rebvs et probatis cavsis] Ex Aniano ad L. I. Cod. Th. De repudiis. In qua Conſtantinus tres tantùm diuortij cauſas probat, ſi homicidam, vel medicamentarium, vel ſepulcrorum diſſolutorem maritum ſuum eſſe fœmina probauerit. Quòd ſi præter hæc tria crimina repudium miſerit, vſque ad acuculam capitis in domo mariti deponere eam oportet: & præterea deportatur.

Lex Romana exposcit vt qvicvmqve vxoris svæ negotivm fverit proseqvvtvs] Verba Aniani ad L. IV. Cod. Th. De cognitoribus & procurator. Cui conuenit & alia Conſtantini conſtitutio in L. Maritus Cod. De procurator. Cap. XX.

Qvicqvid pater vnvmqvemqve ex filiis vel nepotibvs habere volverit] Infrà c. prox. *Quicquid filiis vel nepotibus de facultate patris cognoſcitur ordinaſſe voluntatem eius, in omnibus Lex Romana conſtringit adimplere.* Lex quæ heic indicatur, conſtitutio eſt Conſtantini L. I. C. Th. De familia erciſcunda: *Huiuſmodi conſcriptiones inter ſuos duntaxat heredes valere oportet.* paulò pòſt: *Conſiderari ſpecialiter voluntatem placet, & obſecundari protinus cùm res diuiduntur, nec retineri amplius, quàm quod ſingulorum perſonis detegatur adſcriptum, vt & memoria defuncti non violetur parentis, & occaſiones litium dirimantur.* Idipſum ſtatuitur in L. vlt. Cod. Familiæ erciſcundæ, quæ & ipſa Conſtantini eſt ad Baſſum PR. P. Sed & Cap. XXI.

Digitized by Google

olim Papinianus dixerat non videri ſimplicem donationem, ſed potiùs ſupremi iudicij diuiſionem, cùm pater inter filios ſine ſcriptura bona diuiſit, & onera æris alieni pro modo poſſeſſionum diſtribuit: L. Si filia xx. §. ſi pater. Familiæ erciſcundæ.

Cap. xxii. Epistola qualiter nepotes in loco filiarum instituuntur ab avo] Vix eſt vt Romana ſit obſeruatio hoc caſu codicillis opus eſſe, cùm nepotes quoque ex filia Iure Romano ad aui ſucceſſionem admiſſos conſtet, licèt cum tertiæ partis deminutione: niſi hoc ipſum agatur, vt ſine tertiæ deminutione eiuſmodi epiſtola vice codicillorum ad hereditatem aui vocentur. Qua de re nonnulla diximus ad Marculf. lib. ii. c. x. Huius formulæ partem exſcribit Cuiacius ſub Marculfi titulo, ad Nouel. cxviii.

Lex Romana] L. i. C. Th. De fam. erciſcunda.

Cap. xxiii. Cum curia publica] Anianus ad L. ii. Cod. Th. De legitimis hereditat. *adoptiuum, id eſt geſtis ante Curiam adfiliatum.*

Cap. xxiv. Lex Romana constringit ut qui tutores noluerint esse] Ex Aniano in L. i. Cod. Th. Qui petant.

Cap. xxv. Pactum inter parentes] Marcul. lib. ii. cap. xiv. Incert. Auct. cap. xxxix.

Legem Romanam ordinantem] L. viii. Cod. Th. De pactis & tranſactionibus. *Si quis*, inquiunt Arcadius & Honorius, *maior annis aduerſus pacta vel tranſactiones, nullo cogentis imperio, ſed libero arbitrio, & voluntate confecta putauerit eſſe veniendum, vel interpellando Iudicem vel ſupplicando Principibus, vel non implendo promiſſa ea quæ inuocato nomine Dei omnipotentis, eo auctore ſolidauerit, non ſolùm inuratur infamia, verumetiam actione priuatus, reſtituta pœna, quæ pactis probatur inſerta, earum rerum & proprietate careat, & emolumento, quod ex pacto vel tranſactione illa fuerit conſecutus.* Verba autem quæ heic inſeruntur Aniani ſunt. Eadem ferè præfatio adhibetur in veteri inſtrumento commutationis, quæ inter Robertum Comitem & Actardum Nannerenſem Epiſcopum facta eſt regnante Carolo Caluo R. Eſt autem eiuſmodi: *Commutationes quas leges Romanæ tranſactiones appellant, inter certas perſonas factæ poſt legitima tempora, id eſt* xxv. *ætatis annos habentes, ſub inuocatione nominis Dei & deſignatione Regis, inuiolabiliter permanere decernuntur, quas qui ſoluit & violat vt infamis notatur, & quod accipit committit, & ſumma quæ in ſcripto continetur multatur. Igitur placuit atque conuenit illuſtrem virum Rotbertum Comitem, necnon & Actardum venerabilem Nannetenſis ſedis Epiſcopum, &c. Et fieri placuit duas cartolas & bonorum hominum manibus roboratas. Placuit etiam hoc inſerere, vt qui pari ſuo calumniam ex hoc poſtmodum vel ſucceſſori tentauerit inferre, ſub inuocatione diuini nominis, & Regis Karoli, mnarum* c. *cogatur mulctam perſoluere. Actum Bleſo caſtro, publicè. Signum Rotberti Comitis qui hanc commutationem*

Digitized by Google

*tionem fieri vel firmare rogauit* I.g. *Godobei de cuius beneficio fuit. Data menſe Madio anno* XXV. *regnante Karolo glorioſiſſimo Rege.*

Confirmatio Regis, &c. Marcul. lib. I. c. XXXIII. Cap. XXVII.

Item apennis] Incert. Auct. c. XLVI. Cap. XXVIII.

Editio legibus comprehensa] Huius capitis duæ ſunt partes. Prima continet formulam qua actor qui rem aut locum Cap. XXIX. vindicat, aduerſario nolente aliter reſpondere cauet de ſumptibus & litis expenſis ſecundùm leges ſoluendis, ſi actio iniuſta reperiatur. Altera pertinet ad inſcriptionem quam accuſator edere tenetur in cauſa criminali, per quam ſe ſimili pœnæ ſubiicit. Itaque heic editionis nomen cautionem eiuſmodi ſeu declarationem ſignificat.

In quadruplum] Singulare eſt quod heic dicitur appellantem teneri aduerſario expenſas poſt appellationem factas in quadruplum refundere, ſi iniuſta appellatio fuerit comprobata. Qua autem lege id conſtitutum fuerit in præſenti non occurrit.

Inscriptionem de sumptibus et expensis] Eſt igitur etiam in actione ciuili inſcriptio, hoc eſt cautio ſeu repromiſſio in iure de impenſis ab actore aduerſario reddendis, ſi temerè litigaſſet.

Quicumque alium] Verba ſunt Aniani ad L. XIV. Cod. Th. De accuſat. & inſcription.

De homicidii crimine] Non in homicidij tantùm accuſatione, ſed cuiuſcumque alterius criminis, inſcriptionem præcedere oportet. In L. XI. Cod. Th. De accuſation. *Nullus*, inquit, *ſecundùm iuris perſcriptum, crimen quod intendere propoſuerit exſequatur, niſi ſubeat inſcriptionis vinculum. Etenim qui alterius famam, fortunas, caput denique & ſanguinem in iudicium deuocauerit, ſciat ſibi impendere congruam pœnam, ſi quod intenderit non probauerit.* Cui conuenit L. Si cui VII. De accuſation. & L. In cauſis XVI. Cod. eod. Symmachus lib. X. ep. vlt. *Quid habeat conditionis inſcriptio noſtis præ cæteris iuris publici conditores, Imperatores. Prouiſum eſt enim ne quis temere in alieni capitis diſcrimen irrueret, ni ſe idem priùs pœna ſponſione vinciret.* tum ſubiicit, *ſupererat vt crimine non probato in accuſatorem formidata reis pœna tranſiret.* Concil. Arauſicum can. IV. Burchardus lib. XVI. cap. III. Formulam autem ſeu conceptionem libelli inſcriptionis tradit Paulus in L. III. De accuſat.

Et si servum alienum] L. Si quis ſeruos XIII. Cod. De accuſation. quæ pars eſt L. XIV. C. Th. eod. ex cuius interpretatione Aniani hæc deſumpta ſunt.

Relatio cum iudicio] Continet relationem iudicis qui Cap. XXX. refert ſe cùm veniſſet in aliquem locum in quo homo interfectus iacebat, & quæſtionem de cæde habuiſſet, ex teſtibus accepiſſe eum qui interfectus eſt impetum in alterum feciſſe & grauiter cæcidiſſe, adeò



Digitized by Google

vt ille coactus ſit vim repellendo eum interficere. Quod idem cùm aſſereret interfector, iudex pronunciauit vt in XL. dies manu ſua triceſima ſeptima in Eccleſia iuraret, ſe neceſſitate compulſum cùm aliter vim effugere non poſſet eum occidiſſe. Quo facto impune ei erit.

SI QVIS AD RAPINAM FACIENDAM] Deſumpta hæc ſunt ex l. II. Cod. Th. Ad legem Corneliam de ſicariis, ſeu potiùs ex Aniani interpretatione. *Quoties*, inquit, *ad faciendam rapinam, aliquis aut iter agentem, aut domum cuiuſlibet nocturnus expoliator adgreditur, huiuſmodi perſonis, quæ vim ſuſtinent, damus etiam cum armis licentiam reſiſtendi, & ſi pro temeritate ſua occiſus fuerit ille, qui venerit, mors latronis ipſius à nemine requiratur.*

QVI AD IPSOS VCCOS CVCVRRERANT] Vccos accipio pro ictibus, *coups*. In MS. Reg. ſcribitur HVCCOS, quod me interpretationem mutare admonuit, & pro clamoribus accipio, nam & veteribus ſcriptis vernaculis, & in pleriſque Galliæ partibus *hucher* pro vocare vſurpatur, idque à voce hac emanaſſe apparet.

LIVORES VEL CAPVLATVRÆ] Marculf. lib. I. cap. XXIX. Capulare verò truncare eſt, exſcindere vel frangere, Vet. gloſſ. apud Pithœum ad Leg. Sal. tit. IX. Leg. Salicæ tit. XXXI. II. *Si quis pedem alterius capulauerit, & ibi mancatus remanſerit;* Itaque capulaturæ vulnera ſunt & plagæ gladio factæ.

IN SVA MOVITA] Nobis *eſmeutte.*

FORBATVDVM FECIT] Vide ſuprà ad incert. Auctor. Formul. cap. XXIX.

IN NOCTES XL.] Quadraginta dierum tempus vtplurimum præfinitum erat, cùm aliquis iurare iubebatur: Adnuntiatio apud Piſtas cap. XXXIII. *Et quia ſacramenta poſt quadraginta noctes legaliter iuranda accipiuntur*, &c.

CAP. XXXI. BREVE SACRAMENTI] Formula ſacramenti in Eccleſia præſtiti poſt ſuperiorem ſententiam. Gregor. Turon. lib. IV. cap. XLVI. *Requirit hominem alium, Vrſum nomine, quem ad altare clam adductum iurare fecit ac dicere: Per hunc locum ſanctum & reliquias martyrum beatorum, &c. Factóque ex hoc iuramento, breue ſacramentorum Regi protulit.* Breue ſeu breuis chartula eſt ſiue libellus. Lampridius in Alexandro: *Milites ſuos ſic vbique ſciuit, vt in cubiculo haberet breues & numerum & tempora militantium*, idémque poſtea pittacia pro breuibus vſurpat. In l. V. De conueniendis fiſci debitoribus Cod. lib. X. *Inter chartulas confiſcati breuis quidam adſeueratur inuentus, qui nomina continebat debitorum & contractuum.* Capitul. lib. III. cap. LXXXII. *deſcribere in breue.* Vnde & *inbreuiare* Synodi Meldenſis cap. XX.

CAP. XXXII. SI QVANDO MASCVLVS ET FOEMINA PARITER RAPTVM CONSENSERINT INFRA QVINQVENNIVM LITIGETVR]

Digitized by Google

Raptus accuſationem non tantùm ipſi parentes, ſed & quilibet alij quos commune odium delictorum mouerit inſtituere poſſunt: dum tamen intra quinquennium id faciant, alioqui nulli deinceps copia eſt arguendi, nec de coniugio aut ſobole diſputandi, l. III. Cod. Th. De raptu virgin. Illud eſt quod hoc lemmate indicatur. Itaque hac formula cùm quidam de raptu aliquem accuſaſſet, & mulierem quoque, quòd pariter conſenſiſſe diceretur, de ſcelere confeſſis capitalis pœna irroganda erat. Sed tandem quorundam interceſſione res ita compoſita eſt, vt illi certa pecuniæ ſumma vitam redimerent: teſtatione habita intra quinquennium accuſationem inſtitutam, & accuſatoris cauſa & reorum, ne deinceps ab aliis eiuſdem criminis rei poſtularentur.

VITÆ PERICVLVM] L. I. & II. Cod. Th. de raptu virginum.

VVADIOS SVOS] Vuadium pignus eſt, nobis *gage*; quod à vade deductum eſſe apparet. Synodi Cabilonenſis c. XVIII. Capitul. lib. II. cap. XXXVIII. Leg. Baiuuar. c. I. tit. VI. 3. *Ad partem fiſci pro fredo præbeat fideiuſſorem, & donet vuadium de* XL. *ſolidis.* cap. III. tit. I. *Donet vuadium Comiti illo de fredo ſicut lex eſt.* cap. XXIV. tit. I. *Dicat hæc verba, & cum dextera manu tradat, cum ſiniſtra porriget vuadium huic qui de terra ipſa eum mallat per hæc verba, Ecce vuadium tibi do quod tuam terram alteri non do,* ex quibus dici poteſt ſæpè pro vuadio non pecuniam modò, ſed etiam rem quamlibet datam fuiſſe, pro ſymbolo ſcilicet ſponſionis. Sic in Chron. Diuionenſi. *Fulchardus per vuadium ſuum & cultellum ſuum cum fiſtuca & ceſpite coram præſentia bonorum hominum, qui ibidem aderant, ſe exutum fecit, & ſecundum legem ſuam miſſis B. Benigni publicè tradidit.*

IVDICIVM EVINDICATVM] Marcul. lib I. cap. XXXVII. CAP. XXXIII.

EPISTOLA ABATIS VEL RECTORIS ECCLESIÆ] Conceſſio precariæ, charta præſtationis. Marcul. lib. II. cap. XL. CAP. XXXIV.

CESSIO A DIE PRÆSENTE] Donatio. CAP. XXXVI.

NON OCCVLTE SED PVBLICE] Anianus ad L. I. Cod. Th. De donation. *Non occultè, ſed publicè, non priuatim vel ſecretè, ſed aut in tabulis, aut in chartis, aut vbicumque facta legatur donatio.*

MINISTERIALIBVS] Colonis, villicis, qui villas colunt, & in iis deſeruiunt. Flodoardus Hiſt. Rhemenſ. lib. III. c. XXVIII. de Hincmaro; *Plebeiis quoque quibuſdam perſonis, villarum ſcilicet miniſterialibus, pro rebus miniſteriorum ſuorum nonnunquam ſcribens prudenter atque rationabiliter diſponebat, qualiter res ſibi commiſſas tractare deberent.* Aliquando tamen miniſteriales pro vaſſis & vaſſallis dicuntur, qui ab alio feudum habent. Capitul. lib. IV. cap. XXX. *Si homo liber vel miniſterialis Comitis hoc fecerit, honorem qualemcumque habuerit ſiue beneficium amittat.* Diploma donationis à Carolo Simplici in Odonem Comitem collata Narbonæ an. XII. regni, indictione XII. *Odonem di-* CAP. XXXVII.

*lectiſſimum comitem & miniſterialem noſtrum de rebus proprietatis noſtræ honorare decreuimus.*

CAP. XXXIX. SECVRITAS ] Marculf. lib. II. cap. XVIII. Incert. Auct. cap. XXXII. & LI.

CAP. XL. ET DE ANNIS XXX. ] Conſtirutionem edidit Theodoſius Imp. de præſcriptione XXX. annorum, vt teſtatur Valentinianus Nouel. lib. II. tit. VIII. *Lex domini patris clementia mea, Theodoſij perennis Auguſti, qua virtutum ſuarum morem ſecutus, humano generi profunda quiete proſpexit, conſtituens poſt* XXX. *annos nulla penitus iurgia, quæ medio tempore nota non fuerant, excitari.* Quod ipſum ſanxit Valentinianus Nou. lib. II. tit. XII. De Epiſcopali iudicio, & diuerſis negotiis, ad quam Anianus. Sidonius Apollinaris lib. VII. ep. VII. *Per ipſum ferè tempus, vt decemuiraliter loquar, lex de præſcriptione tricennij fuerat proquiritata: cuius peremptoriis abolita rubricis vis omnis in ſextum tracta quinquennium terminabatur.* Vbi plura doctiſſimus Sauaro.

CAP. XLI. BREVE SACRAMENTI ] Suprà cap. XXXI.

CAP. XLIII. VENDITIO DE AREA ] Marculf. lib. II. c. XX.

CAP. XLV. EVACVATORIA ] Marculf. lib. II. cap. XXXV. Incert. Auct. c. XXXVI.

CAP. XLVI. DE CAVSIS COMMENDATIS ] Mandarum. Marcul. lib. II. cap. XXXI.

## AD VARIAS FORMVLAS.

INCIPIVNT CHARTÆ REGALES SEV PARENSALES ] Perperàm his formulis chartarum regalium tirulus adſcribitur. Non enim nomine Regis inſcriptæ, ſed priuatæ epiſtolæ forma more ſæculi confectæ. Ad quas longioribus notis opus non eſt, cùm omnia ferè ad Marculfum & alios expoſita ſint.

CAP. III. BVNNVARIA TANTA DE TERRA ARABILI ] Modus terræ, *Bonniere* in Burellerij libro. Qua voce Ambiani & Atrebates adhuc vtuntur.

CAP. V. PER SOLIDVM ET DENARIVM SECVNDVM LEGEM SALICAM VISVS FVI SPONSARE ] Vxoris ducendæ forma quaſi per coemptionem, veteribus Francis vſitata. Fredegarius de nuptiis Chlodouei & Chlotildis: *Legati offerentes, ſolido & denario, vt mos erat Francorum, eam partibus Chlodouei ſponſant.* Imaginaria hæc coemptio vetuſtiſſimæ obſeruantiæ ſpecies, quâ vxores emi non apud Germanos tantùm, ſed apud pleraſque gentes mos erat. Saxones etiam verè ſibi vxores emebant. Leg. Saxonum cap. XXXVIII. *Vxorem ducturus trecentos ſolidos det parentibus eius.* In legib. Burgundionum tit. XII. *Sexies puella pretium raptor exoluat.* & tit. XXXIV. *Si quis vxorem ſuam ſine cauſa dimiſerit, inferat ei alterum tantum quantum pro precio ipſius dederat.* Qua de re aliàs fortaſſe.

Digitized by Google

SECVNDVM LEGEM SALICAM ] Morem Francorum dixit Fredegarius, vt & Vet. Formul. apud F. Pithœum, *N. filius N. puellam ingenuam nomine N. illius filiam per ſolidum & denarium, ſecundùm legem Salicam & antiquam conſuetudinem deſponſauit.* In Lege quidem Salica de virginis nuptiis nil cautum extat. De viduis autem ducendis titulus eſt XLVI. vbi tamen non vnus ſolidus, ſed tres ſolidi & denarius memorantur: *Ille*, inquit, *qui viduam accipere vult cum tribus teſtibus qui adprobare debent, tres ſolidos æquè penſantes & denarium habere debet: & hoc facto ſi eis conuenit, viduam accipiat:* deinde *ſi tres ſolidos & denarium ille cui reippus debetur acceperit, tum eam legitimè accipiat.*

MANSIS AD COMMANENDVM ] Manſus villula eſt coloni vnius habitationi deſtinata, cum certo agri modo, quantum ille arare poteſt. Adnuntiatio Caroli apud Piſtas cap. XXX. *Vt quoniam in quibuſdam locis coloni tam fiſcales quàm & de caſis Dei ſuas hereditates id eſt manſa quæ tenent, non ſolùm ſuis paribus, ſed & clericis, canonicis ac villanis presbyteris, & aliis quibuſcumque hominibus vendunt, & tantummodo cellam retinent, & hac occaſione ſic deſtructæ ſunt villæ, vt non ſolùm cenſus debitus inde non poſſit exigi, ſed etiam quæ terræ de ſingulis manſis fuerunt iam non poſſunt cognoſci &c.* Hodie quoque Burgundionibus *Meix* dicitur coloni adſcriptitij hærediolum. Aliis *Mas*, harum certè formularum exemplar perpetuò non *manſum*, ſed *maſum* habet.

CASTICIIS ] Caſticias ſepta Falcetus interpretatur, Antiquit. lib. IX. cap. XIII. vbi capitula quædam Synodi Sueſſionenſis an. DCCCLIII. refert, ne cui *in caſticiis & ſyluis cuſtoditis* venari liceret. In epiſtola Epiſcoporum Rhomenſium & Rothomagenſium apud Pithœum, & eundem Falcetum lib. X. c. XV. *Iudices vt ædificent villas moderatis caſticiis*, quo loco ædificia deſignari ſequentia verba manifeſtant. Sic infrà cap. IX. *manſum ad commanendum cum caſticia ſuperpoſita.* In veteri inſtrumento S. Galli. Alamannic. antiquit. tom. II. p. I. c. LXVIII. *caſa dominicata, caſticiis, campis, pratis, paſcuis, &c.*

DONATIONIS VEL DELIBERATIONIS NOSTRÆ ] Deliberatio, traditio, Capitul. lib. VI. cap. CCLXXXV. *Pro quocumque illas Deo deliberare voluerit, ad ſeruiendum ex his Deo in ſacrificiis.* inde *liurer, & deliurer.* CAP. IX.

CONCVLCATORIA ] Hac formula abbas cuius ſeruus puellam ingenuam rapuerat, concedit vt ex eo coniugio nati liberi ſint. Eiuſdem argumenti eſt apud Marculf. lib. II. cap. XXIX. Quid ſit autem conculcatoria ampliùs inquirendum: legi poſſet, *conciliatoria.* CAP. X.

NOTITIA DE CRVCE EVINDICATA ] Crucis iudicium ſeu examinatio inter probationis ſpecies recenſetur. Capitul. lib. III. cap. XLVI. *Si auctor venerit & rem intertiatam recipere renuerit, campo vel cruce contendant.* Append. II. c. XXXIII. *dicens quòd illi ſit damnum facturus;* CAP. XII.

*& hoc contendere voluerit in iudicio, aut in campo, aut ad crucem, licentiam habeat.* Synodi apud Vermeriam ſub Pipino R. c. XVII. *Si mulier dicat quòd vir ſuus nunquam cum ea coiſſet, exeat inde ad crucem.* Burchardus lib. IX. c. XLI. Quod quidem prohibetur Capitul. lib. I. cap. CVIII. *Sancitum eſt vt nullus examinationem crucis facere præſumat, ne Chriſti paſſio quæ eſt glorificatio, cuiuſlibet temeritate contemptui habeatur.* Vſum tamen inualuiſſe docent poſteriora capitula. Eius probationis forma deſcribi videtur in Legib. Friſionum tit. XIV. duas ſcilicet præparari teſſeras, quarum vna pura, altera crucis ſigno inſignita ſit, quæ duæ ſuper altare in linteo euoluuntur, deinde poſt varias preces à preſbytero aut puero debent extrahi, quòd ſi crucis teſſera prima extrahatur, innocentiam ſatis probatam exiſtimabant. Agobardus pag. 288. *Iube ferrum vel aquas calefieri, quas manibus illæſus attrectem; aut conſtitue cruces, ad quas ſtans immobilis perſeuerem.* Ex quibus verbis apparet alium quàm teſſerarium modum purgationis fuiſſe. Vide de cruce 1384. ex Guibert. vbi eſt iuramentum ſuper crucem. Beda Syn. epiſt. 8. teſtam. Kar. III. *iudicium crucis Dei.*

Hlotharius Imp. iiſdem verbis in legib. Longob. lib. II. tit. LV. l. 31.

PROPRISISSET] inuaſiſſet; Leg. Ribuar. tit. LXXVII. *Si quis caballum, hominem, vel quamlibet rem in via propriſerit, aut eum ſequutus fuerit, per tres marcas eum oſtendat.* Capitul. lib. V. c. CXL. *De rebus propriſis, vt ante miſſos & comites & iudices noſtros veniant, & ibi accipiant finitiuam ſententiam, & antea nullus præſumat alterius res prendere, ſed magis ſuam cauſam quærat ante iudices noſtros, vt diximus, & ibi recipiant quod iuſtum eſt.*

Cap. XIII. CAVTIO DE CLAVIBVS] Cautio eſt ab eo facta qui cùm rem aliquam cuſtodiendam ſuſcepiſſet, eámque poſtea dolo vel iniuria amiſſam nec reſtituere poteſt, nec æſtimationem præſtare, domino rei ſeipſum tradit, vt pro ſeruo deinceps habeatur. Ideóque cautio de clauibus dicitur, quia per clauium traditionem res quæ in horreo, vel cellario continebantur commendatæ ei fuerant.

GRANICA] Horrea. à grano, vnde & nos hodie *granaria* dicimus. Leg. Baiuuar. c. I. tit. XIII. 12. *Fœnile, granicum, vel tumnum.* Granea in Capitulis. addit. IV. cap. XCIV. vbi de decimis. *Infra ſepta Eccleſiæ cui iure debentur, in ſuis vtiliter graneis collectas habeat* &c.

VITALIA SVA] Nobis *victuailles.*

PERDITA VEL NAVRATA] In ora MS. vnde hæc deſumpta ſunt, P. Daniel adnotauerat fortaſſe legendum, *non curata.*

PVBLICO] Delendum videtur.

Cap. XV. CHARTA TRACTVRIA] Incert. Auctor. cap. X.

Cap. XVIII. CENTENA ILLA] Comitatus in centenas diſtributi erant. Capitul. lib. III. c. X. *Et de ipſo pago aut de vicinis centenis eligantur, niſi fortè longiùs extra comitatum cauſa ſit inquirenda.* & lib. IV. c. XXIII. *Si*

Digitized by Google

*tamen contentio quæ inter eos exorta eſt, in confinio duorum comitatuum fuerit, liceat eis de vicina centena adiacentis comitatus ad cauſam ſuam teſtes habere.* Proxime Heildelbergam adhuc apparet centenæ veſtigium in aliquot pagis, & manſit vocabulum. Rhenanus Rer. Germanic. lib. II. p. 88. *Nomen alibi fere incognitum & exoletum in Palatinatus regione integrum notúmque remanſit, die centen. centenarij, centgraffen.* Freherus orig. Palat. p. I. c. 5. p. 36. Rhenanus Romanam eſſe vocem contendit & originem, quod doctiſſ. Frehero minùs placet. Huc referri poſſet Taciti locus, *Quod primò numerus fuit, iam nomen & honor eſt.* Sed an verè, adhuc inquirendum cenſeo. Vetus Chronicon. in Aluredo R. Anglor. *Centurias quas Hundredas vocant, & decimas, quas Tethinge appellant, inſtituit, vt omnis Angligena legaliter viuens centuriam habeat & decimam. quos ſi quis alicuius delicti argueretur incommodo, ſtatim exhiberentur ex centuria qui eum vadarentur, & decima.* Vide Pithœum in gloſſar. Capitulor.

COMMENDATIA ] Præſtaria, charta præſtationis.

INDICVLVS PRECATORIVS AD EPISCOPVM ] Epiſtola eſt ab Abbate fortè aut alio quolibet ſacerdote Epiſcopo ſcripta, qua illius ſeruum ad ſe confugiſſe declarat. Quem obnixè rogat vt vitam & membra ſalua integráque repromittat. CAP. XXIII.

VITAM ET INMANCATIONEM ] Solebant veteres ſeu Epiſcopi, ſeu clerici pro reis ad Eccleſiam confugientibus intercedere, nec priùs eos reddere quàm *ad euangelia datis ſacramentis,* (inquit Synodus Aurelianenſis I. c. III.) *de morte & debilitate ſint ſecuri, ita vt ei cui reus fuerit criminoſus, de ſatisfactione conueniat.* quod etiam in ſeruis obtinebat, qui non niſi excuſati dominis permittebantur. Synodi Aurelianenſis I. c. IV. & V. Præclarum eius rei apud Gregorium Turonenſem extat exemplum. Sic igitur ille lib. V. cap. III. de Rauchingo: *Aiebant quidam eo tempore duo de famulis eius, vt ſæpe contingit, mutuo ſe amore dilexiſſe, virum ſcilicet & puellam. Cúmque hæc dilectio per duorum annorum aut eo amplius ſpatia traheretur, coniuncti pariter Eccleſiam petierunt. Quod cùm Rauchingus comperiſſet, accedit ad ſacerdotem loci: rogat ſibi protinus reddi ſuos famulos excuſatos. Tunc ſacerdos ait ad eum: Noſti enim quæ veneratio debeat impendi Eccleſiis Dei: non enim poteris eos accipere, niſi vt fidem facias de permanente eorum coniunctione: ſimiliter & vt de omni pœna corporali liberi maneant, repromittas, &c.* Zozimus lib. V. de Stilichonis exitu, qui cùm Eccleſiam tutelæ cauſa petiiſſet, περιελθόντες εἰς τὴν ἐκκλησίαν οἱ στρατιῶται καὶ ὅρκοις πιστωσάμενοι τοῦ ἐπισκόπου παρόντος, ὡς οὐκ ἀνελεῖν αὐτὸν, ἀλλὰ φυλάξαι μόνον παρὰ τοῦ βασιλέως ἐπετάχθησαν, ἐπειδὴ τῆς ἐκκλησίας ὑπεξῆλθεν, ὑπὸ τὴν τῶν στρατιωτῶν ἦν φυλακήν.

CAVTIO DE INFRACTVRIS ] Qua is qui effracto horreo, vel cellario furtum commiſerat, eo nomine in certam pecuniam condem- CAP. XXVI.

natus ſeipſum pro pignore tradit. Exſcribitur hæc formula à Fr. Pithœo ad Leg. Sal. tit. LX.

SPICARIVM ] Horreum, à ſpicis ſcilicet reconditis. Leg. Sal. tit. XVIII. 2. *Si quis ſpicarium aut macholum cum annona incenderit.*

SED iam portum conſpiciens ſupereſſe videtur, vt ſaltem in extremo operis profitear, cùm multos in his notis meritò lubénſque nominauerim per quos profeci, nullum tamen eſſe cui plus tribuendum ſit quam Rol. Bignonio I C. patri optimo atque amantiſſimo, qui mihi inter maximas difficultates, quæ toties occurrerunt, hærenti manum præbuit, fulſit, & digitum ad fontem intendit, licèt audendi auctor non extitiſſet. Sed à quo conſilium de tanta re non petiiſſem, ſubſidium tamen petere non dubitaui. Is eſt cui non tantùm vitam vt parenti, ſed inſtitutionem vt præceptori, & quicquid in me eſt, debeo. Qui mores & ingenium formauit, litteris & ingenuis artibus excoluit, atque etiam ad iuriſprudentiam & auctores adeò facilem aditum præbuit, vt hæc ſtudia nullo non modò labori, ſed voluptati mihi fuerint: nec alio anteceſſore opus, aut quærendus Scæuola à cuius latere nunquam diſcederem: de quo non eſt animus quicquam amplius dicere, ne videar ſuffragari mihi. Tantùm volui hoc extare grati animi indicium: Deum hominéſque teſtatus, nihil mihi magis eſſe in votis quàm vt talem tantúmque paternum affectum pari pietate poſſim compenſare. FAXIT DEVS CVI OMNIS GRATIARVM ACTIO, LAVS ET HONOR.

*NOTARVM FINIS.*

# INDEX RERVM ET VERBORVM,

## Quæ in Notis ad Marculfi & aliorum authorum formulas continentur.

### A


ABATES iure communi Epiſcopis ſuberant. 243
Abiectus & deiectus. 301
Abſentes qualiter cauſa cadant. 302
Accolæ. 275
Actardus Nannetenſis Epiſcopus. 360. & eius commutatio cum Roberto Comite. *ibidem.*
Actio, Officium. 265. 269. 270
Actionarij, pro officialibus. 270
Actiones. 306
Actor Dominicus. 270
Adgnaſci, adgnatio. 325
Adiactiuus. 301
Admallare. 282
Adoptio qualiter & quando fieri poteſt. 317
Adrhamire. 334
Adrhamitum. *ibidem.*
Adſallire. 294. 300
Adtractum. 299
Aduocati & defenſores Eccleſiarum à Rege petebantur olim. 282
Æqualentia. 346
Agaunenſe monaſterium. 246
Agentes. 265. 269
Agrarium. 329
Agraticum. 229
*Agrier.* *ibidem*
Aloariæ, aloarij. 344
*Alouër.* *ibidem.*
Alode. 251. 252. 272. 273
Alodium vnde. 251. 273
Altaris benedictio. 247
Altari imponebantur olim res quæ Eccleſiæ donabantur, aut ſaltem earum inſtrumenta. 248. 249
Anathematis pœna veteribus inſtrumentis inſeri ſolita. 250
*Annuit*, pro, hodie, Gallis, vnde. 337
ἀποδώσιν. 332
Antruſtiones. 276
Apoſtolici Epiſcopi omnes olim dicti. 251
Apoſtolicus Papa ſolus nunc dicitur. *ibidem.*
Appares. 348
*Apud* pro *cum*, aut *per.* 346
Aquiliana ſtipulatio. 359
Archidiaconus, & eius dignitas ac munus. 248. 351
Archiepiſcoporum appellatio. 264
Arcibum. 359
Arcipes publici. 331

Aribannus. 345
*Arrierban.* 306. 307
Arimania, familia, 276. 277
Aripennus. 349
Arpendium Gallicè *arpent.* *ibidem.*
Arpennis. *ibidem.*
Aruipennium. *ibidem.*
*Aſſaillir.* 294
Aucæ, anſeres. 271
Auctoritas, pro præcepto ſeu diplomate regio. 260
Audientia Principis. 293
Audoënus Rothomagenſis Epiſcopus. 246
*En auant.* 241
Auitus Viennenſis. 242

B

BANNIRE. 306. 307
Bannum. *ibidem.*
Becto Epiſcopus Lingonenſis. 334
Benedicere, conſecrare. 265
Beneficium Regis, 272
Beneficium pro precario. 312. 313
Beneficia, feuda poſtea dicta. 312. 313
Beneficia ſeu feuda vacantia conferebant olim Reges fidelibus ſuis. 278
Bertchrannus Cenomanenſis Epiſcopus. 321
Bertefridus Ambianenſis Epiſcopus monaſterio Corbeïæ priuilegium libertatis conceſſit. 243. 246
Beſuenſe monaſterium. 334
Bonorum quot præcipuæ ſpecies. 251

C

CADIVVS pro malo. 324. pro comitiali morbo vexato. *ibidem.* pro dæmoniaco. *ibidem.*
Caducus. *ibidem.*
*Calange, & calanger.* 353. 354
Calumnia. 297. 353
Calumnia Regis Caſtellæ. 354
Camerarius. 291
Cancellarius. 290
Canonicæ ſanctiones. 340
Capella. 304
Capella S. Martini. 304. 305
Capella Regia. 305
Captatorium. 319. 320
Caraxaturæ. 322
Carropera. 329
Caſa Dei. 334. 346
*Cattiuo.* 324
Cauſa pro re. 309
Cautio de infracturis. 367
Cautio de vinea. 349
Cautionis acceptio. 324
Cenſus annuus in precariis. 344
Centenarij. 340. 341
Centena. 366
Ceſſio ex cauſa donationis. 312
*Champart.* 329
Charta agnationis. 343
Charta audientialis. 293
Charta de cauſa ſuſpenſa. 285
Charta de mundeburde Regis. 285
Charta obnoxiationis à patre in filiis facta. 315
Charta paricla. 302
Charta ſacramentalis. 336
Chartæ Regales. 242
Chartæ pagenſes. 242. 308
Chartarum combuſtarum præcepta. 297. 298
Chartularij ſerui. 326.

*Chetif.* 324
*Choſe*, cauſa, res. 309
Chriſmatis petitio ſine pretio. 247
Clauſula diplomatibus addi ſolita. 253
Clerici ordinandi comam deponebant. 280. 310
Clerici ſine Epiſcopi licentia non peregrinabantur. 341. 342
Clericos abſque conſenſu Principis ordinari mos non erat. 279
Coloni. 335
Coloni iure Romano liberi. 284
Colonia pro Colonica. 296
Colonica. 295
Colpus, ictus. 344
Comam nutrire vetantur clerici. 280. eam ordinandi deponebant. *ibidem.* & 310
Comitis & Scabineorum iudicium. 334. 335
Comites. 265. Epiſcopis comparati. 266. eorum dignitas & munus. 265. 266. 167
Comites pagis præerant. 294
Comites Palatij & eorum officium. 292. Archicapellanis & apocriſiariis aſſimilati. *ibidem* de quibus cauſis cognoſcebant. *ibidem.* aliquando plures eodem tempore. 292. Conſul pro Comite 249. 327
Comites ciuitatum fratris appellatione à Principibus decorati. 335
Commendare ſe quid. 277
Commercius. 348
Commutatio cum Rege. 295
Commutationes de rebus Eccleſiaſticis prohibitæ. 296
Comparata. 251
Compoſitio de vita. 278. 279
Concambiare & concamiare. 324
Concambium. *ibidem.*
Condita quid. 353
Confirmatio. 275
Confirmatio de munitate. 260
Confirmatio pro ſecularibus viris. 276
Conie*us. 259
Conquiſita. 251
Conſenſus ciuium pro Epiſcopatu. 264
Conſtantinus manumiſſionis in Eccleſia author. 352
Conſuetudo pro legibus Salicis. 316
Contubernium. 319
Conuerſare, pro monachum fieri. 312
Cortis. 347
*Coup.* 344
Crimina redimebantur olim pecunia. 325. *vide* Delicta *infrà.*
Crucis examinatio. 365
Cubicularij, & eorum munus. 21
Curtis. 347
Curtes villæ dictæ. 347

D

Ado, *vide* Audoënus.
Dapifer, & eius dignitas 291
Decani. 341
Decima litis apud Francos recepta. 280. 281
Defenſio Eccleſiaſtica. 342
Defenſores ciuitatum. 330
Defenſores Eccleſiarum. 330. 334
Delicta certa pecuniæ ſumma æſtimata olim. 278 323
Denarij iactatio in manumiſſione. 283 284
Denariale præceptum, *vide in* Præcepto *infrà.*
Denariales ſerui Regem defenſorem habebant. 328
*Deſguerpir.* 275

*Deſrober*, vnde. 295
Ἀνεψιοθῶος in aula Conſtantinopolitana. 258
Directum facere. 282
Diſmanare. 345
Diuortij celebratio. 325. 326
Diuortij cauſæ probabiles quot & quæ. 359
Doarium. 318
Domeſtici. 333. eorum munus. *ibidem*.
Domeſtici fidei. 250
Donatio. 319
Donationes Eccleſiis factæ pro animæ remedio. 308. 309
Donationes quo caſu permiſſæ inter virum & vxorem. 271. 272. 358. 359
Donationes in concubinam collatæ. 350
Donationes inſinuari neceſſe vt valeant. 329. 330. 353
Donationum conſcribendarum ordo. 358
Donum matutinale. 318. 319
Dos. 317. 318
Dotis conſtitutio. *ibidem*.
Dos Eccleſiæ. 295
Dotalitium. 318
Drappi, veſtes. 273. 319
Drudi, fideles. 321
Duces, 266. Metropolitanis aſſimilati. *ibidem*. & 267
Ductus pro eductus. 305
Dulgrum facere. 274
Dupla euictionis cauſa. 323

E

ECCLESIÆ res alienari non poſſunt. 311. 312
Ἔκδικος. 334
Εἰσδικνηκά. 347
Ἐλλείβεια. 358
Elitigare. 337
Emenda. 281
Emunitas. 253. 347. *vide* Immunitas.
*Enberber*. 346
Epiſcopatus Gallici in Regia tutela perpetuò fuerunt. 286
Epiſcopus à Metropolitano coadunatis ſuffragiis conſecrandus. 263
Epiſcopi, omnes Papæ olim appellati. 241. 242. apoſtolici. 258
Epiſcopi patres ab Eccleſia dicti. 290
Epiſcopi non alij quàm nobiles olim fiebant. 262
Epiſcopi Regi adſidebant in iudiciis. 289
Epiſcopi qualiter liberationem à ſua poteſtate monaſteriis concedebant. 243
Epiſcopi ſolebant in magnis feſtiuitatibus Reges & amicos viſitare, & eulogias mittere. 331
Ad Epiſcoporum ordinationem quæ requirantur. 261. 262
Epiſcopium. 339
Epiſtola qua in loco filiorum nepotes inſtituuntur ab auo. 315
Epiſtolæ teſtamenti loco plerumque ſcribi ſolitæ. 314. per Epiſtolas negotia penè omnia geri ſolita olim. *ibidem*.
Euacuarium. 325
Euacuatoria. 328
Euectio. 270
Euindicare. 315
Eulogia. 331. 332
Eulogiarum mittendarum mos quàm antiquus. *ibidem*.
Exactare. 347
Exemptio libertatis Baſilicæ S. Vincentij Martyris in ſuburba-

371

no Lutetiæ. 243
Exemptio libertatis monaſterij Corbeïæ veteris. 243. 246
Exemptio libertatis monaſterij B. Dionyſij. 243. 244
Exheredes, & exheredate. 310
*Exvine.* 301. 302

F

FAIDA. 323
Farinarium pro piſtrino. 275
*Fermes.* 295
Feudum. 272
Feuda. 313
Fideiuſſores. 259
Fidelitas. 307
Fidelitas manibus datis promittebatur olim. 277
Fidelitas hodie feodi tantùm cauſa præſtatur. 278
Filia in alode ſeu terra paterna non ſuccedebat lege Salica. 316
Filij Regum Reges dicti olim. 305
Filij naturales in quantum heredes eſſe poterant patri iure Romano. 350
Fiſcalia bona. 251
Fiſcus. 252
Fiſtuca, traditionis ſymbolum. 273. 274
Foragium. 348
Foraticum. 348
Forbatudus. 344
*En Formariage le pire emporte le bon.* 325
Formatæ. 341. 342
Fortia, *force.* 294
Fortunatus Venantius Pictauenſis. 242
Fredum. 256. vnde deductum. 257
Fundationes Eccleſiarum & hoſpitalium pro animæ remedio. 308. 309

G

GARVM. 271
Gaſindi. 285. 329
B. Germanus Pariſ. Epiſcopus Baſilicæ S. Vincentij priuilegium libertatis conceſſit. 243
Geſta. 329
Graſia. 337
Graſiones. 337. 338
Granica, & granea. 366
*Guespie*, Gallis. 275
Gurpire. 274. 275

H

HADOINDVS Cenomanenſis Epiſcopus. 320. 330
Hamallare. 300
Hamallus. 282
Herbæ maleficæ. 346
Hereditas. 351
Hereditas luctuoſa. 347
Hereditatis diuiſio. 280. 317
Hereditoria. 349
Heribannus. 306. 345
Hoba & hobunna. 296
Homagium, & hominium. 277. 307
Humanitas, pro cibo. 271

I

IACTIVVS. 301
Ignis honoris gratia præferri ſolitus olim non ſolùm Imperatoribus, ſed & alijs. 352. 353
Immunitas. 253. 255
Immunitatis formula. 253. 254
Inantea. 242
*Inanzi*, Italis. 242
Indiculus. 263. 264
Indiculus Regis ad Epiſcopum vt alium benedicat. 263

Indiculus commonitorius. 293
Indiculus Epiſcopi ad alium in Reſurrectione Domini eulogias mittentis. 331
Indiculus generalis ad omnes homines. 332
Infantes ad oſtia Eccleſiæ exponi ſoliti olim, & cur 356. 357
Inferenda, tributum. 267
Ingenium, *engin*. 300
Ingenuitates. 326
Inimicitiæ priuatæ qualiter à Germanis gentibus vindicabantur. 322
Inſcriptio etiam in actione ciuili. 361
Inſcriptio in quocumque crimine præcedere debet accuſationem. 361
Inſtrumentorum incenſorum litteræ. 297. 298
*Inter*, pro *præter*. 319
Iudices publici. 254. 255
Iudices Regij in terris quibus immunitas conceſſa erat, ius non dicebant. 259
Iudicium Comitis & Scabineorum. 334. 335
Iudicium euinditale. 300
Iudicium Regis, & eius formula. 287. 288
Iudicium Regis Clotarij in cauſa Abbatis S. Benigni. 288. 289
Iudicium ſociorum. 297
Iuniores aliquando ſucceſſores. 256. aliquando ſubditi & inferiores. *ibidem*.
Iuratores. 303
Iuriſdictio Eccleſiis conceſſa in ſubditos. 255
Iuſiurandum in cauſis. 303. qualiter fieri ſolitum, *ibidem*, & 304. in quibus locis. 304

K

KALENDIS pecuniæ fœnebres locati ſolitæ olim. 324
Kalendarium. 324

L

LABORARE. 314. 315
Læſonuerpere. 275
Laiſus, ſinus. 275
Landericus Epiſcopus Pariſienſis. 241 B. Dionyſij monaſterio libertatis priuilegium conceſſit. 243. 244
Legati à latere. 307
*Lettres en forme de terrier*.
Leudes. 307
Leudis, precium compoſitionis pro homicidio. 343
Leudum. 307
Lex Colonica. 296
Leontius Burdegalenſis. 242
Libellus dotis. 317. 318. 319
Libellus repudij. 325 326
Libertas. *vide* Exemptio, & Priuilegium.
Liberti qui obſequiis erga patronos tenebantur, ordinari non poterant. 339. 340
Libertinitatis obſequium. 327
Liberi hominis venditio. 354
Liberi Eccleſiaſtici. 335
Ligium hominium. 307
Lignum in quibuſdam locis appenditur. 271
Lirinenſis inſulæ monaſterium. 246
Litteræ ſtatus. 285
Liuorare. 294
*Liurées*. 258
Luminarium vſus peruetuſtus in

Digitized by Google

Eccleſia. 252
Luxouienſe monaſterium. 246

M

MAGISTRATVS viduarum & pupillorum defenſores. 267
Magno Senonenſis Archiepiſcopus. 342
Magnus magiſter Franciæ. 291
*Mainbour*, & *Mainbournie*. 287
Maiores domus, 291
Maleficia. 346
*Ma'etotte*. 294
Mallus. 282. 335
Mancipia. 346
Mandata apud acta publicari ſolita. 330
Mannire. 346
Manſellum. 329
Manſionarius. 258
Manſiones. 257. 258
Manſionum Mareſcallus. 258
Manſionaticum. 257. 258
Manſoarij, 284. alij liberi, alij ſeruiles. *ibidem*.
Manſus. 284
Manu propria ſubſcribebant Impp. & Reges ſua reſcripta & edicta. 260
Manu firmare. 260
Manufirmationes. 260
Manumiſſio per chartam. 283
Manumiſſio per epiſtolam. 326
Manumiſſionis in Eccleſia Conſtantinus author. 352
Manumiſſi in Eccleſia ſub eiuſdem Eccleſiæ tuitione conſiſtebant. 328
Marculphi ſæculum, ætas, & inſtitutum. 241
Margila. 329
*Marguilliers*, qui Gallis. 356
Maſſarij. 285
Matricularij. 356
Mercada. 348
*Meſtairies*. 295
Miniſterium pro territorio. 345
Miſſi dominici. 337
Monachi primis ſeculis extra clerum. 247
Morghangeba. 319
Mundeburdium. 285. 286. 287
Mundius. 287
Mundoaldus. 287

N

NATIVITATE filiorum Regis ſerui manumitti, vinctique abſolui ſoliti olim. 305
Naturales liberi. 350. 351
Negotium pro re vænali. 248
Nepotes ex filia iure Romano ad aui ſucceſſionem admiſſi. 360
Niungeldum. 279
Noctium numero computabant veteres, non dierum. 337
Notitia de colono euindicato. 333
Notitia de homine forbatudo. 344

O

OBÆRATVS. 324
Oblata. 321
Oblationes Eccleſiarum in poteſtate Epiſcopi. 249
Obnoxiatio. 315
Optimates. 289
Ordinari non poterant ratiociniis obnoxij. 358

P

PAGVS. 293 294
Pagenſes. 294
Pagis præerant Comites. 294
*Pays.* 294
Palatini. 290
Papæ Epiſcopi omnes olim appellati. 242
Papæ nomen quando cœpit vnius eſſe in orbe Chriſtiano. 242
Παράτορια. 310
Παραμονάριοι. 284
Paratæ. 257. 258. 259. 268. 269
Paratarum munus ad quos pertinebat. 258. 259
Parauaredi. 271
Parentes pro quibuſcumque ſanguine iunctis. 317
Pares. 297
Pares Curiæ ſeu Curtis. 297
Paricla ſeu paricula charta vnde dicta. 302
Parlamenti origo. 289
Parlamenta. 300
Paſcuarium. 319
Paſtus. 259
Patritij. 298. & eorum munus *ibidem*, & 299.
Patriciatus honor. 298
Peculiare pro peculio. 327
Peculium. 316
Peculij acceptio varia. 310
Peculium ſeruo manumiſſo datum, ſi ademptum non erat. 327
Percurrere. 305
Placitum. 300
πλέθρα. 349
Polyptichum. 279. 280. 329
*Pontage.* 318
Pontaticum. 348
Pontificium pro poteſtate. 313
Poſſeſſionis ſolemniter transferendæ modi duo, ante Comitem, & in Regis præſentia. 272
*Poulier.* 280
Præceptum de clericatu. 279
Præceptum denariale. 283
Præceptum donationis inter virum & vxorem. 271
Præceptum de Epiſcopatu 260. 261
Præceptum quorum ab hoſtibus vel alio modo fuerint inſtrumenta incenſa. 297. 298
Prædicatio munus Epiſcopale. 262
Præſidium, pro pecunia numerata. 316
Præſtaria. 331
Precaria, & precatoria. 311. 312. 331
Precariæ renouandæ de quinquennio in quinquennium. 314
Precarium. 312
Preſtus. 309
Priuilegium. 242. 243. *vide* Exemplio *ſuprà*.
Procreatio liberorum. 319
*Procuration par non-puiſſance.* 282
Per Procuratores agere qualiter licebat olim apud Francos. 281. 282
Proheredes. 322
Propria ſeu proprietates quæ. 251. 252
Proprietas duplex. 251
Puleticum, quid. 279
Pupillorum defenſores ſunt Comites & Magiſtratus. 267

Q

QVADRVPLVM. 361

R

RACIMBVRGI vel Rachimburgi. 334

Raupa, ſeu Rauba. 295. 300
Rebelles. 297
Recredere, reſtituere & reddere. 335
Redemptionale. 349
Referendarij qui apud Romanos. 290. apud Francos. *ibidem.*
Reges olim ipſi in quibus cauſis ius dicebant. 287
Reges inluſtres olim dicti. 294
Reges olim mutuò ſe fratres dicebant. 268
Relatio iudicis. 361
Remigius Remenſis Epiſcopus. 320. 321
Repaſtus. 259
Repudij libellus. 325
*Retenir riere ſoy.* 293
Reueſtite. 293
Riga, vectigalis ſpecies. 319
Rigobertus Epiſcop. Remenſis. 253
Rodaticum, 347
Romani veteres incolæ Galliarum. 306
Rotaticum. 347
*Rouage.* 347

S

Sacramenta in Eccleſiis aut martyrum tumulis & altaribus præſtari ſolita. 304. Etiam extra Eccleſiam, admotis Sanctorum reliquiis. 277. 304
Sacramentales. 303
Sancti Epiſcopi appellati. 246
Scabinei. 272. 334
Securitas. 328
Securitas pro homicidio. 322
Seneſcallus. 290. 291. & eius dignitas. *ibidem.*
Seniores, domini. 264
Serui quot modis olim libertate donati. 326. *vide* Manumiſſio *ſup.*
Serui ad ſacros ordines non promouendi niſi prius manumittantur. 338
Serui Eccleſiæ. 318
in Seruitio alterius ſe obnoxiantis formula. 325
Seruorum conditio apud veteres Germanos. 275
Seruorum venditio. 323
Signaculum. 346
ad Solis occaſum opperiundus aduerſarius olim in litibus & duellis. 301
Sonnia. 301
Spicarium. 368
Stipulatio, & vnde. 311
Stipulatio Aquiliana. 359
Subſcriptio. 260
Superdictiones. 322
Suprapoſitum, & ſuperpoſitum. 353

T

Tabvlarii ſerui. 326
Temporis numerandi mos antiquis per noctes, non per dies. 345. *Vide* Noctes.
Tenſare. 334
Terra paterna. 317
Teſtamentum mutuum inter coniuges. 319. 320
Teſtamenti aperiendi dies legitimus quis. 320. modus *ibidem.*
Teſtamenta publicari & inſinuari neceſſe olim vt valerent. 319
*Terrage.* 329
*ſe Tirer d'affaires.* 305
Tollere, *tollir.* 294
Tractoriæ. 257. 258. 268. 269
Tractoriarum vſus. *ibidem.*
Tracturiæ. 259
Tracturia pro itinere peragendo. 340
Traditionis formulæ & modi. 273. 343

Traditionum ſymbola varia. 273. 274
Traditoria de terra. 343
Trahere, pro rapere. 319
Treugæ, & quando cœperunt. 257
Per triduum aduerſarius expectandus in litibus. 301
Triniumgeltum. 279
Truſtis, fides. 276. 278
Tuitionis formula. 287
Tuttis. 294

V

VASSALLI. 321
Vaſſi. *ibidem.*
Vcci. 362
Venditæ, genus vectigalis. 347
Venditio imaginaria nulla. 323
Venditio de ſemetipſo, qualiter homo liber venundetur. 354
in Venditione ſeruorum quid præſtari ſolitum. 323. 324
Venditionum ſymbola varia. 273. 274
Venditor leges ſuæ rei ſemper dixit. 323
*Ventes.* 347
in Verbo Regis recipi. 286. 287
Veredi. 271
Veſtire. 293
Veſtitura. 293
Vicarij. 335. 336
Vicecomites. 336
Viduarum defenſores. 267
Villa. 295. 296
Villæ curtes dictæ. 347
Vindictæ priuatæ mos apud Germanicas gentes. 322
Vindicta manumittere. 351
Vuere. 279
Vuerpere. 274
Vuirgildus. 278
Vxoribus tertia pars rerum acquiſitarum concedi ſolita à Francis & Burgundionibus: media à Saxonibus. 321

X

XENODOCHIVM. 308

*Gloſſæ vett.* 270. 294. 322
*Gratianus.* 243. 247. 251. 290. 302. 326. 338. 342
*Gregorius Papa.* 277. 330. 339. 348
*Gregorius Nazianzenus.* 320. 322. 341
*Gregorius Thaumaturgus.* 246
*Gregorius Turonenſis.* 242. 246. 248. 250. 251. 252. 256. 259. 260. 261. 262. 263. 264. 265. 266. 267. 268. 270. 275. 276. 279. 287. 290. 291. 292. 294. 296. 299. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 306. 307. 309. 316. 317. 319. 320. 322. 323. 325. 326. 328. 329. 332. 333. 335. 336. 345. 348. 349. 354. 356
*Gregorij Turonenſis appendix.* 267. 276. 307. 308
*Guillelmus Tyrius.* 291

*H*

*Heſychius.* 265
*S. Hieronymus.* 242. 247. 252
*Hincmarus.* 251. 253. 255. 256. 258. 259. 263. 266. 276. 277. 290. 291. 311. 313. 331. 336. 341. 344. 346. 349
*Horatius.* 283. 312. 323
*Hugo de Cleriis.* 291

*I*

*Iacobus Sirmundus.* 246. 274. 291. 342. 352
*Ieremias Propheta.* 354
*Innocentius III. Papa.* 304
*Iohannes VIII. Papa.* 273
*Iohannes Belius.* 274. 318
*Iohannes Faber.* 282
*Iohannes Sauaro.* 251
*Iohannes Tillius.* 288. 289. 292
*Iornandes.* 355
*Ioſephus Scaliger.* 294. 349
*B. Irenæi vetus Interpres.* 322
*Iſidorus.* 311
*Iulianus Iuriſconſultus.* 296
*Iulius Ceſar.* 294
*Iuo Carnotenſis.* 277. 325
*Iuſtinianus, Codex, & Nouellæ eiuſdem Imper.* 259. 268. 300. 317. 334. 338. 340. 350. 351

*L*

*Lampridius.* 259. 317
*Leges*
*Alamannicæ.*
*Anglorum.*
*Baiuuariorum.*
*Burgundionum.*
*Friſionum.*
*Langobardicæ.*
*Ribuariæ.*
*Salicæ.*
*Saxonicæ.*
*Viſigothorum.* Vide ſuis quaſque locis.
*Langobardicæ leges.* 270. 277. 280. 283. 285. 287. 304. 309. 310. 325. 329. 339. 354. 366
*S. Leo Papa.* 255
*Leptinenſis Synodus.* 293. 344

*M*

*Marquardus Freherus.* 367
*Martialis.* 324
*Martiniana priuilegia.* 255
*Martinus Bracarenſis.* 263
*Matiſconenſis Synodus.* 307. 342
*Matthæus Pariz.* 318
*Meldenſis Synodus.* 254. 269. 276.

293. 295. 296. 304. 311. 313. 339
*Menander Protector.* 268
*Mindenſis Eccleſia priuilegia.* 254. 255
*Modeſtinus Iuriſconſultus.* 350

*N*

NICÆNA *Synodus.* 265
*Nicolaus I. Papa.* 248. 326
*Nithardus.* 277

*O*

OPTATVS *Mileuitanus.* 271. 341
*Otho Friſingenſis.* 258

*P*

PAPINIANVS *Iuriſconſultus.* 310. 321. 313. 358. 360
*Pariſienſis Synodus.* 260. 261
*D. Paulinus.* 332
*Paulus Iuriſconſultus.* 296. 320. 358. 359
*B. Pauli vetus interpres.* 328
*Petrus Bleſenſis.* 243
*Petrus Pithœus.* 265. 274. 277. 292. 293
*Pipinus Imperator.* 309
*Piſtenſis Synodus.* 273
*Plautus.* 358
*Plinius.* 343. 355
*Plutarchus.* 268
*Pollux.* 281
*Poſidius.* 262
*Procopius.* 271

*Q*

QVINTILIANVS. 355

*R*

RADEVICVS. 297
*Regum libri.* 309
*Regino.* 273. 290. 291
*Rhenanus.* 367
*Ribuariæ leges.* 267. 272. 273. 283. 284. 292. 294. 297. 299. 306. 314. 317. 321. 328. 333. 334. 336. 344. 351. 366.
*Rigordus.* 337
*Robertus Monachus.* 291
*Rogerius Houedenus.* 279. 299. 303. 316. 317. 318. 338. 354.
*Romana Synodus.* 242
*Ruffinus.* 242

*S*

SALICÆ *leges.* 256. 274. 275. 276. 278. 279. 282. 284. 285. 294. 299. 301. 303. 306. 314. 316. 319. 324. 325. 334. 336. 337. 338. 343. 344. 346. 347. 349.
*Saluianus Maſſilienſis.* 308. 309. 342
*Sangallenſis.* 252. 261. 262. 278. 292. 305. 307. 332
*Saxonum leges.* 316. 317. 321
*Scæuola Iuriſconſultus.* 296. 321
*Sidonius Apollinaris.* 242. 246. 263. 265. 345
*Sigebertus.* 252. 290
*Sigonius.* 254. 257. 258. 277
*Siluanectenſis Synodus.* 296
*Siricius Papa.* 237
*Sophocles.* 305
*Sozomenus.* 352
*Spartianus.* 317
*Statius.* 357
*Suidas.* 265
*Symmachus.* 361.

# INDEX AVCTORVM
## QVI IN NOTIS ILLVSTRANTVR aut emendantur.

### A

ADALBERONIS *Remenſis Archiepiſc. Epiſtola.* 279
*Æſchylus.* 357
*Agathenſis Synodus.* 295. 341
*Agobardus.* 322. 366
*Aimoinus.* 243. 245. 250. 252. 267. 290
*Aimoini continuator.* 247. 253. 255. 257. 266. 284. 307. 338. 345. 348
*Alamannicæ antiquitates.* 314
*Alamannicæ leges.* 248. 256. 271. 295. 297. 304. 311. 317. 321. 335. 345
*Anacletus Papa.* 251
*Anaſtaſius Bibliothecarius.* 248. 262. 349
*Andegauenſes leges.* 281
*Anianus.* 226. 329. 357. 358. 359. 360. 361
*Anſegiſus.* 253. 256. 257. 279. vide infrà *Capitula Caroli Magni.*
*Antiochena Synodus.* 265
*Antiquitates Tricaſſinæ dioceſis, collectæ à N. Camuzat.* 254. 255
*Antonius Oiſellus.* 281. 301. 302
*D. Ambroſius.* 330
*Appendix Gregorij Turonenſis.* vide infrà *Gregorius Turonenſis.*
*Apollonius Tyrius.* 318. 321
*Arauſicana Synodus.* 299. 361
*Arelatenſis Synodus.* 355. 357
*Athanaſius.* 242
*Auentinus.* 273. 276. 292. 293. 337
*S. Auguſtinus.* 242. 270. 305. 319. 321. 328. 331. 334. 354
*Aurelianenſis Synodus I.* 243. 248. 249. 253. 279. 310
*Aurelianenſis Synodus II.* 243
*Aurelianenſis Synodus III.* 249. 338
*Aurelianenſis Synodus IV.* 270. 295
*Aurelianenſis Synodus V.* 261. 264
*Aurelianus Victor.* 269
*Auſonius.* 271

### B

BAIVVARIORVM *leges.* 248. 278. 297. 303. 311. 321. 324. 325. 329. 335. 349. 354
*Balſamo.* 246. 251. 261. 332
*Barcinonenſis Synodus.* 247
*S. Baſilius.* 262. 325
*Beda.* 366
*Beluacenſis Synodus.* 311. 314
*Benedictus Leuita.* 243. 248. 253. 255. 256. 260. 262. 272. 283. 296. 356. vide infrà *Capitula Caroli Magni.*
*Benearnenſium leges.* 348
*Benedictus III. Papa.* 249

# INDEX.


D. Bernardus. 243

Beſuenſe chronicon. 261. 282. 333. 334. 335.

Briſſonius. 273. 320. 321. 331

Burchardus. 287. 295. 296. 314. 326. 327. 338. 339. 340. 341. 357. 358. 361. 366

Burgundionum leges. 292. 296. 321. 333

Butelleri ſumma ruralis. 277

## C

CABILLONENSIS Synodus. 247. 249. 266. 309. 332.

Calchedonenſis Synodus. 247. 341

Capitula Caroli Calui. 252. 290. 297

Capitula Caroli Magni, & Ludouici Pij. 243. 252. 254. 255. 256. 257. 259. 260. 264. 266. 267. 268. 270. 278. 283. 286. 292. 293. 294. 297. 300. 301. 303. 304. 306. 307. 309. 310. 312. 313. 321. 323. 326. 328. 329. 332. 334. 336. 337. 338. 339. 340. 341. 345. 347. 348. 355. 366

Carpentloratenſe Concilium. 249

Carthaginenſis Synodus. 334. 338. 340

Caſaubonus. 271. 317

Caſſiodorus. 265. 266. 267. 271. 280. 286. 287. 290. 298. 306. 328. 341. 343. 345

Claudianus. 305. 357

Claudius Falcetus. 258. 276. 292

Clemens Papa. 251. 318

Columella. 296. 349

Confluentina Synodus. 286. 307. 347

Chronicon vetus Anglicum. 367

Cuiacius. 259. 268. 269. 270. 271. 281. 323. 328. 356

S. Cyprianus. 242. 251

## D

DERVENSIS monaſterij immunitates. 254. 255

## E

ENNODIVS Ticinenſis. 294. 352

Epaunenſis Synodus. 243. 312. 314. 341

Eucherius. 246.

Euripides. 305

## F

FLODOARDVS. 251. 253. 254. 261. 262. 270. 280. 296. 298. 309. 312. 313. 314. 315. 320. 332. 337. 344. 356

Fortunatus. 242. 312

Franciſcus Pithœus. 255. 259. 271. 273. 274. 276. 283. 284. 286. 331. 357

Fredegarius. vide infrà Gregorij Turonenſis appendix.

Friſionum leges. 243

Frodoardus. 278

Froſſartus. 275

Fulbertus. 277

Fuldenſes traditiones & antiquitates. 271. 273. 275. 290. 293. 296. 297. 311. 313 315. 331. 347

## G

GAVFRIDVS Abbas Vindocinenſis. 291

Gellius. 302. 313

Gloſſarium Pithœi. vide ſuprà in Franciſco Pithœo.

# INDEX.

.376


*Synodi, Agathenſis.*
*Antiochena.*
*Arauſicana.*
*Arelatenſis.*
*Aurelianenſis I. II. III. IV. V.*
*Barcinonenſis.*
*Beluacenſis.*
*Cabilonenſis.*
*Calchedonenſis.*
*Carpentloratenſis.*
*Carthaginenſis.*
*Confluentina.*
*Epaunenſis.*
*Leptinenſis.*
*Matiſconenſis.*
*Meldenſis.*
*Pariſienſis.*
*Piſtenſis.*
*Romana.*
*Siluanectenſis.*
*Ticinenſis.*
*in Trullo.*
*Turonenſis.*
*Valentina.*
*Vaſenſis.*
*apud Vermeriam.* Vide ſuis quaſque locis.

*T*

TACITVS. 265. 275. 278. 317. 325. 337. 355. 367.
*Taraſius.* 309
*Tertullianus.* 312. 317
*Teſtamentum B. Remigij.* 309
*Theganus Treuirenſis Chorepiſcopus.* 276. 302
*Theodorici Regis edictum.* 260. 264. 307
*Theodoſianus Codex.* 259. 268. 281. 313. 315. 319. 328. 329. 330. 334. 339. 350. 352. 355. 357. 358. 359. 360. 361. 363
*Ticinenſis Synodus.* 247. 253. 257. 267. 286. 287
*Toletanum Concilium.* 312. 342
*Tortarius Floriacenſis.* 242
*Trebellius Pollio.* 271
*Trullenſis Synodus.* 262. 341
*Turonenſis Synodus II.* 242
*Turonenſis Synodus III.* 301

*V*

VALENTINA *Synodus.* 243. 246. 248. 252. 295
*Valentiniani Impp. Nouella.* 272
*Valerius Maximus.* 281
*Varro.* 281. 296. 301. 311. 324.
*Vaſenſis Synodus.* 355
*Venuleius Iuriſconſultus.* 358
*Vegetius.* 280. 356
*Victor Vticenſis.* 270
*Viennenſis inſcriptio.* 347
*Vermerienſis Synodus.* 366
*Vigilius Papa.* 342
*Vlpianus Iuriſconſultus.* 296. 302. 310. 323. 334
*Vopiſcus.* 259
*Vualafridus Strabo.* 266. 341
*Vuiſigothorum leges.* 260. 264. 307

*Z*

ZOSIMVS. 291. 298. 367


Digitized by Google

# INDEX MANVSCRIPTORVM qui citantur in Notis.

## DIPLOMATA.

### PONTIFICVM.


ZACHARIÆ Papæ. 246
Benedicti III. Papæ. 249


### EPISCOPORVM.


Actardi Nannetenſis. 360
Berthefridi Ambianenſis priuilegium. 246. 247. 250
Landerici Pariſienſis priuilegium. 244. 245. 246. 247


### REGVM ET PRINCIPVM.


Caroli Magni. 269. 281. 341. 347. 358. 366
Caroli Calui. 252. 284. 290
Caroli Simplicis. 256. 275
Chilperici. 269. 270
Chlodouei Dagoberti F. 250. 290
Chlotarij. 260. 288
Dagoberti. 250. 254. 260. 270. 290. 294. 347. 348
Fulconis Comitis Andegauenſis. 327
Guidonis Comitis Pictauorum. 274
Haganonis donatio ad S. Martinum. 316. 335. 353
Ludouici Pij. 263
Odonis. 276
Pipini Maioris domus. 293. 357
Pipini Regis. 348
Roberti. 290
Roberti Comitis. 274


## VARIA.


Adnuntiatio Caroli Calui apud Piſtas. 279. 329. 335. 336. 345. 365
Amalarius. 351
Capitula Caroli & Ludouici apud Cariſiacum. 269
Chlotarij Regis conſtitutio. 250. 306
Conſuetudines Regulæ. 302
Chronicon Andegauenſe. 286
Chronicon Diuionenſe, ſeu S. Benigni. 274. 280. 289. 310. 365
Hincmarus aduerſus Hincmarum Laudunenſem. 251. 263. 342
Lex Salica ex cod. Reg. MS. 276. 285. 316
Tabularium S. Martini Turonenſis. 276. 277. 310. 335
Tabularium Corbeiæ. 249. 269
Veteres Formulæ. 274. 329
Vetus inſtrumentum ingenuitatis. 326. 327
Vetus inſtrumentum libelli dotis. 318
Leges Pariſiorum & Aurelianenſium veteres. 277


FINIS.

LIBER

ANT 1317055